R. P. JOANNIS NADASI,

è Societate JESU.

ANNI CÆLESTIS,

JESU REGI,

ET

MARIÆ REGINÆ SANCTISQUE OMNIBUS

sacri,

PARS III.

sive

JULIUS, AUGUSTUS, & SEPTEMBER.

EDITIO VII.

Longè prioribus locupletior.

(o)

COLONIÆ AGRIPPINÆ.
Apud Heredes THOMÆ von CÖLLEN
&
JOSEPHUM HUISCH.
M. DCC. XXV.

ANNI CÆLESTIS JULIUS.

1. Julii. Kalendis Julii.

JESU, in Euchariſtia, hoc die, à Judæo Pariſiis, multis & indignis modis tractate, fuſo mirabili ſanguine, lumineque celebratiſſime; miſerere mei, ut amem te!

S. Eberharde Comes, à quo impetrabatur, quidquid MARIÆ nomine petebatur, qui à morte, à MARIA, cæleſti nectare inebriari viſus es. Per illum ego te, quem in elephantici ſpecie vidiſti JESUM; per illam, quæ te fovit, & JESU Matrem MARIAM, rogo, ut vitam, & mortem, illo MARIÆ ſinu dignam, mihi impetres: ne me mors cum epulone æternùm ſitibundo, in inferno ſepeliat; ſed ſim, cum Lazaro, in ſinu Abrahæ, tecum, in ſinu MARIÆ, in æternum. Amen.

s. Aaron, prime Ordinis Levitici ſacerdos.

s. Juli, & Aaron MM.

s. Rumolde, Scotorum Regis fili, Angelo monitori ac duci tuo, familiaris & obediens.

sancti Caſte, & Secundine Epiſcopi, MM.

s. Martine Epiſcope.

s. Domitiane Abba, diſcipulis ac miraculis clare.

s.Galle Episc.injuriarum patientissime? qui incendium precibus restinxisti; cui pro populo, ut ab inguinaria lue liberaretur, oranti Angelus exauditas esse preces, teque post annos octo ad æternæ beatitatis gaudia evocandum dixit.

s.Theodorice, qui sponsæ tuæ virginitatem persuasisti: mortuam Regis filiam excitasti; Regis oculum aliosque aliorum morbos curasti; cujus corpus Rex ipse suis humeris ad sepulchrum tulit multis postea miraculis celebre.

s.Eparchi Ep. è Cancellario laudatissimo, asceta sancte, mortuorum suscitator, pauperum, captivorum, ac reorum patrone.

s.Simeon sale, miraculis, prophetiis magne, qui adolescentem novitium, Angelico habitu coruscum, coronâque regiâ coronatum, in cœlesti lumine & comitivâ, incedentem vidisti; mundi risus, proborum admiratio, dæmonum terror; qui mortuus cantores & vespillones Angelos habuisti.

s.Carilephe, asceta pudicissime, miraculis plene.

OMNES SANCTI, quos, felici morte defunctos, hodie felici æternitate donavit Deus.

Omnes Sancti mei nominis, & meæ patriæ, ac Patroni mei menstrui omnes.

Omnes Sancti nationis, & conditionis meæ.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi nascenti prima fuit dies.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi moriebti ultima erit dies.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei; vos potissimùm, qui in hac vita maxime excelluistis in amore Dei: tuque, O MARIA, Mater agonizantium, orate pro

pro omnibus hodie naſcentibus, & hodie in agone ſupremo periclitantibus: impetrate mihi à Crucifixo Jesu felicem mortem, beatam æternitatem Amen. Credo, ſpero, amo, adoro te, pulcherrime, ac optime, ſuper omnia, Deus meus, & ideò de peccatis meis doleo, ac deſidero plus dolere, & confiteri. Doleo ſuper omnia, quod te tam ingratus offenderim, Deus meus & omnia! In gratiarum actionem, & ſatisfactionem, offero tibi hujus diei, & vitæ meæ totius, actiones, atque momenta ſingula, conjuncta omnibus lacrymis pœnitentium Sanctorum, omnibus guttis lacrymarum, & Sanguinis JESU, omnibus meritis JESU, MARIÆ, & omnium Electorum tuorum: ut te videre, ac amare, unà cum illis, & unà tecum, merear in æternum.

S. Maria, *quæ* S. Eberhardum *tuum in cœlo ſinu fovere conſpecta es. Dignare me ſinu tuo; ut morte feſſum caput, in illo, fidelis tibi ad mortem uſque, reclinem!*

2. Julii. 6. Nonas Julii.

SAncta MARIA, æternitatis beatæ ſanctum pignus, mater prædeſtinatorum, morientium vita felix! ad cujus, hodie Eliſabetham viſitantis, vocem infans Joannes, in matris utero, præ gaudio exultavit! Non te potui amare antè, quam naſcerer; ora, ut ſaltem nunc & in hora mortis, & per omnes beatitatis felicis æternitates ſim in numero ſervorum, & filiorum tuorum, lætantium in te. Ita fiat, ô Parvule, MARIÆ utero virgineo clauſe

Deus infans! Visita me, cum tuo Jesu, ô Domina, ita ut nunc, & in hora mortis meæ, *visitatio tua custodiat spiritum meum*, hinc migrantem, ut in æternum, unà tecum, magnificet anima mea Dominum, & exultet spiritus meus in Deo salutari meo. Amen.

Sancti Processe & Martiniane, qui à Ss. Petro & Paulo Apostolis in carcere Mamertino conversi, & aqua, per miraculum, à petra erumpente, à S. Petro baptizati, ora lapidibus contusi, jucundè dicebatis *Gloria in excelsis Deo; sit nomen Domini benedictum*? qui equuleo suspensi, fustibus cæsi, scorpiones, nervos, flammas passi, gladio martyrium consummastis.

Sancti tres milites MM. in S. Pauli morte conversi.

Sancti Ariston, Crescentiane, Eutychiane, Urbane, Vitalis, Juste, Felicissime, Felix, Marcia, & Symphorosa, MM.

S. Svvithune Episc. qui post mortem ægris apparens, quendam, omnium membrorum infirmitate laborantem, & alium leprosum, statim curasti.

S. Otho Episc. animi demissione, frugalitate, patientia, zelo fidei, liberalitate in pauperes, celebrate; qui pauperum, Urbis tuæ catalogum habebas; quo moriente visi sunt pauperes, suavissimè concinentes, magnos & pretiosos lapides in montem efferre, ac dicere: Nos sumus, qui eleemosynas, ac beneficia plurima à pio Othone accepimus; ideoque domum pretiosam ei, in supercilio montis hujus, ædificamus. Impetra & mihi viscera misericordiæ, & artem sanctam, qua mihi domum in cœlo ædificẽ.

S. Mo-

s. Monegundis, cælitus pasta, miraculis magna.
OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, cujus vestium depositio Constantinopoli hodie celebratur: qua Beatæ Veronicæ *hodie, unâ cum S. Elisabetha, & Angelis, adfuisti: doce me tua festa, ita ut par est, ita ut ii faciunt, qui illa optimè colunt, celebrare, nuptiali veste indutum!*

S. MARIA, *qua* Joannem, *innocentem captivum, hac nocte in carcere ad te suspirantem, & peccatorum confessionem promittentem invisens, libertati reddidisti; quando ille cum eo, cui incubabat, straminis cumulo, mirâ vi, se velut per scalas ad portam in alto positum evectum sentiens percussis leviter foribus, ferro licèt undequaque armatis, illicò patentibus, ad te in Eremo Helvetiæ invisendam, liber & gratus fugit. Evehe me Domina, è profundo; solve vincla rea meæ animæ; tolle impedimenta, quæ obstant, quo minus mihi pateant portæ misericordiæ Dei, ad auream libertatem filiorum Dei ò Mater Dei!*

3. *Iulii. Nonas Iulii.*

SAncte Laufrance Episc. super cujus caput, mirè ac disertè scripta, conspecta sunt hæc verba, ipsa die tuæ consecrationis: *Date eleemosinam; & ecce, omnia munda sunt vobis.* impetra mihi cor liberale erga omnes, ad optimè omnibus faciendum: & fac ut nunc, ac potissimum in hora mortis meæ, omniá munda sint mihi? ne quid coinquinatum in me inveniat mundus ille oculus Dei mei. Amen.

Sancti Trypon, & alii duodecim MM.
Ss. Eulogi, & socii MM.

S. Hiacynthe, Trajani Imperat. cubicularie, plagis pro Christo variè afflicte, & in carcere longa fame extincte.

s. Irenæe, in equuleo suspense, ferreis ungulis in lateribus discerpte, post flammas, aliis cruciatibus cùm semper gratias Deo ageres, immortue.

s. Mustiola matrona, ancilla Martyrum, plumbatis cum cædereris, extincta.

Sancti *Marce*, & Muciane, gladio cæsi Martyres.

S. Puer parvule, qui dictos Martyres; ne idolis immolarent, exhortatus, unà cum Paulo, Martyrum item exhortatore necatus es.

S. *Anatoli* Ep. magnæ doctrinæ, consilii, sanctitatis vir.

s. Heliodore Episc. sanctissime, & doctissime.

S. Dathe Episc.

s. Thoma Apostole, hodie ex India translate.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, in via, *qua Roma, hoc die, populo diceris locuta. Loquere cordi meo, Domina, & fac, ut audiat, ac obediat tibi servus tuus, doctus a te audire te, ac loqui tibi!*

4. *Iulii.* 4. *Nonas Iulii.*

SAncta Elisabeth Regina, s. Elisabethæ Ungaræ, sanctæ materteræ tuæ, nominis, & virtutis heres, virginum, conjugum, viduarũ exemplar sanctum, oratione, jejunio, eleemosynis mirabilis, quæ dandam pro eleemosyna pecuniam, ut lateret, in rosas vertisti; pauperis ulcus horrendum osculo sanasti; pacifica non semel, aquam bis in vinum vertisti;

Con-

Constantiam filiam tuam, Castellæ Reginam, è purgatorio liberâsti, quæ tibi candida posteà apparuit, & te bis matris nomine appellans, gratias tibi egit; quæ denique hodie ad cælestis regni æternam regiam abiisti. Pacem nobis, Regina, quasi Salomon, pacem impetra, Pacem & animæ meæ! ut potentissima tua, apud JESUM & MARIAM, intercessione requiescam in æterna pace. Amen.

Ss. Osea, & Aggæe, Prophetæ.

S. Jucundiane M. pro Christo mari merse.

S. Lauriane Pannon Ep. M. quem, contra Arianos acriter satagentem, Angelus ter vocans tibi martyrii coronam prædixit: qui Angelum in via ducem habuisti; cæcum & paralyticum curâsti; mortuum suscitasti; tuum caput, pro Christo amputatum, tuis manibus portâsti.

Sancti Innocenti, Sebastia, & alii triginta Martyres

s. Namphanion M. & socii, quos ad coronam roborâsti.

S. Theodore Episc. plumbatis cæse, ac linguâ abscissa, in pace extincte.

Sancti Flaviane, & Elia, Episcopi, pro Christo exules.

s. Udalrice Episc. puritate, revelationibus, miraculis, orandi aviditate sanctissime.

s. Martine Ep. hodie translate.

S. Antonine M. cujus corpus cùm in s. Victoris Episc. loculum inferretur, illius corpus sese colligens tibi locum paravit.

s. Joannes Ep. qui ipsam etiam cubiculi supellectilem dispersisti, dedisti pauperibus, quos inter

JESUM quoque ſub ulcerati mendicabuli nuditate latentem, induiſti; Padum exundantem coercuiſti, cui, ſacris myſteriis operanti, caput igneus è cœlo radius coronavit, & poſteà migrans tua anima radiantis inſtar ſideris, cœlo, penetrare conſpecta eſt.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *quæ* Eliſabetham *Reginam morientem viſitâſti. Doce me id mereri, ut me morientem præſentiſſimâ tuâ ope digneris!*

5. *Julii.* 3. *Non. Iulii.*

SAncte Wilhelme, Mathematice, ac Orator, pauperum dives è cœli penu pater, qui erogatis tuis omnibus, quinque auri pondo è cœlo accepiſti pro egenis, in vacuis antè horreis meſſem novam, in everſo dolio vinum reperiſti; laborantium & nil capientium piſcatorũ tuo juſſu projecta retia piſcibus impleviſti: & jam promiſſa pauperibus ſpiritu, & miſericordibus æternitate frueris, & frueris æternum. Impetra & mihi ſingulare hoc donum ſanctæ in omnes charitatis; ut in hora mortis meæ liberalem, & mei amantem reperiam illum, qui omnium benè amantium, amantiſſimus eſt, Deum. Amen.

s. Zoa, B. Nicoſtrati Martyris conjux Martyr, quæ inter orandum capta, collo, & capillis ex arbore ſuſpenſa, adhibito ſubter horribili fumo, ſpiritum dediſti Deo.

s. Domiti M.

s. Cyrilla, quæ ardentes carbones, cum thure ſuper manum poſitos, diu tenuiſti; ne prunas excutiendo

tiendo thu adolevisse videreris: dein sævissimè laniata es Martyr.

s. Athanasi, omnium cruciatuum genera experte, ac ferro tandem necate, Martyr.

ss. Agatho, & Triphina MM.

sancti Marine, Theodore, & Sedopha, Martyres.

s. Numeriane Episc.

S. Vedaste Episc. ante cujus hierothecam lampas, absque oleo, & ullo alio pabulo arsit.

s. Philomena Virgo.

Omnes Sancti, &c. *pag. 4.*

s. Maria, *cujus imago in supplicatione circumlata, meridianas tenebras, tempestates, cœli, ac terræ motus horrendos discussit, impetra cordi meo constantem, & lucidam pacem!*

6. Iulii. prid. Non. Iulii.

Sancta Godoleva, sponsi impii sancta sponsa, miserorum nutrix, cujus funebri die dandi egenis panes numero creverunt in furno, terra etiam in loco supplicii tui egesta, gemmarum instar, coruscâ luce pretiosè, radiabat. Cui honoris tantum dedit terra, ô quid non dabit cælum, in quo es! Ora Deum JESUM, ut vitam meam, mortem meam, ita suâ vitâ, & morte, ac finali gratia, faciat pretiosam, ut pretiosè vivam apud illum æternum. Amen.

s. Isaia Propheta, in duas partes pro Deo serra dissecte; in visionibus admirande.

s. Tranquilline, Sanctorum Marci & Marcelliani pater, lapidate M.

S. Romule Episc. doctrinâ, sermone, miraculis potens; Angelica visitatione, colloquio, recreate, unà cum sociis, Martyr.

s. Dominica Virgo, fractis idolis, à bestiis illæsa, capite obtruncata, Martyr.

s. Severe Episc. ab Angelo de morte instante admonite.

S. *Lucia* V. quæ acriter torta, conversis ad Christum pluribus, unà cum Antonio, Severino, Diodoto, Dione, & aliis decem ac septem martyrio coronata es.

s. Goar, miræ hospitalitatis, benignitatis, ac miraculorum vir; cui cervæ obedientes lac pro recreandis moribundis, dederunt; qui factam contra te calumniam, appensa ad Solis radium, velut clavum, veste diluisti.

s. *Mechtildis* V. cui cognati tui Friderici I. *Imp.* mensæ assidenti aqua ter in vinum est versa: quæ unicum verbum otiosum, tibi elapsum, multis lacrymis ac jejuniis expiâsti, quæ nunquam ridere visa es, nisi in morte, cùm Dei Matrem, tibi coram adstantem, salutans diceres: *Ave* MARIA, *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu!* & viaticum ab Angelis accepisti: cujus vel soli capilli, in aerem sublati, fulgura ac tempestates vel sopiunt, vel evertunt. Tene linguam meam, ne quid pœnitendum dicat: fræna inanem lætitiam: doce me MARIAM ita piè, atque si coram eâ mihi præsente morerer, salutare.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *Silvaducensis, apud quam celebris est hodiernus dies, ob mortuam, à te vita iterùm*

resti-

restitutam. Occide in me, quicquid malè vivit in me: & fac me ita vivere, ac si à te fuissem revocatà morte ad vitam!

7. *Jul.* Nonis Iulii.

SAncte Willibalde, quem triennem parvulum ægrum Reges parentes, Christo, & Deiparæ devoverunt. Sanctus tibi parens Richardus Rex, sanctus frater Wunebaldus, sancta soror Walburga, sanctus avunculus tuus Bonifacius, sancti reliqui ex eadem familia plures, Wilibrordus, Deodacus M. & Pontifex; S. Willibalde, ora pro me, cum familia tua sancta. Potestis aliquid tot pro uno. Te, paratum licet ad cæcitatem perpetuam, tamen à cæcitate divinitùs curavit Deus. Ora pro me, ne moriens projiciar ad æternum cœcos. Amen.

Sancti Claudi, Nicostrate, Castori, Victorine, & Symphoriane, à S. Sebastiano conversi, deinde pro Christo torti, & in mare præcipites dati.

Sancti Peregrine, Luciane, Pompei Hesychi, Papi, Saturnine, & Germane, qui viso s. Astio Episcopo crucifixo, exemplo illo permoti, Christianos vos palam fassi, mari mersi estis.

s. Pantæne, vir Apostolice, qui ad ultimi usque Orientis gentes Christum evangelizaturus penetrasti.

SS. Apolloni & Illidi, Episc.

Ss. Odo & Hedda, Episcopi.

s. Edelburga V. Regis Angliæ filia, & s. Ereonvvaldi Episc. soror.

S. Lidane Abba ad Setiam; qui tibi, ac tuis om-

nem carnis esum vetuisti: ranas in paludibus, cœnobio importunas, perpetuo silentio mutas reddidisti: hominem qui per triennium non plus dormierat, quam ad vitam miserrimè trahendam necessarium erat, ad S. Cæciliæ altare adductum fusis pro illo precibus; somno arctissimo sopivisti: mortuum puerum absens ad vitam revocâsti; qui cùm cuidam persuadere non posses, ut iram, contra vicinum conceptam, deponeret, eidem prædixisti, fore ut nisi pareret, id quod omnium pretiosissimum haberet, repentè amitteret, non paruit; & filium unicum repentino morbo in ignem lapsum ac ibi extinctum, amisit, ad cujus sepulchrum fœmina muta linguæ usum recepit; qui Setini adolescentis à dæmone per iter palam ei se conspiciendum præbente, vexati, precibus imploratus, ei apparuisti, dæmonem fugâsti, & ipsum pane refecisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *Aspricollis, coram qua hoc die* Joannes (*hactenus globus, & monstrum*) *repentè manibus, ac pedibus explicatis, capite persanato, sanus comparuit; fac, ut capite, manibus, pedibus, corpore toto, non nisi ad gloriam Dei, ad amorem tuum, utar semper.*

8. *Iulii.* 8. *Idus Iulii.*

SAncta Landrada V. quæ in solitudine, cilicio involuta, cælestia inter gaudia pretiosam è cælo crucem, à præsente sponso Christo, & has voces accepisti: *Accipe, Landrada, ab immortali Sponso, charitatis arrham. Ipse Crucem tibi mittit sponsalia, qui, in Cruce moriens, universa restauravit; amatoris*

tui hæc sunt munera. & illi templum, aram, tua omnia & te ac denique spiritum, dedisti; eo ipso loco posteà sepulta ab angelis, ubi stans Christus in petra, velut in cera, sua impressit vestigia, teque post mortem, S. Lamberto Episcopo in luce admirabili ostendisti. Scio ego crucem omnem esse cœlestis amoris donum, atque mnemosynon piis omnibus. Tu ora, ut hæc dona æstimare pro dignitate sciam, & cum tenera quadam gratiarum actione accipiam ut amicus Crucis Christi sim; in regno illo, quod Cruce nobis emit Jesus, *Amen.*

Sancti *Aquila* & Priscilla.

Sancti quinquaginta milites, S. Bonosæ exemplo, Martyres.

S. Procopi, cui, velut *Saulo* apparens in via Christus, ne contra Crucifixi cultores sævires, persuasit, Crucem in cœlo, crystallino fulgore radiantem, ostendit, te convertit, contra hostes Cruce aurea victorem fecit: qui pro Cruce deinde tormenta passus, ab Angelis visitatus & curatus, conversis ad Christum plurimis, post plura tormenta & miracula, capite plexus es.

Sancti Abrahamitæ monachi, pro sacris imaginibus cæsi.

S. Kiliane Episc. qui de morte ab *Angelo* monitus, impuræ Geilæ, cujus impuritatem objurgebas opera, à sicariis, unà cum sociis Colomanno & Totnano, es occisus: cujus sanguine cruentum gladium sibi obversari, & imminere, seque uri clamabat à dæmone arreptus sicarius; Geila verò à dæmone obsessa, ad æternos cruciatus abrepta, Gospertus, Geilæ procus, occisus, filius princi-

cipatu

cipatu dejectus familia tota prostrata est.

s. Auspici, sancte ac docte Ep.

s. Theobalde, è vano juvene Abba sancte? cui Beatissima Virgo & se videndam sæpius præbuit,& ut in ecstasi contemplatione Sss. Trinitatis fruereris effecit? quo trinitatis arcano introspiciendo dum fruereris, eidem gratissimum esse certior factus es Canticum trium puerorum, *Benedictus es Domine, Deus patrum nostrorum, &c.* ideoque illud & familiarissimum habuisti, & tuis moriens unicè commendâsti: qui s. Ludovico, Galliæ Regi, heredem; & seros nepotes impetrâsti: qui dicebas, tibi à Christo revelatum esse crucem ei, crucem parandam, qui Christo familiaris esse percuperet, Doce me id agere, id pati, quod maximè gratum est Sss. Trinitati.

S. Astion, cum s. Epicteto M. qui, post mortem, matri tuæ apparuisti, eique, post amplexum & osculum datum, gratulatus es, quod esset facta Christiana, id est, Christi discipula; Epicteto quoque patrem tuum Alexandrum, ad Christum conversum, amplexo, ac dicente. Lætare in Domino, ô dulcissime frater Alexander, eò quod dignus habitus es in numero fidelium deputari, & perennem beatitudinem promereri! Vigilantio autem, qui eos converterat, uterque dixistis: Gaude& tu in Domino, ô dulcissime frater? quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte,& operiet multitudinem peccatorum! Denique matrem tuam verbis dulcissimis es hortatus ad ea, quæ sunt in Evangelio, adimplenda, ad hæreditatem tuam pauperibus distribuendam;

dam;

dam; simul paradisi delicias illi explicans, quibus in regno Dei immortaliter fruebaris: doce me æterna sapere, ac uti consiliis cælo jam receptorum, neque quicquam agere, quod illi consulerem non agendum.

B. Disibode Episc. benignitate in pauperes, Vitæ asperitate, zelo Catholico humilitate, miraculis, senectute sancta, amabilis; ad cujus cadaver totis triginta diebus, omnes, qui aderant, odore mirabli recreabantur.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 4.

S. MARIA, *cujus Duaci statua hodie visa est manum extendere, ad percutiendos pueros immodestos, Impetra mihi modestiam animi, & corporis; & quicquid tibi displicere potest à me averte!*

S. MARIA, *quam* S. Theobaldus *tuus sæpiùs coram spectavit, & audito tuo nomine, te ita salutabat:* Nomen dulce Virginis gloriosæ, nomen venerabile, nomen benedictum, nomen ineffabile, & amabile in æternum! *cum verò sanctissimum Filii tui Corpus prateriret, ajebat:* Benedictus JESUS Christus, Dei Filius, qui suâ nativitate glorificavit ineffabili gloria gloriosissimam Matrem suam! & *divinitus manifestatum est, verba illa plurimum placere Filio tuo, ac tibi. Doce me benè orare!*

9 *Julii.* 7. *Idus Iulii.*

SAncta Anatolia V, ad quam allatus à mago immanis serpens, tibi nil obfuit, magum, ni tu orando prohibuisses, occisurus; unde Audax magus pro Christo dedit caput; cui, postquam ornamenta

menta tua in pauperes effudisses, Angelus in purpura, gemmis & aureo diademate apparuit ac dixit: *O Virginitas, qui non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris! Virginitas purpura regia, gemma thesaurus est Regis immensus, huic fures insidias tendunt*, cui dæmon ex energumena dixit: Tu es, quæ me flammis orationum tuarum exuris, & pulsus est; quæ demùm, curatis ægris plurimis, variis vexata suppliciis, extensis denique manibus orans, gladio transverberata es. Intercede pro me; ne antiquus ille & callidus serpens, qui calcaneo vitæ meæ, id est ultimæ vitæ meæ insidiatur, mihi noceat, meque paradiso æternùm extorrem faciat; sed ut in paradiso potius Beatorũ, è quo infelix ille excidit æternum tecum vivam, inde ejiciendus nunquam. Amen.

Sancti novemdecim Martyres Gorcomienses.

Ss. Zenon, & decem millia ducenti tres Martyres.

S. Cyrille Ep. sitientissime animarum; qui, quod à flammis illæsus dimissus fuisses, lamentatus, & animarum saluti insudans, capite plexus es.

Sancti Patermuthi, Copres, & Alexander, MM.

S. Bricti, potens Dei verbo Episcope: cui S. Petrus cum Angelis adfuit, teque è carcere liberavit: adesto tu mihi, unà cum illis! ut liberes me.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4

S. MARIA, *quæ hoc die, militibus in exercitu Christiano, ad Vrbem Accon, apparuisti, victoriam prædixisti. Effice ut me vincam, ut me expugnem ac tibi dedam totum.*

10. *Julii.* 6. *Idus Julii.*

SAncta Felicitas, septem Martyrum filiorum Martyr mater; quæ Januarium tuum, plumbatis occisum; Felicem & Philippum, fustibus contusos; Silvanum, ex alto præcipitem; Alexandrum, Vitalem, & Martialem, capite plexos vidisti, illos ad mortem hortata, & ipsa felicissimè secuta es. Esto & mihi mater; ut & ego quoque, in agone meo ultimo, pro Dei gloria, gloriosus decernem, & moriar de hoste victor; tecumque, & cum filiis tuis, felix Alleluja decantem triumphatori Deo. *Amen.*

Sanctæ Ruffina & Secunda, sorores, quæ cùm voluptates, cum æternitate conjunctas, vos his præhabere diceretis, pro Christo, & virginitate post flagella, fœtores in odorem commutatos, in ferventis olei dolio illæsæ, in Tiberim cum saxo præcipites, indè siccæ eum cantibus exivistis, & capite posteà cæsæ, post mortem, gemmarum ornatu miro adornatæ apparuistis.

Ss. Januari, Marine, Nabor, & Felix, Martyres decollati.

Ss. Leonti, Mauriti, Daniel, & socii MM. in ignem conjecti.

Sancti Bianor & Silvane, post sævissima supplicia, capite plexi.

S. Apolloni, crucifixe Martyr.

S. Amelberga Virgo.

S. Amelberga Vidua, quæ viro tuo Principe, Angeli monitu, cœnobium ingresso, te totam Deo, per sacrum velum, per continuum precandi studium,

&

& carnis macerationem, consecrasti.

S. Canute Rex Daniæ, Ecclesiasticæ dignitatis maximè æstimator, & cultor, perfidiorum triumphator, post animum pœnitentiæ sacramento sanctè expiatum, ab impiis cæse, & miraculis gloriose.

S. Paterniane Ep. ab Angelo, ut te ad solitudinem conferres, admonite; qui dæmonem, te compulæ adolescentulæ specie ad impudica pellicientem, oratione, & manu flammis impositâ superasti, & mortis tuæ conscius morte vincentium triumphasti. Doce & cor meum, ac manus meas ad castum prælium, ne quis vel apertus, vel tectus dæmon mihi unquam illudat.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *quæ Hallense tuum oppidum ab hoste, hodie, auditis in blasphemos miraculis, liberasti. Tuus sum ego. Ne sinas me expugnari ab inimicis tuis, & meis!*

11. *Julii* 5. *Idus Julii.*

SAncta Golinducha, quæ, etiam tùm Dei ignara, dum epulis assides, cœlestis convivii nectar apparatum, delicias, illuc simul invitata, spectasti; sitientem, apud inferos, gulosum divitem epulonem, & parentes tuos in æternitate pœnarum vidisti; posteà quòd Christiana esses, à marito accusata, octo annos in carcere, quatuor menses cum dracone, cui frænum injeceras, in antro habitasti; multis demum torta, ab Angelo è lupanari educta, è vulnere, quod in collo accepisti, sanguinem, morbis

bis salutarem, dedisti; ac tandem vitâ, prophetiisque mirabilis, beatâ morte vitam ingressa es immortalem. O recorder & ego æternitatis utriusque etiam comedens & aliàs! Præparem nunc palatum ad cæli delicias, jejuniis, ut post mortem illuc eam, ubi æterna est & læta satietas. Amen.

S. Pie Papa, sanctissimi sacrificii reverendissime cultor, & Martyr.

Ss. Januari & Pelagia, equuleo, ungulis, testarum fragmentis per dies quatuor cruciati, MM.

Ss. Sidroni & Marciane, MM.

S. Cindee Presb. qui, post multa tormenta, in ignem injectus, nec læsus in oratione spiritum reddidisti.

Sancti Savine & Cypriane, MM. fratres nobilissimi, qui, inter tormenta gratias Deo agebatis, hæc identidem repetentes: *Quàm dulcis est dilectio tua Domine!*

S. Joannes Episc. omnibus amabilis & venerabilis sacrificii Missæ, ad miraculum usque, studiose, Arianorum hostis, doctrinâ, zelo, sanctitate potens, ab iisdem cæse M. miraculis gloriose.

s. Abundi M.

s. Sabine Conf.

s. Hidulphe, ex Archiepiscopo Religiose. Othiliâ cæsâ, Ducis filiâ, ægriisque aliis persanatis, mirabilis; qui à decessore tuo tempus tuæ mortis, viginti octo annis ante mortem, didicisti: cujus veste sub dio explicatâ, pestilens contagio illicò est repressa, & cælum in imbres solvebatur, vel tranquillabatur, prout necessitas postulabat.

s. Placide, qui cùm obedientiæ munere fungereris,

reris, occisus ab impiis, tuum caput, ab illis recisum, ad s. Sigisbertum Abbatem, à quo missus fueras, deportasti, & illud ei in manus dedisti; quod ille campanis ultrò sonantibus sepelivit, Doce me ubique facere id, quod vult Deus.

s. Euphemia M. cujus corpus cùm navi veheretur, indè exire est visum, ad obviam tibi è sepulchro s. Glyceriam M. quæ te complexa dixit: *Salve Martyr Christi, Euphemia benedicta*, & ita ab invicem recessistis.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. Maria, *cujus aris (in anthema victoriæ, hodie à tuis Flandris relatæ) septingenta, è cæsis nobilioribus hostibus, accepta inaurata calcaria sunt appensa. Gratias tibi ago, Domina pro victoriis, quas per te, mihi dedit Deus. Da, ut gratus vivam, & victor ad aras tuas.*

12. *Julii.* 4. *Idus Julii.*

Sancte Joannes Gualberte, qui hosti, cognati tui interfectori, deprehenso, & supplicii, in Crucifixi gratiam pepercisti: ideoque tibi Crucifixus capite inclinato annuens, gratias egit; & hic virtutibus te, ac beatâ morte, in cælo verò vitali æternitate coronavit. Roga Crucifixum Jesum etiam pro me, ut in tui gratiam, ignoscat mihi ea omnia, in quibus divinæ illius voluntati conformis non fui, Ego etiam omnibus libentissimè ignosco. Utinam tibi felicem pro me mortem petenti annuat capite inclinato! Adsit & mihi ille, qui tibi morienti visibilis adfuit. Angelus, & nomen rogatus, respondit,

nomen sibi esse, *Benignus montis Dei*; & me benignitatis æternæ sinu hinc exceptum deducat in montem Dei. Amen.

Sancti Nabor & Felix, fustibus cæsi; aliterque cruciati, &, cum hæc, ad supplicia æternitatis, tantùm puerorum terriculamento esse diceretis, capite cæsi.

Sancti Hermagora Episc. & Fortunate, post miracula curationum, & prædicationis instantiam, MM.

s. Pauline, & socii MM.

Ss. Procle, & Hilarion, per acerbissima tormenta, MM.

s. Joannes Abba, s. Amandi magisterio, & imitatione, ad gloriam sanctitatis evecte.

s. Epiphania, quæ post alios agones, pectore laniato spiritum reddidisti.

s. Marciana V. à tauro discerpta, Martyr,

Sancti Viventiole, & Paterniane, Episcopi.

s. Leo Abba qui Beatissimam V. & Dei Matrem tibi è cælo apparentem, videre meruisti, vir à Deo magnâ spiritûs libertate donate.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *quæ, postquam hodiernus* S. Joannes Gualbertus *dæmonem à moribundo: fugavit moribundo illi, unà cum SS. Petro & Benedicto, adfuisti. Fac, ut pellam dæmonem & tibi ad me iter aperiam!*

13. *Julii.* 3. *Idus Julii.*

SAncta Justina Virgo, quæ læto vultu ibas ad oppetendam pro Christo mortem, ridens, quasi in Sponsi hortos itura; & Zenoni, à Sponsi hortis fructus

fructus petenti, post mortem tuam, sudariolum per Angelum, parvulum submisisti, quo cum ille frontem abstergeret; abstersâ perfidiâ, Christianus, & Martyr factus est. Mitiga dolores mortis meæ illâ tuâ lætitiâ, & mortuales meos sudores tuo illo sudariolo absterge; ut lætus moriar, & amœnam paradisi æternitatem, æternum lætus ibi futurus, ingrediar. Amen.

s. Zeno, S. Justinæ miraculo converse, & cùm JESUM in ore haberes semper, amputata lingua, gladio addicte M.

S. Anaclete Papa M.

Ss. Joel & Esdra, Prophetæ.

B. Silia, prædicationis gratia illustris.

s. Serapion, Martyr per ignem.

s. Myrops, vectibus contusa *M*.

s. Eugeni Ep. cum Salutari Archidiacono, & Muritta, ac quingentis ampliùs sociis pro Catholica religione sub Hunnerico Rege Ariano cæde, inediâque macerate, cum gaudio passe; Hunerico deinde à scaturientibus è toto corpore vermibus, ad infelicem usque mortem, consumpto.

s. Turiane, innocentissimæ simplicitatis Episc. qui puer ab Angelo, tibi conspecto, studere jussus, postea miraculis clarus, cæcos, dementes, surdos, aliosque curasti, tres mortuos suscitâsti; ad populum dicens, Christum in sede majestatis, & Angelos, aream testamenti in supplicatione portantes, vidisti; qui oratione, ac tui afflictatione inclytus, S. Michaelem Archangelum in humeris aliquando habere conspectus es, commenda me sancto illi tuo Archangelo.

s. Marga-

s. Margarita V.M. hoc etiam die culta; idolorum sacrificuli filia: quæ cùm nuptias formâ tuâ capti impii Præsidis Olibrii aspernareris, virgis dirè cæsa, ferreis laminis inclusa, clavis affixa, lacerata, perstitisti, quâ in carcere orante, terra contremuit; & dæmonis effigie terrere te volens dæmon, signo Crucis à te superatus est; tu verò divinitùs à plagis omnibus curata es. At iterùm lampadibus toto pectore, ac utroque latere exusta, in lebete cruciata, Ss. Trinitatem laudans, capitis sententiam subiisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *cujus salutator & paranymphus.* Gabriel *Angelus, à Græcis hodie celebratur. Fac ut non sæpe tantùm sed & bene, ac ore, cordeque Angelico te salutem!*

s. MARIA, *Scalabitana in cujus sinu sedens in imagine Puer* JESUS *cum duobus pueris jentaculum sumpsit, & illos ad cœleste convivium invitavit, quod illi hoc die audiére, anno* 1277 *. una cum magistro, felici morte defuncti. Iuva me, ne projiciar ad famem æternam!*

14. *Iulii. Prid. Id. Iulii.*

SAncte Joannes Bonaventura MARIANE Cherub & Seraph, qui s. Thomæ Aquinati bibliothecam è qua tantum scientiarum hausisses, videre volenti Crucifixum ostendisti: qui moriens cùm divinum viaticum ore sumere ob morbum non posses; ad motum pectori, amabilissimo miraculo, hausist in cor, quod etiam ipsum cor, unà cum capite

pluribus à morte tua annis, integrum est repertum. Corde, ore, calamo, manibus MARIAne Doctor, quæso te, per omnes charos tibi titulos, Crucifixi tui sacratissimi Sacramenti, & MARIÆ, ora pro me, ut bonus bibliothecæ Crucifixi discipulus, bonus MARIÆ servus, & filius, illud immortalitatis viaticum ita accipiam, ut illud corde tuo hauriam; ut & JESUS in me, & ego in JESU habitem in æternum. Amen.

s. Juste miles, qui apparente tibi divinitùs cruce conversus, omnia pauperibus erogasti; deinde verberatus, galeâ ignitâ contectus, regno injectus, ne in pilo quidem læsus, animam reddidisti.

s. Phoca Episcope per ferrum & ignem Martyr.

s. Liberte Martyr, s. Rumoldi precibus nate, atque cùm aquis mersus esses, vitæ reddite ab eodem.

s. Ragenulphe V. tenella, & nobilitate inclyta; quæ parentes, & nuptiarum splendorem, ut virgo montereris, fugisti; miraculis gloriosa.

Ss. Heracla & Cyre, Episc.

Ss. Felix & Optatiane, Episc.

s. Marcelline Presb.

s. Henrice Imperator, sanctæ Chunegundis Virginis virgo conjux; qui visis *post sex*, cœlitùs ostensis tibi vocibus, cum ad mortem, *post sex* dies hebdomadas, menses, annos, obeundam, te compararés, *post sex* annos ad imperium evectus es: qui postea, voto s. Laurentio nuncupato, hostes tuos ab Angelo fugari vidisti; cui post mortem, in judicio, patronus, cum calice, quem templo dederas, adstitit S. Laurentius.

s. Tu-

s. Tuſcana Vidua, cujus pudicitiam grandi miraculo honoravit Deus; quæ moriens, è cœlo tibi dici audiſti: *Veni ſponſa Chriſti, Tuſcana, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum!*

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *Major, quæ* S. Henrico, *in templo tuo Romæ excubanti, pacis oſculum per Angelum miſiſti. Fac me Henricum tuum: da pacis oſculum cordi meo!*

15. *Julii. Idibus Julii.*

SAncte Jacobe, Epiſcope Niſibene, qui orando ſaxum in partes diffregiſti, hominem ficte mortuum, ut moreretur, ac deinde ut viveret, effeciſti. Saporis, Urbem obſidentis, caſtra culicibus fugaſti, puellas procaces, toto capite canas feciſti. Ora pro me, orator Dei, ut & ego ſciam orare. Tota mea & vita, & mors, ſit ſancta oratio; ut etiam in æternitate orem, id eſt, mente, animo, & corpore in cœlum elevatus, Deum adorem, & amem ſemper. Amen.

Sancti omnes Apoſtoli, quorum hodie diviſio celebratur.

s. Eutropi M. & Zoſima ac Bonoſa, ſorores, Martyres.

Ss. Catuline, Jannari, Florentia, Julia, & Juſta Martyres.

Sancti Philippe, Zeno, Narſæe, & decem parvuli Mm.

s. *A*budemi M.

s. Felix Epiſc. *M.*

s. Antioche medice, è quo, capite obtruncato

cùm lac manaret pro sanguine, Cyriacus carnifex ad Christum conversus, post te factus est Martyr.

s. Athanasi Episc. qui in templa liberalis; in corpus plumbo, ciliciis, flagris, jejuniis, severus; in lectione, templo, orationibus, concionibus frequens: in rebus agendis sanctè dexter, ad patiendum fortis & lætus, miraculis, rebus actis & perpessis magnus, diem sanctè obiisti.

s. Rosalia Virgo, hodie divinitùs inventa, magna contra luem pestiferam Advocata, fac, ut sicuti tu in antro habitare elegisti *amore Domini* tui Jesu *Christi*; ita ego ejusdem *amore* faciam, quicquid me juvare potest ad acquirendum verum amorem Dei.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *in cujus sinu sedens* Jesus, S. Rosaliam, *hoc die mirabiliter repertam corollis aureis, & roseis donavit, Te illam tuis precibus, & consiliis adjuvante, Tibi caput, cor, manus meas committo: Tu me erudias ad coronas; ut illas merear Tuâ ope!*

16. *Jul.* 17. *Kal. Augusti.*

SAncta Raineldis Virgo M. sanctorum parentum sancta filia, duarum sanctarum sororum, & sancti unius fratris, sancta soror; cui ad templum aditum Angeli præbuêre; quæ sanctissimæ in orando quieti dedita, in templo demum, ad aras usque amica Christo, pro Christo, ad aram, crucis in modum prona, dum Deo gratias, laudesque ultimis verbis diceres. Virgo victima truncata es, clara prodigiis. En ego humili corde, ad aram illam, tuo sanguine cru-

cruentam, provolvor supplex; ut id pro me à Deo imperres, ut amando Deo, illique grarias agendo vitam totam, & mortem, ac æternitatem meam impendam. Amen.

Crucifixe Jesu, cujus cruci triumphus, & gratiarum actio hodie agitur, ob crucem Alphonso Castellæ Regi, olim in aëre ostensam, & Mauros, à Christianis, sub crucis, & Matris tuæ, vexillis superatos.

s. Monulfe Episc. qui è cœlesti puero monitus; pro anima Principis, totum triduum, unà cum populo, precibus, jejuniis, eleemosynis impendisti, & illum è purgatorio exemisti.

s. Fauste, qui in cruce quinque diebus vivus, sagittis confossus es, *Martyr*.

s. Athenogenes M. qui decem discipulis tuis martyribus tibi præmissis, cùm pro nobis, tuum, tuorumque discipulorum nomina imploraturis, orares, hanc è cœlo vocem audisti: *Gaude mi athleta Athenogenes, mi electe, ecce dedi tibi tuas petitiones. Quicunq; me invocaverit per nomen tuum, liberabitur ab omni afflictione & necessitate; & ejus peccatorum inducam oblivionem.* Fac, ut bene te invocem.

B. Eustathi Episc. pro fide Catholica exul.

Ss. Hilarine & Donate MM.

s. Valentine Episc. M.

s. Sisenande, pro fide jugulate.

Ss. Martyres, s. Raineldis socii.

s. Domnio *Martyr*, qui recisum à reliquo tuo corpore caput in manibus gestasti.

s. Vitaliane Episc. à calumniis divinitùs vindicate.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA *quæ hodie mortuo* Innocentio III. *Pontifici veram de peccatis pœnitentiam, ne in agone periret, impetrasti; ut ipse S. Ludgardi dixit. Impetra idem mihi nunc, & tùnc, cùm jacebo in aditu æternitatis!*

17. *Julii.* 19. *Kal. August.*

SAncte *Alexi*, Virgo sponse, qui Edessæ, à Beatissima Virgine quantus esses, proditus es, quem Maria in imagine allocuta est; qui Romæ, in paterna domo, sub gradibus, ignotus patri, matri, sponsæ, totis septemdecim annis, abjectus latuisti; ac è schedula tua, & audita, per Urbis Ecclesias, divinitus voce, post mortem cognitus, dulcissimorũ parentum lacrymis Romæ universæ admiratione, vultu radiante aliisque prodigiis, laudatus es. Commenda me MARIÆ, Matri humilium, ut seriò eligam abjectus esse in militante domo Dei mei usq; ad mortem; ut post mortẽ erigar, & sim gloriosus, in triumphante Dei mei domo, in omnem æternitatem S. Alexi, qui hac festi tui nocte, S. Franciscæ, quatuordecim annos natæ, per annum ægræ, jamque depositæ, ac vigili & oranti, peregrini instar, in *veste aurea* spectabilis adfuisti, & dixisti; Francisca, ego sum *Alexius*; & nunc venio Dei missu ac jussu, ut dicam tibi, an velis persanari? respondente verò illa, se id velle, quod Deo placet; illam totam *aurea tua veste* contectam, illicò persanasti, unde illa, primo diluculo, ad visendum templum & corpus tuum, abiit planè sana. Tege me totum indue me aurea pretiosi erga Deum amoris veste, ut Chri-

stum

ſtum induam, & ſurgam à torpore meo, qui tam diu me tenet languidum, fac me undequaque ſanum ac firmum.

s. Fredegunde, cujus ſacrum corpus voluit Deus à ſceleratâ civitate, quam plectere ſtatuerat, aliò aſportari.

Sancti Sperate, Narzales, Cythine, Veturi, Felix, Acylline, Letanti, Januari, Generoſa. Veſtina, Donata, & Secundæ, ligno confixi, decollati.

s. Hyacinthe M.

s. Generoſe M.

s. Theodora M.

s. Leo Papa quarte.

Ss. Ennodi & Theodoſi. Epiſc.

s. Marcellina, s. Ambroſii Epiſcopi ſoror.

s. Marina Virgo M. quæ draconem, te flammis involvere nitentem, precibus & verberibus domuiſti.

s. Æterne Epiſc. Martyr inclyte Normannorum.

Sancti Eovalde, & Sixte, MM. quorum corona in vineæ angulo, cœleſti luce perfuſo, Angeli monitu, à pio agricola, ſub rubis & ſpinis, inventa ſunt.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4

s. MARIA, *cujus parvulum* JESUM *ſinu geſtantis imaginem Romæ, circa annum* 534. *in* S. Gallæ *domo, hoc die duo Seraphini in orantis Pontificis manibus depoſuerunt, & peſtis graviſſima non plus ultra graſſata eſt. O Domina tolle omnem etiam occultam, animæ meæ peſtem, Seraphini collocent te in corde meo ac manibus; id eſt, amem te corde, amem opere, magiſtri divini amoris inſtigatione atq; inſtinctu!*

18. *Iulii*, 15. *Kal. Aug.*

SAncta Symphorosa, S. Getulii M. Martyr conjux, septem Martyrum filiorum mater, saxo ad collum alligato in profluentem demersa, Sancti septem fratres, ad palum alligati, cruciati. s. Crescenti guttur ferro transfixe. s. Juliane, pectus confosse. s. Nemesi, cor transverberate. S. Primitive, umbilicum trajecte. s. Justine, membratim secte. s. Stactee, telis confixe. s. Eugeni, à pectore in duas partes divise. Orate pro me, unà cum matre vestra, fratres fortissimi; conjurate in meam salutem! Impetrate mihi felicem hinc exitum; ut sim frater vester, & ejusdem cœlestis Patris heres, inter electos, filius in æternum. Amen.

s. Guadenes Virgo, quater in equuleo extensa, ungulis dilacerata, gladio cæsa.

s. Æmiliane in fornacem injecte, M.

s. Friderice. Episc. qui, quòd impuram Regis pellicem reprehenderes, à sicariis graviter vulneratus, vivus te tumulo imposuisti; & prædictâ regni, ob Regis, ac Reginæ peccata, ruinâ, sanctè expirans; mirâ, templum cœlestis odoris suavitate replevisti, siccariis paulò post repentina morte extinctis.

s. Marina V. martyr.

s. Materne Episc.

s. Theodorice Metensis Ep. qui inspiciens literas nominum omnium Metensium Antistitum, quas Angelus Domini s. Clementi, primo Metensium Episcopo dicitur dedisse, aliàs auro, aliàs vero viliore metallo, pro meritis, conscriptas, dixisti, te la-

laboraturum, ut nomen tuum (quod argento tantùm notatum illo albo videbas) literis aureis scribatur: & verè ita vixisti, ut te moriente, in Angelico illo catalogo, tuum nomen apparuerit literis aureis exaratum.

s. Rophile Episc. qui cum s. Mercurio Episc. indicto tridui jejunio, draconem, aliis noxium, stolis collo illius injectis, è specu eduxisti, & in puteum præcipitatum, lapidibus obruisti.

s. Philastri Ep. zelo! & scientia plenis contra hæreticos disputationibus, scriptis, ac miraculis illustris.

Ss. Arnulphe & Bruno, Episc.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cujus à bona voluntate dictæ imaginem qui læserat, hoc die, Montibus publico supplicio est affectus, lacrymis quoque ac sanguine, de imagine tua manantibus. Sis mihi* MARIA, *Mater* bonæ voluntatis: *fac, ne tibi unquam inferam ullam injuriam: sit mea voluntas bona sit divinæ, tuæq; conjuncta:*

19. *Julii.* 14. *Kal. August.*

SAncte Arseni, cui è cœlo delapsa vox; *Fuge, tace, quiesce*, effecit, ut ex aula imperatoria in eremum fugeres. Tibi æternitas in mente semper; ideo lacrymæ semper in oculis, mortem meditanti. Unde etiam in morte, an etiam tu timeres? rogatus, dixisti, semper te horam illam timuisse. O timeam & ego timore sancto; ut morte non timenda, sed speranda, & amanda defungar; & demum illic tecum sim æternùm, ubi nemo habet malum ullum, quod ti-

meat; omnes habent bonum summum, quod ament! Amen.

s. Epaphra, s. Pauli concaptive Martyr.

Sanctæ Justa, & Ruffina, confracto Veneris idolo, equuleo, virgis, carcere, inedia tortæ; Justa in carcere. Ruffina fractâ cervice Martyr.

s. Aurea V. M. sanctorum Joannis & Adulphi MM. soror nobilis, quæ judicis minis territa, te cessuram promisisti primum, sed postea malè promissi bene pœnitens, pro Christo jugulata es, & coronata.

s. Martine Episc. M,

s. Symmache Papa.

s. Felix Episc.

s. Petre Conf. qui dæmonem, divitias tibi afferentem, fugasti cruce; rem tuam opulentam, & quicquid deinde mercedis serviens acquirebas, dispersisti, dedisti pauperibus; in cujus morientis gratiam lampas ad aram B.V. divinitus est accensa, qui tandem, viso licet formidabili spectro, tamen securus, in crucifixi complexu, animam felicissimam exhalasti.

s. Marcina Virgo, sanctorum Basilii & Gregorii Nysseni soror, oratione, vitæ asperitate, miraculis celebris.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *cujus sanctissimæ Matris Annæ festum hodie Cameraci & Ambiani, cras verò* Josephi, *sponsi tui, Romæ celebratur. Ora ut sim bonus servus Matris tuæ sponsi tui, ac Filii tui!*

20. *Julii.* 13. *Kal. August.*

SAncta Margarita, seu Marina V. quæ dæmonem draconem Cruce fugasti; Crucem è cœlo splendidam, & ab insidente cruci columba solatia cœlestia, & simul in carcere à vulneribus medicinam accepisti; ignes, & aquas vicisti; ideoque à cœlesti illa columba palam coronata es: cui pro Christo morienti dictum è cœlo toto populo audiente: *Marina, accepta corona incorruptionis requiesce in sæculum!* circa quam visa est frequens corona te circumstantium Angelorum: cui pro nobis te invocaturis, oranti Christus cum Angelis apparuit: & dixit: *Exaudivi preces tuas quæq; petiisti, implebo,* & capite truncata es, Ora, ut præparem & ego caput per victorias ad coronam. Aderit morienti mihi infernalis draco; sed & tu adesto, ut illum ope, ac exemplo tuo, signo crucis vincam; & in amaro illo moribundorum silentio, à tua columba solatia cœlestia accipiam; tandemque illuc perveniam, ubi solatia sunt æterna. S. Margarita Virgo M. quæ hoc tuo die, s. Gertrudi ægræ conspecta, eam in morbis gaudere jussisti: habituram enim pro singulis doloris momentis in corpore, millies mille annos cœlestium deliciarum in æternitate; omnia hæc ipsi, à dilecto Jesu *speciali amore immitti.* Impetra mihi quoque à Deo intellectum quo videam, voluntatem quâ amem, quicquid corporis, vel animi incommodorum pati me vult dilectus Deus meus!

s. Elia, cordatissime Propheta.

s. Joseph juste, cui haustum venenum nil nocuit.

Sancte Sabine, Juliane, Maxime, Macrobi, Cassia, & Paula, MM. cum aliis decem.

s. Paule Diacone *M.*

s. Wilgefortis Virgo, pro fide & pudicitia crucifixa.

s. Vulmare, qui Beatissimæ Virg. Matri, & s. Petro, templum posuisti, post multas hominum ac dæmonum insidias, miraculis gloriose.

s. Severa Virgo.

s. Joseph, vir MARIÆ, cujus felicissimi transitûs dies Romæ hoc die celebratur: ora pro me, ut felix moriar & ego.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, à Stella, *cujus honori* Robertus, *Rex Galliæ hodie defunctus, Ordinem Equitum stelligerorum, pendente ad cor stellâ aureâ fundavit. O stellâ maris & noctis nostræ illumina me; ne tempestas gluttiat, vel ne tenebræ exteriores conculcent me!*

21. *Julii.* 12. *Kal. August.*

SAncte Daniel Propheta, jam inde ab adolescentia mirabilis, qui Susannam innocentem sapienter à morte liberasti; qui in lacu leonum illæsus, cibum à dante tibi per Angelum Deo accepisti. Daniel, serve Dei, vir desideriorum, & orationis, omnia impetrantis; quia cum corporis afflictatione conjunctæ! Ora pro me, ut, quando in ultimo vitæ agone velut in lacu leonum, ero in timore, ac tremore; ne leo ille, me quærens, discerpat: sedis

qui

qui te à leonibus illæsum servavit Deus, & me servet, servúmque verè suum efficiat? ut sim unus ex illis millibus; quos illi assistentes & ministrantes vidisti, & vides. Amen.

s. Praxedes Virgo, s. Pudentianæ soror, quæ nullum diem abire sinebas, quem novo pietatis opere non illustrares; quæ S. Simitrium, cum aliis viginti duobus MM. tuis ipsa manibus sepelisti, plena orationis ac misericordiarum Virgo.

s. Victor miles in carcere ab Angelo visitate, & post cruciatus varios, in mola pistoria, unà cum Ss. Alexandro Feliciano, & Longino, sociis militibus, contrite.

s. *Daniel* Abba, orando potentissime.

s. Julia V. *M.*

s. zotice Episc. M.

Sancti Claudi, Juste, Iucundine, & socii quinque Martyres

S. Arbogaste Episc.

s. Ioannes monache.

s. Maria Magdalena, quæ, hoc die, seu pridie tui festi, s. Gertrudi conspecta es; tot aureis floribus splendida, & gemmis ornata, quot olim peccatis fueras maculata, quam eadem pro tuis clientibus, ad pedes Christi supplicem vidit. Fac idem pro me.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 4.

S. MARIA, Silvaducensis, cujus honori, ubi votum fecit is, qui innocens de cæde accusabatur, duo repentè se cædis illius reos esse sunt fassi. Defende me in extremo, tremendo, ubi de æterna morte agitur, judicio!

22. *Iulii*, 11. *Kal. Aug.*

SAncta Maria Magdalena, cujus cor pœnitens ad arcem gratiæ & gloriæ vocans divinus amor, te ovem perditam invênit; inventam drachmam in regio thesauri sui ærario recondidit, & velut gemmam, deterso luto, sidera vincentem, cælesti splendore perfudit. Gratias ago illi, & gratulor tibi. Quam oculis, misericordiarum plenis, respexit Pater superni luminis, *flammas amoris excitans, gelu-que solvens pectoris* tunc tui, nunc autem & nostri. Fac, ut liquefiat ab igne tuo, in lacrymis, etiam glacies cordis mei, tam duri tam frigidi. Quæ amore sano saucia cucurristi; & cœpisti beatos Christi pedes ungere, lavare & rigare lacrymis, ore lambere, comis tergere, detersos nardo perlinire, sic è rigatis à te pedibus Jesu crevit flos misericordiæ; imo arbor, dignos pœnitentiæ fructus ferens, quando, in aliorum quoque cordibus, exitus aquarum deduxerunt oculi tui, tam dolenter amanterque lacrymati: & lacrymæ tuæ, omne margaritarum pretium supergressæ, fluebant à corde, divini amoris flammis lacrymas liquefacto. Ita ignis amoris lacrymis, peccata, cum septem dæmoniis, ad Christi pedes, proculcanda prostravisti, & instrumentis vanitatis, in alimentum divini amoris, conversis; pedes Christi lavans, cor tuum eluisti, sæculis omnibus facta sancta illecebra & exemplum pœnitentiæ, amore Dei animatæ, ideò tibi dolenti multum, remissa sunt peccata multa; *quia dilexisti multum*; quanto lacrymis tuis; velut vino gaudentium Angelorum,

rum, Seraphinos, ac reliquos choros omnes, ipsumque *Angelorum* Regem, pretioso amoris nectare ac ambrosiâ recreasti. Cœpisti tunc rigare pedes Jesu; ut nos exemplo tuo idem agere pergeremus: cœpisti, nec desiisti, usque ad Christi Crucem, mortem, sepulchrum, resurrectionem; imò usque ad mortem tuam. Nam navi laceræ, sine velis ac remis, cum fratre ac sorore, imposita, à cælesti navarcho Massiliam pervecta, ibi à dracone territa, sed non victa, dicebas deinde, te *amoris dulcedine in lacrymas resolutam*, humique prostratam, post victoriam, dixisse: *Gratias tibi, Christe amor, quòd me liberasti!* Fac, ut vincam & ego draconem illum, & me ipsum: fac, ut gratias & ego agam in me victori.

S. Maria Magdalena, cui in antro dæmones, Angelos lucis mentiti, suavissimo cantu aures mulcebant; sed ajebant, tantam orandi assiduitatem animæ tuæ non expedire, at verò te dilectum Jesum inclamante, impostores illi omnes in fugam compulsi sunt à s. Michaele victore, qui crucem, in antri tui aditu, defigens dixit; *Cave, ne extimescas, quia custos tuus est Altissimus*, atque in illius Crucis amplexu dicebas te *vehementissimi amoris flammam persensisse*. Doce me Crucem amplecti; doce persentiscere flammam illam, magistram cordis mei.

In eodem tuo antro vidisti Christum, inter Angelos, florum serta gestantes, & olivarum, palmarumque ramos habentes in manibus; aliàs quoque ab eodem plus quàm centies visitata. Dixerat ille tibi jam pridem; *Remittuntur tibi peccata*: & tamen plus quàm triginta annos in antro illo, opti-

optimam partem eligens, tuam carnem inediâ, dolore, silentio, flagris, frigore, ac aliàs variè cruciâsti, & macerâsti, divini amoris instinctu, ac monitu magistri tui S. *Michaelis*, Præpositi animarum, tibi dicentis: Deus; quem tu, ô Magdalena, concupiscis, & semper habes, te vult hunc locum lacrymis irrigare profusis; ut futuris sæculis exemplum pœnitentiæ perpetuò sis. Ibi ab Angelo, ad introspiciendos purgatorii cruciatus deducta, majore intùs amoris igne accendebaris, ajebasque posteà; *Frigus, ac gelu divino igne succensa jam non curabam.* Crescebat verò in te ignis ille, quando septies quotidie, unà cum corpore illo, tot cruciatibus exhausto, ab Angelis elevata sublimis in cœlum, in illo divini amoris regno, canentes divinum amorem *Angelos* audivisti. Denique post tot annos in amaritudine pœnitentiæ (sed dulcedine amoris) exactos, die quadam Dominicâ, in aurora, S. Maximino Ep. in Ecclesia *apparuisti, duobus cubitis à terra elevata, in medio Angelorum, lumine multo circumdata; & coram Clero, ac populo cum multis lacrymis, Eucharistia sumpta; spiritum ibi reddidisti Deo.* Gratias ago Deo pro te, ac tecum, pro infinito illo amore, quo te dilexit usque in finem. Gratulor tibi: fruere æternitate amoris multùm diligens, multùm dilecta! Doce me quoque, qui hactenus tam parùm dilexi, doce me deinceps multùm diligere; ac peccata omnia, dilectionis magnitudine superare. Fac, ut & bona quæ accepi, & mala quæ reddidi, doceant me amorem solidum; ut è nigris peccatorum carbonibus fiant totidem prunæ Seraphicæ amoris Dei carbones illos inflammantis.

s. Maria Magdalena, ad cujus corpus post mortem, reperta est ampulla pretiosi Sanguinis, à te sub Christi Cruce, collecti, quem aliquando, die Parasceves, perlectâ Christi morientis historiâ, colliquefactum ajunt; ex ore autem tuo, in sepulchro, crevisse palmitem vitis, cum foliis viridibus prodeuntem. Quæ ad te peregrinabundos, vel aliàs tibi supplices, novis atque antiquis exemplis id loquentibus, à morte jam imminente, à desperatis cogitationibus, à variis corporis animique morbis, persæpè etiam conspecta, liberâsti: fœminam per annos triginta deliram, hominem suspensum, alium ab equis obtritum, alium luscum, aliam mutam, surdos duos, persanâsti, cujus reliquiis admotum annulum non potuit digito suo priùs imponere quidam turpi scelere maculatus, quàm pœnitentiæ Sacramento conscientiam perpurgaret, exin potuit. Quæ in carcere nobilem & innocentem quendam visens, eum libertati repentè reddidisti: Eliæ cuidam, clienti tuo, sed *tepido* ac in benè inchoatis vacillanti, apparuisti, *pedes floribus redimita*; cum accendisti, constabilivisti, animasti, cùm ei amanter dixisti: *Inconstans, & rudis, propter te ego adsum, & per me, modò velis, anima tua in æternam vitam dirigetur, Tu hinc à meo servitio discedere cogitâsti.* Accende me quoque; ne unquam elanguescat in me optimus ille ignis.

s. Maria Magdalena, quæ hoc tuo die, à s. Mechtilde conspecta es cum Christo, dicente; *secundùm magnitudinem amoris* tibi præmia in cœlo esse decreta, simulque illa tunc didicit ab eodem, laudare Deum *in vulneribus*, quæ tibi *amor* in Christi Passione

sione impressit, *corde tuo, veluti sagitta transfixo.* Imple cor meum illo amore; imple os meum illâ laude.

O cordis felicissimi Maria Magdalena, cujus *cor igneum* totum toti corpori tuo lucem affundens hoc tuo die vidit eadem s. Mechtildis, qui tui cordis *ignis* à Christo, peccata tibi remissa dicente, inflammatus, *adeò posteà in te convaluit, ut omnia, quæ postmodùm ageres, seu cogitares, in ignem illum verterentur*, simulque, tunc divinitùs edocta es, *animam fieri totam igneam ab amore divino*; adeò, ut hominis, illo amore succensi, omnes actiones fiunt velut *ligna, igni injecta*, quæ, *in amoris ignem commutata*, alunt & augent *ignem in corde* illius. Unde &, si quod leve peccatum committat, *totum hoc igne absumi.* Vidit & è pedibus Christi, quos tu lacrymis rigaveras, excrevisse arbores, plenas fructu pœnitentiæ pulcherrimo, quem tu carpens, iis præbebas, qui ad te veniebant, didicitque; te *omnibus te invocantibus, veræ pœnitentiæ gratiam impetrare*: te quoque posterius disertè id promittente, eum, qui Deo gratias agit pro lacrymis tuis, & pro amore, quem dilectus tuus tibi Jesus tibi, suos pedes lavanti, tergenti, osculanti, infudit, teque *amore totum implevit*, petens veræ pœnitentiæ donum, & divinum amorem; impetraturam, ut expiatus *in divino amore proficiat.* Gratias ago Deo meo, ac tuo, pro benignis oculis, quibus te aspexit; pro igne, quo te in lacrymas solvit; pro gratia omni & gloriâ, quâ te ditavit; pro omnibus ac singulis actibus amoris, quibus ei placuisti, gratias illi ago, & per illum amorem peto, ut in sui amoris horto plantet arborem

borem pœnitentiæ meæ, ut dignos fructus pœnitentiæ feram, & quotidie *in divino amore proficiam.*

S. MARIA Magdalena, cujus hoc die, s. Francisca Romana vidit Ss. Eucharistiam, instar flocci nivis pulcherrimæ; audivitque rhythmum *de divino amore* suavissimum; & quod ii, qui *divinum amorem* volunt possidere, debeant se voluntate suâ exuere, obedire, ac pati; cumque festum tuum in cœlo celebraretur, Sancti gratias agebant Deo pro *amore*, quo te *vestivit*, & in suo amore sustinuit. Tu verò Sanctos omnes, ad gratias Deo, pro beneficiis in te effusis, agendis invitans, & Franciscam ad dulcem Dei amorem cohortata, dicebas Deo: *Laus tibi, Amor divine, qui me posuisti in tali itinere! Laudemus amorem.* Laudo Amorem te amantem, & à te amatum, ago illi gratias pro utroque, ac peto, ut cor meum ingressus possideat, & ibi fundet academiam pœnitentiæ, ac amoris. Amen.

Sancta Syntiche, è primitivæ Ecclesiæ Sanctis una.

s. Plato uncis ferreis, igne, grabato æneo, & aliis immanibus tormentis, diu, ac plurimum cruciate; qui te extremo die vocem illam exspectare ajebas: *Venite Benedicti!* qui denique, ubi generosissimum caput gladio subjecisti, singularem te, in subveniendo captivis, post mortem etiam ostendisti.

s. Theophili prætor, gladio cæse.

s. Cyrille, docte, & sancte Ep.

sancte Hieronyme, in Episcopum cælesti calculo electe: qui veste tuâ tegens nudum pauperem, illum à febribus liberasti; pallium

pallium verò, apud Regem, Solis radio, veluti trabi, imposuisti.

S. Menelee Abba.

S. Wandregisile regii palatii Comes, Sponse Virgo; qui Sponsâ Christo velatâ ipse cœnobita es factus: cujus vestes, in pauperis obsequio, infectas mundavit Angelus, & promisit se benè a te factorum testem, & in cœlis laudatorem fore: qui ultimùm æger, victis dæmonibus, Cælites tibi gratulantes audivisti.

S. Joseph Comes, mirabiliter converse, & fidei Catholicæ, contra hæreticos, fortissime defensor.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, de succursu, *quæ paralyticæ Panormi hodie apparuisti, & argenteo illam cingulo cingens, confestim sanâsti; cingulum verò tuæ imagini offerri jussisti. Cinge me cingulo tuo puro sancto; ut, lumbis præcinctis sim expeditus ad itinera æternitatis!*

S. MARIA, *quam quòd* S. Maria Magdalena *Christi Filii tui causâ*, valdè dilexerit: *à Christo* S. *Mechtildi laudata est. Fac ut te* valdè diligam. *tui Christi amore ille amor doceat me odisse me, amare te!*

23. *Julii.* 10. *Kal. August.*

SAncti tres sapientes Reges, Caspar, Melchior, Balthasar, auro, thure, myrrhâ JESUM, Deum, & hominem, ac Regem adorantes; quorum corpora, solenni pompâ, hodie Coloniam Agrippinam delata sunt, nobilissimæ Urbis perpetuum decus &

præ-

præsidium. O JESU, Rex meus & Deus meus, qui Gertrudi, nomine omnium cælestium, terrestrium & infernorum, te cum tribus Regibus adoranti, & quicquid boni vel mali factum ab ullo est, *in camino tui amoris*, exurendum offerenti, dixisti; te omnia æterno Patri offerre, universâ cæli curiâ exultante, ac te illo munere jucundissimè delectari; ostendens illi ea omnia, instar gemmarum, in gloriæ tuæ coronâ splendentium. Indè pro salute cujuspiam orantem monuisti; *Offer mihi ejus pedes, manus, & cor*; seu desideria, actiones, & voluntatem, divinæ voluntatis ancillam, per consilium, ab alio obedienter acceptum: hanc enim tibi fore gratissimam, instar electri, seu argenti, auro conjuncti. Sanctæ verò Mechtildi conspectus, dixisti: Ecce do tibi *aurum*, hoc est, *divinum amorem meum*; *thus*, sanctitatem, & devotionem; *myrrham*, amaritudinem Passionis meæ. Offero tibi omnia bona, & mala mea, in amoris tui camino exurenda, perpurganda, & igne tuo alenda. Ille tuus amor alat corpus meum myrrhâ mortificationis, animam verò thure orationis, & sancti fervoris auro ignito, Amen.

S. Apollinaris Episc. S. Petri discipule, qui loquax dæmonis oraculum obmutescere, mutos loqui, mortuos vivere, orando fecisti; qui virgis cæsus, ardentes carbones nudipes illæsus calcâsti, equuleo, infusâ in vulnera ferventi aquâ, cruciatus, ore lapidibus contuso, in ferreis vinculis Româ procul exul tandem Ravennæ migrâsti gloriosus; & Henricum, de æternitate in morte periclitantem clientem tuum, coram tribunali Christi, cùm Beatissimâ

Virg. & S. Andreâ, defendiſti. Defende & me, ut vincam ſecurus, in amaro illo, & periculoſo meo agone, agone ultimo, agone æternitatis meæ.

s. Raſyphe M.

s. Primitiva V. M.

Ss. Apolloni & Eugeni, MM.

Sancti Trophime & Theophile, lapidati, igne incenſi, gladio cæſi.

Omnes Ss. in Bulgaria MM.

s. Libori Epiſc. quem in extremis poſitum, S. Martinus divino monitu viſitavit: qui ægris, contra dolores calculi, ſingularis à Deo patronus es datus.

s. Brigitta Vid. hodie defuncta, quam, tunc, adhuc parvulam, Chriſtus ad ſe vocavit, & coronâ pretioſâ coronavit; cui primum crucifixus Jesus, poſteà teterrimus dæmon apparuit, ſed dixit: *Nihil poſſum niſi permittat Crucifixus.* Cui S. Joannes Baptiſta aliquando conſpectus, dixit: Quandoquidem plorasti, quòd filius tuus offenderit me, non jejunans in vigilia feſti mei, malleſque eum ſervire mihi quam regiâ dignitate excellere; idcircò ego illum adjuvabo, & armis meis communiam: cui parturienti Beatiſſima Virgo apparuit teque juvit: cui s. Dionyſius, tibi ſe coram ſiſtens, dixit; te, tanquam quæ illum peculiari ſtudio coleres, à Deo eſſe ſuæ curæ commiſſam: cui Deus imperavit, ut viſa tua cæleſtia, cum Mathia, ſpirituali tuo patre conferres; in quam viſus è cœlo ignis deſcendere, videbaturque idem ex ore tuo prodire, ac omnes inflammare; quam Beatiſſima Virgo, ac Sancti varii, è cœlo, documentis cæleſtibus erudierunt: quam

quam quinto ante mortem die visens Christus, dixit placere Deo, ut parcas laboribus: accipere illum voluntatem tuam operis loco: quinto post die, te ad monasterium tuum, id est, ad Christi gaudium, abituram: quæ è superbo religiosi cujusdam Ordinis Theologo fœtorem magnum erumpere sentiebas, Doce me benè uti scientiâ Sanctorum: fac me bonum JESU, MARIÆ, Angelorum, Sanctorumque discipulum.

S. Romula Virgo, quæ paralysi diu afflicta, ante mortem, cælesti lumine perfusa, à Sanctis visitata, inter odores cælestes, & psallentium Cælitum choros, migrâsti.

Sanctæ Redempta & Herundo virgines.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA s. Brigittæ *magistra consultrix, quæ illam coronâsti, mira ei revelâsti, & filium ejus in agone defendisti. Doce me nunc; defende tunc, & corona!*

24. Iulii 9. Kal. Aug.

SAncta Christina V. prophetiis, miraculis, & horrendis, quæ pro animabus in purgatorio gementibus perpessa es, mirabilis: quæ Ludovicum Comitem, & morientem, & mortuum juvisti; ac posteà gratias agentem, atque in splendore cælum intrantem conspexisti: quæ post aquas glaciales, ignes, vepreta, rotas, & alia ultrò pro animabus illis suscepta supplica, ante mortē, vivi Angeli instar, cantus, quos cœlitus didiceras, de cælesti gloriâ modulata Angelis accinentibus, animam expirasti. Impetra cordi meo generosos illos erga illas animas affé-

affectus; ut ita pro illis orem, & patiar, ut & tu, & illæ mihi morienti adsint, ut post mortem sanctam, unà tecum, & cum illis, fruar æternitate, ac beatitate. Amen.]

s. Christina V. quæ catechismum ab Angelo edocta, comminutis, & in pauperes erogatis aureis & argenteis patris idolis ditissimè cruciata, & cum saxo in lacum projecta, indè ab Angelis liberata; deindè in fornace ardente, per quinque dies, illæsa, serpentes superasti, & abscissâ linguâ, sagittis confixa es.

s. Vincenti, Martyr.

Sancti octoginta tres martyres milites.

s. Victor miles, cum duobus fratribus, per diversa supplicia Martyr.

Sanctæ Niceta & Aquilina, capite obtruncatæ.

Ss. Cleonice, Stratonice, & socii Martyres, qui inter tormenta orabatis: *Dimitte, Domine, peccata nostra nosque sanctis Martyribus, dira supplicia perpessis adnumera!*

s. Juliane M. cujus oratione se cruciari dæmones fatebantur.

Ss. Menee & Capito, MM.

s. Ursicine Episc.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 4.*

s. MARIA, *quæ Hispanos in spelunca tua te invocantes, contra Mauros defendisti; Maurorum jacula & lapides in ipsos Mauros retorsisti tuos, victores fecisti. Fac, ut hostem, me tentantem, ita vincam, ut ex tentatione ille damnum, ego proventum reportem semper!*

25. Julii. 8. Kal. Aug.

SAncte Jacobe major, Apostole, Joannis frater, morientium advocate, qui innocentem, suspensum in patibulo, mori non permisisti; qui Carolo Magno, aliisque clientibus tuis, in agone supremo certantibus adfuisti: qui Beatissimam Dei Matrem, tum adhuc vivam, in Hispania, te super columnam invisentem, vidisti, eique templum condidisti; qui denique patratis miraculis, Apostolorum primus Martyr cecidisti, capite pro Christo plexus. S. Jacobe, adscribe & me in eorum clientum numerum, quos morientes juvisti, juvas, vel adjuturus es, Jesu, MARIÆ, & tibi, ac Joanni fratri tuo, commendo agonem meum. Vos me mori ne sinite imparatum. S. Jacobe, de quo S. Gertrudi loquens Christus dixit; te à se *amari*, ac honorari, ob zelum, quo, *amore Dei*, incitabaris ad salutem animarum: licèt non tantum potueris, quantum voluisses. Fac, ut velim, amore Dei, quicquid possum; & desiderem posse plus, quàm possum. S. Jacobe, qui Emericum Ungarum, nobilem peregrinum, ad S. Annæ honorem & cultum ubique dilatandum, & ad certas, tertiâ quavis feriâ, preces, coram ejus imagine, ardente cereo, constanter recitandas, hortatus es, & ille tuis consiliis obsecutus, procurata suis expensis insigni S. Annæ imagine, *JESU, MARIÆ, ANNÆ*, amore, omnes, quos poterat, accendebat. Deinde in præsentissimo naufragii periculo exclamavit: S. *Anna, succurre nobis!* & mare illicò à tempestate conquievit; Emericus verò S. Annæ imagini verba illa:

S. Anna, succurre nobis! aureo charactere inscripsit. Cùm autem imaginem publicæ pietati propositurus, eam in altiore muro collocaret; scalis sub pede collapsis, S. Annæ opem implorans, manu ad pictam vestis S. Annæ laciniam admotâ, illam tenere videretur; ipse à S. Anna in aëre tenebatur divinitùs attonito populo universo, usque dum scalæ afferrentur, per quas descenderet. Demum in Ungariam redux, & pristinis, quibus exciderat, fortunis restitutus, honoribus à Rege auctus, ita vixit, manu consilii tui, ac S. *Annæ* ope adjutus, ut moriens à *JESU, MARIA, ANNA* visitatus, ad patriam demũ cælestem æternum felix appulerit. Dirige me quoq; tuis consiliis; & fac, ut in morte *JESU, MARIÆ, ANNÆ*, ac tuam opem felix experiar. *Amen.*

S. Anna, quæ hoc die Vindanæ in Gallia, pio tuo clienti conspecta es in veste candida, nubeculam calcans, cum *accensa face in manibus:* ac Ædem, jam aliàs tibi erectã, sed destructam, instaurari jussisti. *Accende* cor meum face tuâ: fac, ut accensam divini amoris facem, non corde tantùm & ore, sed manu quoq; id est, actuoso exemplo, circumferam: & bona, quæ in me ac aliis malè diruta sunt, restaurẽ.

S. Christophore, qui in Lycia, pluribus hominum millib⁹ conversis, virgis ferreis, ignitâ galeâ, scamno ferreo, ferventi oleo, sagittarum jactibus, exercitus es; & sagitta una, te illæso, ad mittentis oculum reversa, illum exhausit; qui tamen, tuo sanguine adhibito, est iterùm restitutus, priùs autem, quàm capite minuereris, à Deo impetrasti, ut locus ille, ubi humandus eras, à peste, igne, fame, grandine, permaneat immunis.

S. Ca-

S. Cucuphra, gladio Martyr.

S. Paule, qui pro variorum conversione, ac demum pro judice, & carnifice precatus, caput dedisti Martyr.

S. Valentina Virgo, & socia V. quæ dirissimè cruciatæ, in ignem estis conjectæ.

Ss. Florenti & Felix MM.

S. Joannes Agne, quem, ex agricola, Tungrensem Episcopum fore prædixit Angelus: qui defixo humi baculo, & radices agente, ac frondes, fructusque, atque ea quæ *S. Ioannis poma* dicuntur, proferente, insulam accipere debere didicisti.

S. Theodemire M.

S. Magnerice Ep.

S. Glodesindis Princeps Virgo, zelo puritatis, & Angelorum familiaritate, felicissima; cui Sponsum fugienti, velum pro capite per Angelum misit Deus, quo velata religiosis Virginibus præfuisti.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *quæ hodie mortuo tuo* Thomæ à Kempis *conspecta olim amplexum negasti, & inconstantiæ in precibus arguisti. Fac me, solidè perseveranterque ad obsequia tua intentum, usque ad finem; ita æternum complexum sperabo à Deo per te!*

26. *Iulii.* 7. *Kal. Aug.*

SAncta Anna MARIÆ Dei Matris mater, avia mei JESU! Gratulabantur posteà Elisabethæ, de Ioanne nato, vicini: ego tibi gratulor de MARIA. Depone illam in corde meo; commenda me illi; ut

me ſuis, ac ſui JEſu obſequiis dignum reddat. Per illum quo te Deus JEſus, & MARIA filia tua dulciſſima, honoravit, amorem & honorem, oro te, ora pro me, ut ita te colam, ita morti me parem, ut experiar id, quod moriens quidam cliens tuus, à MARIA filiâ tuâ audivit: *Ego ſoror tua ſum: nos infernum, ne illum intres occludemus, quia matrem meam honoraſti ſemper.* Fac, ut ita te honorem, uti tu digna es, ô *Mater honorificata*; ut ſim dignus amore tuo, & albo clientum tuorum: quorum uni aliquando conſpecta, dixiſti: *Neſcis, quòd in manu mea ſint omnes theſauri paradiſi?* Ex omnibus paradiſi theſauris peto, ut pro me impetres aurum illud ignitum amoris Dei; ut ſim *in Deum dives* auro illo, amore illo, qui ei maximè placet. Antiquo, & recepto, ac experimētis probato, tuorum ſenſu, flagrans erga te amor & cultus, addictos tibi clientes, tepidos eſſe non ſinit in amore Dei, ac Matris Dei, & crebra exempla loquuntur, à te *multos tepidos igne divini amoris inflammatos*: Quæ S. Brigidæ, tuas reliquias piè colenti, adſtitiſti, & dixiſti: eas *diligentibus* fore ſolatio. Fac me diligentem: ut amore Dei mei, ope tuâ, ſim in omnibus accuratus. Quæ templum tuum in Ungaria, ne à Turcis, id impensè conatis, comburi poſſet, defendiſti; Turcâ quoque, rei admirabilitate attonito, & converſo, ac deinde, in tempeſtate, à te ſervato, & ejus conjuge, in magno vitæ periculo, adjutâ, domoque illâ totâ ad Chriſtum conversâ. Per quam plures, in rei familiaris anguſtiis, magnum ſe adjumentum expertos, grati teſtati ſunt, quos inter fuêre in Sicilia piſcatores, qui cum nihil piſcium capere poſſent, & magna ege-

egestate premerentur; tuo nomine implorato, ingressa est rete permagna copia piscium, eò majore piscatorum gaudio & admiratione, quòd tuum, S. *Anna*, nomen in dorsis piscium legeretur, contestatis id plurimis testibus oculatis. Quæ plures à peste, à periculosis carnis, dæmonisque tentationibus à cæcitate cordis & oculorum, à vinculis, à variis corporis & animi morbis, liberâsti: multis in extremo agone adfuisti; nonnullis à morte ad vitam revocatis. Quæ cuidam, in gravi tentatione posito te imploranti, & dicenti: S. *Anna ego animam meam depono ad pedes tuos! S. Anna mea, libera me ab hac tentatione!* victoriam procurâsti, aliàs semper victo. Quæ quosdam ad fidem, non paucos ad bonam frugem convertisti, viduam, tibi addictam, eoque pudicam, implorata, contra petulantes juvenes defendisti, quando illis, cœlesti majestate spectabilis, & amatis cincta, conspecta es, eosque fugâsti, & viduæ per quietem visa, dixisti; Ego sum Anna, quæ te ab illis liberavi, & illos jam in carcere esse dicens, vetuisti, ne malum pro malo redderet, illos servos tuos fore, quare dici Judici voluisti, ut eos liberos è carcere dimitteret, illi verò dimissi se religioso Ordini addixerunt. Quæ S. Coletæ Virgini, tibi addictissimæ, visa es cum *aureo vase*, in quo reponebas preces omnes, quas in sacello tuo Coleta fundebat, quas tu exin Deo, cum omnibus cæli civibus, offerebas pro Coleta. Accende & meas preces: fac, ut sint dignæ, quæ in *auro* divini amoris vase offerantur Deo. Quæ, unà cum Filia tua *MARIA*, & Mariâ Magdalenâ, laborantibus in agro religiosis clientibus tuis, adfuisti,

& sudorem illorum amanter abstergere es conspecta. Doce me ita omnia facere, quæ facio; ut omnis meus labor ac sudor placeat Deo, Dei Matri, tibi, Magdalenæ, ac omnibus, qui in cœlo requiescunt à laboribus suis. Quæ Anachoretæ, afflicto clienti tuo in Ungaria, te oranti, per quietem visa es, in specie arboris, eum à crebrescentibus tonantis ac fulminantis cœli injuriis defendentis; & esurientẽ fructu suavissimo recreantis; eumque deinde ab iis quibus premebatur, ærumnis liberasti. Quæ juveni, ad vomitum reverso, & in pio quodam colloquio, de tua ad flectendas rebelles obstinatorum voluntates efficacitate, audienti, eoque ad quædam erga te pietatis officia, frequentanda, permoto, per quietem conspecta, dixisti; *Vade: cras confitere.* Esto efficax in flectenda ad id, quod Deo placet, rebelli meà voluntate, fac, ut sæpè, ac semper sanctè confitear. S. Anna, quam laudandi modum docentes nos *Angeli*, in Vilanovano tuo apud Hispanos, templo canere sunt auditi; *Beata Anna, qua semper regnas cum Angelis, illic nostri sic memor esto, ut tuo mereamur sociari collegio!* cujus imago, cum Jesu nepote tuo, ac filiâ tuâ Maria, olim apud Ungaros nummis aureis ac argenteis imprimebatur, cujus reliquias in Gallia apud *Aptam* Juliam, primus detexit Joannes mutus, tùm primùm locutus, &, è cæco ac surdo, factus videns ac audiens. Illumina sensus meos; ut iis honorem te, & gratias agam tibi pro omnibus maternis obsequiis, filiæ tuæ, Dei Matri, Dominæ meæ, tenerá charitate impensis. O Jesu, ô Maria, audite deprecantem pro me sanctam Matrem *Annam*, nunc, & in hora mortis meæ, Amen.

S. Eraste Ep. M

Sancti Symphroni, Olympi, Theodule, & Exuperia, per ignem Martyres.

S. Hyacinthe, qui Luxurium, persecutorem tuum verè prædixisti à serpentibus devorandum: cui cùm ignis nil nocuisset, & aquæ injectus, illæsus inde evasisses; auditus, & visus est ab impio quodam ad aquam inambulans, & psallens jucundè: *Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*; tandem capite plexus es, Martyr.

S. Pastor Presb.

S. Valens Episc.

S. Simeon Eremita, dæmonum triumphator, Mariani honoris, per miraculum vindex, miraculis magne.

S. Christiana V. Regis filia, à misso è cœlis, sub specie pauperis, Angelo instructa, & baptizari jussa.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, quam flagranter in adversis rebus invocantes à se singulari amore foveri dixit S. Brigitta S. Anna *Mater tua. Fac, ut ita te invocem in prosperis, & adversis; ut sim tua, & illius, perpetuâ ope dignus!*

S. MARIA, quæ S. Annam *Matrem tuam à cliente tibi addicto celi jussisti, & modum in hæc verba docuisti*: Benedicta sit S. Anna Mater tua, ex qua sine macula caro tua processit virginea! *Alii conspecta, eos laudasti, qui te amore Filii tui amant; & hortata es, ut ipse etiam* S. Annam *matrem tuam honoraret, ac magna cum pietate coleret ejus festum. Quæ* S. Annæ *statuam religioso filiarum tuarum cœnobio dedisti, & cuidam dixisti*: Quicquid Annæ matri

meæ reverentiæ impenderis, mihi dupliciter gratum erit. *Alii Rosarii tui, ab eo recitari, pietatem laudans, consilium dedisti, ut Rosario recitato, etiam in honorem* S. Annæ *matris tuæ, semel orationem Dominicam, & salutationem Angelicam adjungeret; id enim tibi placiturum, & adjunxisti:* Scias velim, eos, qui ei impensius honorandæ sunt addicti, magnum levamentum in omni necessitate, ac potissimùm in extremi agonis angustiis, habituros. *Fac, Domina, ut ita honorem, & colam sanctissimam tuam Matrem, prout maximè tibi placet: ut sim dignus amore Filii tui, ac tuo; quòd illius aviam, tuam matrem, amore illius, ac tui, honorarim!*

27. *Julii.* 9. *Kal. Aug.*

SAncte Pantaleon Medice, qui tuum etiam patrem convertisti; & post ægros, miraculis sanatos, ignes, oleum, laminas, aquas, rotas perpessus, à Christo visitatus, capite plexus, lac dedisti pro sanguine. Sancte Medice, curam mei habe pro æterna vita, in morbo ultimo; ut ad æternam æternæ sanitatis patriam perveniam, ubi morbus nullus, omnis verò sanitas est. Amen.

S. Hermolae Presb. qui S. Pantaleonem convertisti.

Sancti Hermippe & Hermocrates, fratres MM.

Sancti Felix, Julia, & Jucunda, Martyres.

Sancti Maure Ep. Pantaleemon, & Sergi MM.

Sancti Martyres, hodie pro Christo combusti.

Sancti Georgi, Felix, Aureli, Natalia, & Liliosa, Martyres.

Sancti

Sancti septem fratres, Maximiane, Malche, Martiniane, Dionysi, Joannes, Serapion, & Constantine; qui divinitus, admirabili duorum, & ampliùs sæculorum somno correpti, divina quadam specie fulgentes reperti, post mortem apparuistis.

B. Ætheri Episc.

B. *Anthusa* Virgo, mira passa.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4

S. MARIA, *quæ hodie mortuum*, Jacobum *I. Aragoniæ Regem, contra Mauros, trigesies victorem fecisti, oranti conspecta, eum de zelo fidei laudâsti. Adesto mihi pugnanti cum dæmone, Maurus pejore hoste; ut semper vincam!*

28. *Julii.* 5. *Kal. Aug.*

SAncti Nazari magister, & Celse puer discipule, qui in mare dejecti pro Christo, indè mirabiliter evasistis; quorum capite plexorum corpora diu post, Dei monitu, à S. Ambrosio reperta, recenti sanguine aspersa visa sunt. Suscipite curam animæ meæ, ne, quando ex hoc mari mortuo eluctabitur, in ipso portu æternitatis bonæ, naufragium æternum misera patiatur, Amen.

S. Victor Papa, *Martyr.*

S. Innocenti Papa.

Omnes sancti Martyres, tardis pro Christo suppliciis, lentâ morte, crudelissimè occisi.

Sancte Martyr, post equuleos, laminas, ac sartagines, melle peruncte, ligatis manibus, sub ardentissimo sole, fucorum ac muscarum aculeis exposite.

Sancte Martyr, qui inter flores vinctus, in impudicissimi scorti faciem, generoso morsu, præcisam linguam tuam expuisti.

S. Eustathi M. post varia tormenta, in flumen merse, indè ab Angelo erepte, denique à Columba, è cœlo adveniente, ad præmia æterna vocate.

S. Acuti M. qui post pœnas diversas, in fornacem injectus, ac illæsus, capite plexus demum es.

S. Sampson Episc. qui spectante Galliæ Rege, immanem mole, formidandumque serpentem, obedientem habuisti: è cujus, divina celebrantis, ore ignis erumpere est conspectus: qui ad aras Angelos tibi semper ministrantes vidisti, qui, anno ætatis centesimo vigesimo, moriens, inter extrema verba tuis dixisti: *Laborate, quantum potestis, quia non potestis quantum debetis:* in cujus exequiis chori Sanctorum Angelorum, Archangelorum, Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum, canere sunt auditi. Invita illos omnes, ut me ad laborem accendant, & morientem juvent.

S. Peregrine, miraculis illustris.

S. Botuide, regni Sueciæ patrone; cujus cadaver, ductu avis candidæ, à Deo missæ, repertum est.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 4.*

S. *MARIA, Silvaducensis quæ hodie, ob naufragos ereptos, Foyensis, quæ ob infantem vitæ redditam, celebraris: eripe me; redde] me vitæ, ac portui æterno, ubi nec mortis, nec naufragii periculum est!*

29. *Julii.* 4. *Kal. Aug.*

SAncta Martha Virgo, solicita propter Christum circa plurima; cui morienti apparens, unà cum sorore tua Maria Magdalena, Christus dixit; *Veni, hospita mea dilectissima! quemadmodum tu quondam tuâ me domo recepisti; sic ego te recipiam in cœlestem domum meam:* esto etiam de me solicita pro illo *uno necessario*! In tui, & sororis tuæ Mariæ, gratiam, fratrem tuum Lazarum suscitavit à morte hospes tuus Christus; in tui etiam, & sororis tuæ gratiam, me morientem suscitet ad æternitatem vitæ idem Jesus; ut ita, pro illo, hic circa plurima sim solicitus, ut moriens *illud unum necessarium* acquiram. Amen.

S. Felix Papa, gladio M.

Sancti Simplici, Faustine, & Beatrix eorum soror, Martyres.

Sanctæ Lucilla, & Flora Virgines; Eugeni, Antonine, Theodore, & socii decem & octo Mm.

S. Callinice, post virgas ferreas, in fornacem injecte, M.

S. Athanasi Ep. sine querela, *vehementissimo Christi amore* amabilis, qui dynastas etiam ausus es objurgare, nullo humano respectu perterritus.

S. Olave Rex, qui noctu apparentem tibi JESUM conspexisti dicentem; *Veni, dilecte mi! accipe coronam, quam tibi præparavi in æternum:* qui scalam, in cœlum usque protensam, per quietem vidisti; legum Ecclesiæ exactissimus observator, posteà Martyr.

S. Lupe Episc. ciliciis, jejuniis, oratione mirabilis; qui *Attilam*, flagellum Dei, tuâ præsentiâ domuisti.

Ss. Guilielme & Prosper Ep.

Ss. Faustine.

Sancta Seraphina.

B. Beatrix, cujus Missæ sacrificio intentæ, *cor* latè sese aperuit, & iterùm illicò sese conclusit; cujus cor aliàs, in *Sacro*, Christus, velut igneo jaculo transfixit, teque sibi dilectam, dixit: quæ aliquando mundum universum, quasi rotam, pedibus tuis subjectam vidisti; cujus cor quandoque, ad guttur usque, cùm orares, ascendere videbatur. Doce & cor meum attentè flagranterque orare, ac amare, ut non linguâ tantùm orem, sed & corde, ascendentes usque ad cor Dei.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cui devotus* Urbanus II. *Pontifex hodie mortuus, Officium instituit pro victoria, quæ contra Saracenos, in Asia, obtenta est. Fac, ut ita orem: ut meæ preces me, ope tuâ paratum sistant periculosæ contra dæmones pugnæ, & vincam per te!*

30. *Julii.* 3. *Kal. Aug.*

Sancti Abdon & Sennen, Persæ nobiles, ob humata Christianorum corpora, comprehensi; qui, ubi simulacra conspuistis, ursis, ac leonibus objecti & illæsi, gladiis cecidistis, victima nobilis Deo. Habuistis vos mortuorum curam; habete & mei moribundi: non neglexistis corpora; non negligite hanc animam. Si enim in cœlo animam hanc

meam

meam collocaveritis. illic postea erit etiam corpus unà cum anima vobiscum, in illa glorificatorum & corporum & animarum, æternitate. Amen.

Sanctæ Maxima & Donatilla, sorores Virgines, aceto, & felle diu potatæ; virgis, & calce viva cruciatæ in equuleo, & deinde in craticula, ad torrendum, extensæ: quarum plantas lambens ursus ferox eas non momordit; quæ demum gladio cæsæ estis.

s. Secunda, duodecennis parvula, quæ duarum illarum Virginum exemplo accensa, unà cum illis, bestiis ferocibus objecta es; ubi cum omnes tres jam in preces fusæ, jam inter mutua oscula, vale vobis ac mundo dicentes, jucundo & miserando spectaculo feras expectatis, ab illis nil tacta, mortem desideratam gladio excepistis.

s. Rufine M. in cujus mortui ore florens lilium est repertum, in quo ter impressa *Veritas* legebatur

s. Julitta, per ignem Martyr.

S. Urse Episcope.

Omnes Sancti, &c. *pag.* 4.

S. Maria, *cui hodie* s. Joseph *Confessor, cum Ecclesia Græca sic loquitur*; Prodigiorum omnium fines excedit prodigium, in te sola patratum. Tu nunc intaminatas manus tuas expande; ut protegas munimine tuo confisos. *Doce me bene in te confidere; ut sim dignus pro quo manus expandas!*

S. Maria, *quæ ad* B. Arnaldi *Archiepiscopi preces, visa es è cœlo descendere, & hostium hæreticorum stragem ingentem edere, globis igneis in eos è cœlo jactatis. Defende me contra hostes, & contra me ipsum!*

31. *Julii.* *Prid. Kal. Aug.*

SAncte Ignati, divine vir, cui oranti crucis bajulus Jesus dixit: *Ego vobis Romæ propitius ero.* Intercede pro me apud tuum Jesum, ut mihi sit propitius in vita, in morte, in æternitate. S. Ignati, qui in Regulis, & exercitiis condendis, & aliàs, magistrâ Maria es usus; à qua etiam artem peculiaris examinis didicisti, & ad mortem usque exercuisti, ac tuos docuisti; ora, ut sim bonus Mariæ servus, docilisq; discipulus, qui eadem, quâ Romæ expirasti, horâ, ab Angelis in cœlum visus es inferri: in cujus tumulo stellæ conspectæ, & inter odores auditi concentûs Angelici; à quo fundata Jesu Societas, sub Beatissimæ Virginis pallio conspecta est, & visa à s. Teresia, in cœlo mirabili gloria triumphare; cujus filii, s. Xaverius, Sancti Paulus, Joannes, & Jacobus, Martyres, ac Beati Franciscus Borgia, Aloysius Gonzaga, & Stanislaus Kostka, tantis sanctimoniæ documentis & miraculis lucent: cui tot gloriosa templa surrexerunt, tuo nomine, Deo dedicata, Romæ, Viennæ, Jaurini, Antverpiæ & per alias Orbis partes: qui conspectus es igneo flagello cædens dæmonem, qui per os energumenæ Christum blasphemabat: qui de cœlo tuis toties gloriosus variè apparuisti, eosque defendisti, sanasti, in divinis erudivisti: cujus exercitiorum divinus liber s. Carolo Borromæo in reverentia & usu fuit, a summo Pontifice approbatus, & tanto Orbis terrarum fructu laudatus: qui à s. Petro, tibi, conspecto sanatus, à Jesu & Maria frequenter visitatus, frequenter cœlesti lumi-

mi-

mine collucere visus, Jesum parvulum in Eucharistia vidisti, in admirabili octo dierum ecstasi jacuisti; sublimis à terra, in aëre, inter orandum splendidus pependisti; auditus tunc dicere: *O Deus ô Domine, si te homines nôssent? Deus amor cordis mei!* qui sæpenumero, non sine singultu, inculcabas: *In solo Christo, & in Christi Cruce, reperitur vera lætitia.* cujus nomen qui ignorabant, ajebant: *Ille Pater qui sæpe in cœlum suspicit, & de Deo solet loqui*, cui Spiritus sanctus, specie ignis apparuit: cui ostensum est divinitus, quanti thesauri laterent in hoc vocabulo, Deus! & quanto cum amore, ac reverentiâ debeat nominari; qui missis è cœlo per Angelum literis, Congregationem sub *divini amoris* titulo erectam laudasti; & tuam ei opem promisisti, fac, ut cor meum sit sacrarium Congregationis omnium cordium, *divini amoris* igne ardentium, s. Ignati, qui stupenda in dæmones potestate; ad corda molienda efficacitate; in Deum amore; ac nova mirabilique beneficentia, nascentibus, ægris, scrupulosis, à dæmone tentatis, ac morientibus adesse soles clientibus tuis, fidelis. Adesto & mihi semper, precipuè morienti; ut omnia vitæ meæ momenta, ita Dei gloriæ decurrant, ut & ipsum ultimum vitæ meæ in morte punctum, & omnis, quæ ibi incipit, æternitas mea, sit *ad majorem gloriam* maximi, & gloriosissimi Dei mei. Amen.

S. Joannes Presb. & s. Benigne Diacone, fratres gemelli.

s. Fabi, capite plexe *M.* cujus rescissum caput iterum cadaveri conjunctum divinitus est repertum.

s. Ca-

S. Calimeri Episc. vulneribus confosse, gladio per cervicem transverberate, in puteum dejecte; Martyr.

Sancti Democrite, Secunde, & Dionysi, Martyres.

Sancti trecenti quinquaginta monachi, ab hæreticis cæsi.

s. Germane Ep. doctrinâ, honoribus, vitæ austeritate, munificentiâ, orationis vi, prophetiis, miraculis, zelo Apostolico, morte beatissima pretiose.

s. Firme Episc.

Beate Joannes Columbine, quem, opibus cumulandis intentum, lectio Vitæ s. Mariæ Ægyptiacæ, ad quærendos thesauros æternos, convertit. Qui leprosum, in humeros sublatum, in lectulo tuo deposuisti; sed ille, relicto istic florum odore suavissimo, evanuit, & se florum Regem Jesum Nazarenum fuisse ostendit, ac tanto sui Nominis amore tuum pectus implevit, ut postmodum religiosum Jesuatorum Ordinem, sub nomine Jesu, condideris, corde divini amoris flammis adeò inflammato, ut hyeme quoque, aperto pectore, nil frigeres, etiam radiis de pectore, in oculos & animos te videntium, persæpe vibratis, cum verbis præterea non nisi beata incendia loquereris. Cujus laudes ex ore Viterbiensium infantium perfecit Deus, quando te Viterbii, cum sociis tuis hospite, infantes exclamare disertè auditi sunt: En Jesuatæ: Subvenite, cives; benefacite Jesuatis. Doce me libros sanctos oculis tuis legere, & corde haurire; doce sequi instinctus, mihi loquentis in libris Dei. Imple cor meum radiis tui pectoris, ac igne illo, qui omne frigus, tepo-

rem

rem omnem à me arceat, & comburat in me, quicquid vero Dei amori displicere, aut impedimento esse potest in me.

S. Hathebrande, qui vestem è solis radio suspendisti, ut eam exsiccares: cujus corpus, perpetuo miraculo celebre, imminentem cœnobio tuo calamitatem solet Religiosis, mirâ à se diffusâ fragrantiâ, nunciare. Juva me in extremo maximoque æternæ vitæ meæ periculo.

OMNES *SANCTI*, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, qua S. Ignatio Loyolæ, *tuo pœnitenti, conspecta cor mundum impetrâsti, eum divina meditari, & examinis particularis, ac cœlestem legum condendarum artem, docuisti; qua cum illo sæpiùs conspecta es; eum ad B. Magdalenam de Pazzis, ad exhortationem de humilitate coram illa habendam misisti, Societati ab illo conditæ B. Aloysium, B. Stanislaum, aliosque dedisti, deliberanti consultrix optima frequenter adfuisti; cujus ille imaginem in pectore gestabat ad cor. Ducas me in itineribus æternitatis viâ lucida, recta, solida, ut non errem, ut aliis quoque, ad æterna per te ducendis, præluceam, tibique cum* Ignatio, *me dedicem hodie, cum etiam hodie tua in Blachernis dedicatio celebretur!*

* * * *
* * *

ANNI CÆLESTIS
AUGUSTUS.

1. *Augusti.* *Kalendis Augusti,*

SAncta Sophia, gloriosa Fidei, Spei, Charitatis, Virginum mater. S. Fides V. flagris cæsa, ardenti sartagine cruciata, pectore lacerato, capite truncata. S. Spes Virgo, nervos, ignes in hostem conversos, bitumen, picem experta, capite plexa. S. Charitas Virgo, quæ post equuleum, & flagra, per ignem in cœlum penetrasti. Sancta mater, sanctæ tres filiæ! quicquid ad petendum à Jesu inter vos conveneritis, impetrabitis. Orate ergo pro me; ut vestris, vestrorumq; nominum virtutibus instructus ita vivam, & moriar, ut tandem in regnum charitatis inductus, æternâ charitate amem illum, qui charitate perpetuâ dilexit me. Amen.

S. Petre Apostole, cujus geminæ diversæ catenæ, Romana, & Hierosolymitana, ita inter se divina vi connexæ sunt, at una, & ab eodem artifice facta catena videretur; cujus catenis, & morbos, & dæmones profligabat Deus.

Ss. Bone, Fauste, Maure, & alii novem, omnes è primitivæ Ecclesiæ filiis fideles.

Sancti Cyrille, Aquila, Petre, Domitiane, Rufe, Menander, Martyres.

Sancti Leonti, Atti, Alexander, & alii sex agricolæ, Martyres decollati.

S. Felix, Hispaniæ Apostole, fustibus, longo carce-

ære, fame, siti vexatæ; per Urbis compita mulis tractæ, frustatim ferè discerptæ, ab Angelis visitatæ, & in integrum restitutæ; iterum ungulis excoriatæ; inverso capite suspensæ, nocte deinde tota, & lumine copioso, & Angelorum concentu, mirificè recreatæ, in mare projectæ, sed vinculis disruptis, Angelico commitante obsequio, aquis inambulans, litori redditæ: tandem cute ungulis detracta, ad ossa, ad mortem usque laniatæ M.

s. Eusebi Ep. qui tuæ pudicitiæ conservandæ adjutores, etiam Angelos habuisti; ad cujus preces MARIAni templi porta ultrò aperta est, qui ab hæreticis atrociter tortus, postmodum pro fide extorris; iterum redux, etiam post mortem felicem fortem te contra dæmones ostendisti.

s. Justine M.

s. Vere Episc.

s. Ethelvvolde Ep. ab hausto veneno illæse, magnæ asceticæ disciplinæ instaurator: qui matri, antequàm nasceteris, vexilli è cœlo ad illam demissi, cœlosque denuò repetentis, & magnæ aureæque aquilæ ex ore illius evolantis, ac Urbem alis aureis contegentis, & in cœlum abeuntis, specie ostensus es, Protege me aureis tuis alis.

s. Theodorice, cui contra frigus Angeli vestem confectàm è pellibus attulere.

s. Nemesi Conf.

s. Friarde, qui frontem, oculos, pectus sanctissimo crucis signo sæpe signans, mira patrâsti, arborem aridam restituisti, & cœlestes in cella odores, post te moriens reliquisti.

OM-

OMNES SANCTI &c. *pag* 4.

S. *MARIA*, *cujus honori à Græcis hodie celebratur* initium sacratissimi jejunii, *per quod ad solennitatem dormitionis tuæ præparantur: fac me vigilem, ut operiam jejunio animam meam; &, ope tua Christum indutus pro veste nuptiali paratus inveniar pro die assumptionis seu mortis meæ!*

S. *MARIA* Hallensis, *quæ hodie ab aquis diluvii domum undequaq; implentibus, omnesq; mergentibus, unum, te invocantem in vita servasti. Serva me nunc, & tunc, cùm ero in aliquo æternæ vitæ periculo!*

S. *MARIA*, *quæ* Gereoni, *nocte Christi nati, Christum crucifixum* (*qui suo sanguine, de Vulneribus manante, calicem totum implebat*) *videnti, & præ reverentia, divinæ mensæ accumbere non audenti, animos addidisti, cum dixisti*: Tu te indignum cogitas, & quis, putas tanta re dignus esse potest? *Dispone me, Domina, præpara me, ut ne indignus adeam ad tremendum illud æternitatis mysterium!*

2. *Augusti*. 4. *Nonas Aug.*

SAncte Francisce Seraphice, inter homines Angele, cujus cor sanctum in *Angelica* MARIÆ de Portiunculâ Æde, Angelicis, *Marianis*, divinis gaudiis delibutum, mille gratiis cumulavit Deus. Ibi tu, inter musicos Angelos, & Mariam Reginam, & Regem JESUM, quasi in cœlo eras. Ibi cor tuum sepultum ab Angelis. O! commenda hanc, & ultimam vitæ meæ horam, Mariæ de Portiuncula, & Angelis tuis, *Maria Virgo*, in tuo sinu depono nunc pro æternitate, cor meum totum. Impetra mi-

mihi plenariam à tuo Jesu indulgentiam. Doce illud tu, ut sit ad tuum, tuique filii *JESU* nutum, & cor. Cor est primum vivens, & ultimum moriens. Vivat in sinu tuo; moriatur ibi, ut ibi vivat in æternum iterum tibi. Amen.

s. Stephane Papa, qui exhortatione,& exemplo, plurimis ad Christum conversis, & præmissis, patratisque miraculis,ante altare, inter sancta mysteria, in sede tua decollatus es.

s. Theodora M. à qua lenonem impurum,impacto illi forti colapho,prohibuit Angelus, quæ cum Evodio, primogenito tuo,& aliis duobus filiis, igne consumpta es.

s. Rutili, tormentis plurimis exercite, & quam hactenùs, seu timide, seu cautè latitando,fugitabas martyrii gloriam, hodie per ignem adepte.

s. Emygdi Ep.M. qui amputatum proChristo tuum caput,ad passus trecentos portasti ad montem.

s. *Maxime Ep.* sanctitate, ac miraculis clare.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. *MARIA*, de Angelis, *qua tuum templum hodie visentibus benedicere es visa, Indulgentiis quoq; plenariis impetratis. Benedice mihi pro felici morte, & impetra mihi plenariam Indulgentiam; ut in templo gloria apud te sim in æternum!*

3. *Augusti.* 3. *Non. Aug.*

SAncte Stephane protomartyr: cujus pretiosum Corpus divinitùs repertum, prodigiis plurimis Illustravit Deus; cujus corpori admotos priùs flores,ubi cæcis oculis admovit cæca fœmina, vidit:

oc-

cujus corpori, Romæ hospiti, in suo loculo cessisse locum dicitur s. Laurentii corpus; & jam simul jũcti corporibus estis Romæ in sepulchro, animabus in cœlo. Angelice, doctissime Diacone! adesto mihi ope tua, usque ad tumbam. Pretiosius mihi erit unum illud præ aliis miraculis, de te scriptis, si me non in tuæ tumbæ, sed in cœli societatem æternam deducas morientem. Amen.

Ss. Gamaliel, Nicodeme, & Abidon, hodie translati.

s. Hermelle *M.*

Sancti omnes Martyres, quos Abenner occidit.

s. Aspren Ep. à s. Petro à morbo curate, qui juxta illum, quem à s. Petro didiceras, vivendi modum sanctè vixisti.

s. Euphroni Episc.

s. Petre, Monachorum & Episcoporum exemplar.

s. Lydia purpuraria, à s. Paulo conversa.

Sanctæ Marana, & Cyra.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 4.

S. MARIA, cujus annulus Perusiæ, hoc die ostenditur, Desponsa cor meum tibi: fac me fidelem, devotum sancto tuo sponso Iosepho, & tibi usque in finem.

S. MARIA, *coram cujus imagine in muro picta, per duos annos Neapoli Maurus quotidie lampadem accendebat, & idcirco tu illum hoc die amanter unà cum S. Iosepho invisere dignata, hortata es, ut baptismum, & Iosephi nomen susciperet. cumq; obstinatus ille abnueret, tu illius humerum blandè tangens, dixisti:* Eja, ne ultra relucteris. *Vnde ille repentè mutatus* ex-

exclamavit: Domina, posuisti ignem in corde meo; *& à te instructus, ac de Societate* JESU *Patrem adire jussus, in baptismo Josephi nomen accepit. Postea verò eidem (ita ut promiseras) cùm affligeretur, præsentem te sistens dixisti:* Josephe patientiam habe, *quibus ille verbis adeò se recreatum sensit, ut dixerit, paradisum in cor suum immigrasse. Domina inflamma cor meum, ut paream iis quæ mones præbe vires afflicto, ut paradisus meus sit ardere amore Dei, & pati amore Dei ac tui!*

4. Augusti. Prid. Non. Aug.

SAncte Dominice, quem, unà cum s. Francisco pro mundi emendatione se habere MARIA, apud Filium dixit, ne mundus fulminaretur à Christo. In cujus fronte radians stella, cœlestem te virum ostendebat; qui MARIÆ honorem sancto Rosario, quàm maximè promovisti: qui te singulis noctibus ter; primò, pro tua ipsius salute; secundò, pro existentibus in mortali peccato; tertiò, pro animabus purgatorii, flagellasti. Ora pro me, ut JESUM & MARIAM ita mihi sanctis artibus devincam, ut sicut tu: cum recitarentur illa verba: *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli!* expirasti, JESU, MARIA, & Angelis te, cum cantu, in cœlum secum abducentibus; ita mihi tu singulariter cum Dei Sanctis, & Angelis, & Sancta Sanctorum MARIA, subvenias expiranti. Amen.

B. Aristarche, s. Pauli concaptive, M.

s. Tertulline Presb. fustibus, ignis ad latera exustione, oris quassatione, equuleo, nervis, capitis amputatione, Martyr.

s. Eleu-

s. Eleutheri senator, gladio cæsc.

s. Ia, & sociæ, cum novem millibus captivorum Christianorum, Mm.

s. Protasi M.

s. Agabi Episc.

s. Euphroni Episc.

s. Perpetua, à s. Petro baptizata, quæ Africanum virum tuum, & Nazarium filium, ad Christum, convertisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 4.*

S. *MARIA, qua* S. Dominicum *visa es, unà cum Filio tuo, alis candidis elevatum, in gloria throno ostendere. Protege me, subvehe me candidis alis tuis!*

5. Augusti. Nonas Augusti.

SAncta Maria Major ad Nives, quæ asperso per noctem prodigiosis nivibus colle, hodie templi tui locum, à Joanne Patritio Romano tibi ponendi, ostendisti; ad quod supplici genu adrepunt pii, ad tuam à s. Luca pictam imaginem, ad s. Matthiæ Apostoli corpus, ad cunas Jesu. Per omnes tibi illic, & ubivis, in cœlo, & in terra, oblatos, & offerendos honores, oro te, Domina, ut sis mihi in mea morte Maria Domina, Patrona, Mater, Advocata. Nec ulla major mihi est pro æternitate necessitas, quàm illa; nec ego, post Jesum, majorem habeo, cui necessitatem hanc commendem. Commendo ergo tibi mortem meam, & cum hac æternitatem meam; ut tecum sim semper, ô sancta Maria, creaturis omnibus, post Deum major. Amen.

Sancti viginti tres Martyres, capite truncati.

s. Afra, s. Narcissi Episcopi, ante sumptum

NB. 20 Martij. S. Fotyny
alias, owey Samarytanki co
z Chrystusem u Studni dyszkuro=
wała, Wielkiey y Cudowney męcze
nicy, w Kartaginie Mieście
Afrykanskim Ewangelią gło=
siła, tamże za Nerona Cesarza
z Synami y Siostrami okrutnie
mordowana. Głowa jey leży
u S. Pawła. Teste Cornelio apud
Engilgrave.

cibum orantis, exemplo, ab impuritate ad Christum &, pudicitiam conversa; ideoque palo alligata, manente inter ignes integro tuo cadavere, viva per ignem Martyr facta: quam aliæ tuæ turpitudinis olim, nunc martyrii sociæ sunt secutæ, dæmone te sibi ereptam questo, & *negante, se ibi esse posse, ubi castitas regnaret, atq; attenta oratio.*

s. Emygdi Episc. M.

s. Eusigni miles, centesimo decimo ætatis anno; pro Christo, capite plexe.

Ss. Cantidi, Cantidiane, & Sobel, Martyres.

s. Memmi Ep. à s. Petro consecrate, qui fimbriâ vestimenti s. Petri, mortuo itineris tui comiti admotá, illum ad vitam revocasti.

B. Cassiane Episc. qui B. Germano, tuum tumulum invisenti, & quid ageres? interroganti, sic respondisti: *Vivens in Christo, loquens de tumulo dulci pace & quiete potior; & adventum Redemptoris expecto.*

s. Paris Episc.

s. Osvvalde Rex, crucis virtute, de hoste victor, qui sæpè aulæ tuæ ipse sacri Ecclesiastæ instar fuisti; submissione magnâ, & liberalitate in pauperes, ac orandi assiduitate magnus; ad cujus sepulti ossa columna lucis apparuit.

s. Joni M. præciso tuo capite, in manibus, ad tria milliaria deportato, splendore, odoribusque cœlestibus gloriose.

s. Nonna. B. Gregorii Nazianzeni mater.

OMNES SANCTI, &c pag. 4.

s. *MARIA, Major nivibus mirabilis; ac tua à S. Luca picta imagine, Christique præsepio amabilis in*

cujus templo. S. Gregorio, Pax Domini sit semper vobiscum! *in Missa dicenti Angeli*, Et cum spiritu tuo, *respondêre. O solo Deo minor, Domina, dealba me super nivem: fac ut te infra solum Deum æstimem, & amem super omnia alia, ita ut mereris!*

S. MARIA, *cujus festum* descensionis *in Cisterciense cœnobium, hoc die celebratur, descende in cor meum, & dispone ascensiones in corde meo usq; ad cœlum!*

6. *Augusti.* 8. *Idus Aug.*

TRansfigurate JESU, æternitatis gloriose Rex, Fili, in quo sibi bene complacuit Deus Pater. Pulcherrime JESU, facie, ut Sol; vestimentis, ut candida nix. Miserere mei, vivorum, & mortuorum, salvandorum, & damnandorum sancte Judex; ut deposita veteri figura, resurgens hoc corpus configuretur corpori claritatis tuæ, videamque, unà cum Petro, Joanne, Jacobo, gloriam æternæ transfigurationis tuæ, & experiar, quàm sit mihi bonum me ibi esse, ubi tu es. Amen.

B. Sixte secunde, Papa M.

Ss. Felicissime, Agapite, Januari, Magne, Vincenti, Stephane, & Quarte, decollati.

Sancti Juste; & Pastor, pueri, fratres, qui è scholis ultro ad martyrium convolastis, qui fustibus cæsi, cùm vos mutuò, ad operandam generosè pro æterno Christo mortem, exhortaremini, jugulati estis.

S. Hormisda Papa.

S. Jacobe Eremita, miraculis clare.

S. Chremes, qui, ut Rogerio in Sicilia Comiti,

Saracenos persecuto, munus offerres, feras, è silvis evocatas, ad eum, pro annonâ militum esurientium duxisti, qui à tepidis, eoque refractariolis, quibusdam tuis discipulis, disciplinæ tædio ac odio, de rupe dejectus, tuum vestigium illic saxo divinitùs impressisti, atque ab Angelis, ad montis radicem, incolumis es collocatus. Inde ad tuos, admiratione attonitos, fasce lignorum onustus, tranquillo erga omnes animo, rediisti. Post mortem verò, è loco, in quo conditus es, fons aquæ, febri quartanæ tollendæ plurimis salutaris erupit. Arce à me tædium nauseam, seu teporem, in rebus Dei.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *Sickemiensis, quæ hodie Religiosam Carthusianam, cùm ab aliis, tùm à paralysi, repentè curâsti. Fac me agilem, expeditum, promptum corpore, & animo ad obsequia tua!*

7. *Augusti.* 7. *Idibus Aug.*

SAncte Alberte, MARIÆ sacer ex utero, quem nascentem lux prævivit; qui civibus, & fame, & obsidione pressis, tres triremes, cœlestibus remigibus instructas, impetrasti; aquas calcasti siccus; dæmonem fugasti; qui è tuis quendam, in Deiparæ cultu tepidum, & jam in turpe scelus præcipitem, à fœdo illo dæmone, ac scelere coercuisti: cujus mors, campanarum sono spontaneo, mirabilis; at Angelorum cantu mirabilior, qui Sacrum: *Os justi. &c.* tanquam sancto Confessori, tibi loco *Requiem. &c.* canere incepêre, s. Alberte, accende me; ne patiaris me esse tepidum in amore Dei, ac Matris Dei

ora, ut ſicut te, poſt nativitatem tuam, ad MARIÆ aram ſtitêre quaſi ſacram victimam, parentes tui; ita tu, cum MARIA, & Angelis, tui muſicis, animam meam, poſt mortem meam, ſiſtas ad æternum altaret Dei, hoſtiam æternitati ſanctæ æternam. Amen.

s. Donate Epiſc. Martyrum fili, gladio percuſſe, M.

s. Juvenalis Ep. M. qui, tùm adhuc vivus, iis, qui in mari periclitabantur, apparuiſti orans, ac tempeſtatem tranquillans dicenſque: Ego ſum Juvenalis Epiſcopus Narienſis; *reddite Deo gratias.*

s. Euphemia V. M. ad cujus ſepulchrum hæ voces, è cœlo auditæ, indicârunt; *Hic jacet corpus. S. Euphemiæ V. M.* cujus aurei annuli tactu febres fugantur.

B. Joannes Sahaguntine, ad cujus ſepulchrum ægri ſanabantur, cùm terram, ubi jaces, contingerent: cujus tumulus odore mirabili fragravit: cujus ſepulchrum ingreſſus ſurdus & mutus, ingeſto auribus, ori pulvere; audire ac loqui cœpit; puer, à rotâ illum ſupergreſſa confractus, confeſtim convaluit; alius cæcus ibidem viſum recepit, eumque illum peteret amittere (ſi oculorum uſus illi damnationis cauſa futurus eſſet) illico iterum cæcus eſt factus. Impetra mihi cæcitatem ſanctam, & verum lumen.

s. Hilarine M.

s. Fauſte miles *M.*

Sancti Petre & Juliane, cum aliis octodecim MM.

Ss. Carpophere, Exanthe, Caſſi, Severine, Secunde, & Licini, capite truncati MM.

s. Do-

s. Dometi, cum duobus discipulis, lapidate M.

s. Victrici miles, quem, post alia tormenta, ferire volens carnifex, excæcatur; cujus ultro disruptæ catenæ omnes; qui postea Episcopus, Christo gentes indomitas domuisti.

s. Donatiane Episc.

B. Cajetane, Thienæe, Clericorum Regularium Fundator.

OMNES SANCTI &c. pag. 4.

S. MARIA, *quam bis oratione Angelica salutans* s. Albertus, *mortuus est, ab Angelis, auro fulgentibus, atque canentibus, honoratus. Doce me, ita nunc salutare te verbis illis Angelicis, prout tunc facerem, si scirem, me, illis expletis, illicò moriturum!*

8. *Augusti.* 6. *Idus Aug.*

SAncte Cyriace, dæmonum triumphator; qui filiâ Regis Persarum à dæmone liberatâ, Regem, & quadringentos ac triginta alios, baptizasti: qui Romæ postmodum pice liquata perfusus, & in catastâ extensus, demum cum Largo, & Smaragdo, aliisque viginti, securi percussus es. Orate pro me! Clamet sudor, & sanguis vester pro me; ut in hora mortis meæ non moriar, sed vivam. Separetur anima à corpore in tempore, quæ mors est; sed conjungetur cum Deo in æternitate, quæ vita æterna est. Amen.

s. Sisiani s. Cyriaci socie, feris objecte, M. quem Apronianus cœlesti splendore circumdatum vidit, & cœlestē vocem audiit: *Venite Benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mun-*

mundi! & conversus, capite plexus est, Martyr.

s. Marine M.

Sancti Eleutheri & Leonides, per ignem Martyres.

s. Hormisda Martyr.

s. Æmiliane Ep. exul.

s. Miro Episc. qui draconem orando ejecisti; aquas fluminis obedientes habuisti; ac eò semper plus habens, quò plus dabas pauperibus, anno ætatis propè centesimo, beatè decessisti.

s. Severe magne animarum Apostole.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cujus, inter quindecim auxiliatores primæ, festum hodie celebratur. Auxiliare mihi, cum Sanctis tuis, eo modo & tunc, quando, & quomodo mox indigebo, & fac, ne me auxilio tuo reddam indignum!*

9. Augusti. 5. Idus Aug.

SAncti Firme & Rustice, in carcere ab *Angelis* cibati; & post flagella, testarumque cruciatum, gladio cæsi, & ab Angelis sepulti. Orate pro me, sancti mei, non de sepultura mea; sed de morte mea solicito. Orate, ut mortis meæ curam, una vobiscum, suscipiant Angeli lucis, contra Angelos tenebrarum æternarum. Pascant me boni Angeli, in hoc carcere, cibo, qui non perit; ne peream, projectus in carcerem tenebrarum, famis, & sitis, ac stridoris dentium; sed ad æternitatem lucis, & satietatis, ac beatitatis hinc educat ad Deum, qui unus & lux, & libertas, & satietas, & bonorum omnium summum

mum, unum, verum bonum est. Amen.

s. Romane miles, qui, viso pulcherrimo Angelo, s. Laurentii sanguinem, è vulneribus defluentem, abstergente, implorata s. Laurentii ope, ab eodem baptizatus, & Christianum te clamans, fustibus cæsus, & capite truncatus es.

s. Secundiane, qui per sancta cum s. Marcelliano colloquia, & per Martyrum exempla, conversus; accedente ad id vobiscum quærendum, quod æternum est, Veriano amico, omnes tres baptizati, fustibus cæsi, contrito divina vi idoleo, in equuleum sublati, ungulis rasi, flammis tosti, carnifice uno morte repentina concidente, aliis à dæmone correptis, vosque sanctos clamantibus, capite cæsi estis.

Omnes sancti Martyres, qui hortante vos s. Numidico, in ignem pro Christo conjecti estis.

s. Numidice, quem rogo licet injectum, & lapidatum, effossum tamen filia reperit semivivum, & curavit.

Sancti Juliane, Marciane, & alii octo propter Salvatoris imaginem, post multa tormenta, gladio necati.

s. Domitiane Episc.

s. *Maurili* Episc. qui, cùm sepelireris, à mortuis resurrexisti, atque dixisti; Attenti animo estote, ultima pastoris vestri verba excipientes. & mira de cœlo visa narrasti, simul fassus; te peccata quædam, *quæ minima esse opinabaris*, expiare horrendo aspectu dæmonum debuisse, iterumque in pace obdormivisti. Excita me, ut vigil attendam ad fugienda etiam minima, quæ displicent Deo meo.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *cujus imago ficta supplicem* Anatolium *est aversata, illis, qui illam iratam videbant, stupentibus. Fac me dignum misericordia tua; ne me abjicias!*

10. *Augusti.* 4. *Idus Aug.*

SAncte Laurenti, qui dispersis in thesauros cœlestes, id est, in pauperes, Ecclesiæ facultatibus, scorpionibus, & plumbatis cæsus, cælesti voce ad majora animatus; craticulæ impositus, cùm assareris, *Gratias tibi*, ajebas. *Domine, quia januas tuas ingredi merui!* ac tandem in ferreo & igneo illo lectulo, generosissimum spiritum exhalasti: qui s. Stephani protomartyris, tuo sepulchro inferendi, corpori locum in tumulo, te removens, vacuum præparasti; *Urbani Hispani Laurentii* nomine idcirco donatus; & jam in eodem loculo, una cum Stephano, felicem æternitatis tubam expectas. Para in cœlo miseræ huic meæ animæ locum nunc; postea verò etiam corpori. Accende me tuo illo igne! Jacebo & ego in lecto ultimo, qui me valde uret, de æternitate solicitum. Tu ora, gloriose Juvenis, ne me degenerem reperiat Deus Pater; ut ita in lectulo illo obdormiam, ut mortem meam non sequatur æterna mors, & nox; ut *mea nox*, sicut & tua, *obscurum non habeat*, *sed omnia* æternitatis *luce clarescant* mihi, januas Dei *ingresso*. Amen.

Sancti centum sexaginta quinque milites, Martyres.

s. Asteria V. Martyr.

R. Omnes sancti Martyres Alexandrini.

San-

Sanctæ Basla, Paula, & Agathonica Virgines, MM.

s. Deusdedit, qui quod in hebdomada manibus tuis operando lucrabaris, die sabbati pauperibus erogabas; ideoque cœleste quoddam palatium tibi diebus sabbati ædificari ostensum est.

s. Polychroni, qui, dum os cum lapidibus contunderetur, expirasti.

s. Parmeni, præcisâ linguâ locute, & unà cum aliis s. Polychroni sociis, decollate Martyr.

s. Hugo Episc. qui cùm aliàs, tùm verò vel maxime attentè divinum Officium recitasti, cum tuis dixisti: *Horas, quæ supersunt, quas debemus Domino persolvamus; quoniam finitis Horis, statim requiescam*; & finitis illis requievisti in pace.

OMNES SANTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *qua hodie cum* s. Michaele *Archangelo, & S.* Bernardo, *apparuisti, ac templum, titulo* Nostræ Dominæ de Gratiâ, *ædificari præcepisti. Da mihi* Michaelem *&* Bernardum *protectores & ipsa me protege, ut in me gratia Dei vacua non sit?*

II. *Augusti 3. Idus Aug.*

CHriste spinis coronate, cujus coronæ spineæ festum, hoc die, apud Cistercienses celebratur: corona me in misericordia, & miserationibus æternis!

s. Tiburti, qui, cùm per stratum prunis ardentibus pavimentum, signo crucis munitus, nudipes inambulares, ajebas *Prunæ mihi flores videntur*; ac tandem gladio percussus es. Ora pro me, ut ita flores

mihi omnia, quæ patior, videantur; ut per singularem, ac Dei voluntati, & cordi omni ex parte concordem, patientiam, mihi ultimum vitæ lectulum sternam; & mors mea verè floridam, non spineam, vel igneam, mihi paret æternitatem. Amen.

s. Susanna V. prosapiâ, plurium conversione pudicitiâ prudentissimo zelo, capitis amissione gloriosa Martyr.

s. Alexander, è desertissimo Philosopho Episcope, per ignem Martyr.

Ss. Rufine Episc. & socii MM.

s. Taurine Episc. laboribus, & miraculis illustris.

s. Gaugerice Episc. qui precibus tuis effecisti, ut vincti in carcere ab Angelo liberarentur; magnæ aliàs crebrò captivorum in libertatem, per miracula, assertor, ægrorum curator.

s. Equiti Abba.

s. Digna Virgo.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4

s. MARIA, *quæ apud Senonas cum Angelis conspecta es, & noxio igne grassante audita est vox*: Qui non vult mori, properet ad templum Matris Dei. *Extingue in me omnem ignem noxium: protege me ab æterno!*

II. *Augusti Pridie Id. Aug.*

SAncta Clara, quæ civitate ab hoste oppressa orans, à Christo, è sanctissimo Sacramento, audisti: *Ego vos semper custodiam*; ita hostem tunc, aliàs verò & morbos, & dæmones, fugasti orando: quæ

Chri-

Christum, nunc nascentem, nunc morientem amantissimis oculis spectasti; quæ moriens à Pontifice, imò à Christo ipso, & Christi Matre, cum choro Virginum, veniente visitata, abiisti ad æternitatem. Ora JESUM & MARIAM; ut me *semper*, sed in morte maximè, *custodiant*. Tunc precibus tuis dæmonem à me fuga; & omnibus, quas tecum in cœlo habes, filiabus tuis, abiturientem hinc animam meam commenda; ut habeat hinc illuc ad vos felix iter. Amen.

s. Eupli Diacone qui sæpius dirè tortus, Christianum te esse clamasti, semper orans, & appenso ad collum Evangelio, illud ingeminans, *Gratias Christo Deo!* post prolixam orationem, jugulum præbuisti.

s. Hilaria, beatæ Afræ mater, ad filiæ sepulchrum excubans, cum Dignâ, Eupreріâ, & Eunomiâ ancillis tuis, combusta *M*.

Sancti Quiriace, Largio, Crescentiane, Nimmia, & Juliana, cum aliis viginti *Martyres*.

Ss. Marcari & Juliane MM.

Ss. Anicete Comes, & Photine, fratres, cum aliis pluribus MM.

S. Graciliane M. qui lecto Evangelii libro conversus, præter alios, etiam s. Felicissimæ V. corporis & animi oculos illuminasti, & post mortem gladio acceptam, unà cum illa, & duobus juvenibus, niveo candore conspicuis, apparens, mœstos parentes blandè solatus, eos Christo adjunxisti, illumina & me, ac da totum Deo.

s. Felicissima V. Martyr.

s. Porcari Abba, & quingenti monachi, pro fide, à barbaris cæsi, voce de cœlo audita; *Venite, bene-*

dicti percipite regnum, vobis ab initio præparatum! quorum animæ, stellarum instar splendidæ, conspectæ sunt in cœlum cum Angelis evolare à sancto Columbo, qui sic accensus, & ipse factus est Martyr.

s. Herculane Episc. in cujus sinu, cum puer pauperibus eleemosynam ferres, pater vidit panem in pretiosos lapillos esse conversum.

s. Eusebi Episc. qui fractum calicem crystallinum oratione refecisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA *quæ* s. Claræ *morienti, augustè coronata, conspecta es cum choro Virginum, stolis & coronis fulgentium, & ejus lectulum pretioso pallio tegentium; Vise me, juva me, tege morientem; ut tecum vivam!*

13. *Augusti. Idibus Aug.*

SAncta Radegundis, Regina monialis, ancilla pauperum, quæ tergeminam catenam ferream carni adeò applicuisti, ut adnasceretur; quæ crucifixum Christum cordi, effigiem carni, inussisti; quà Christus, palam tibi visus, pretiosum suæ coronæ unionem vocavit; cujus anima statim è corpore inferri visa est cœlo; & cilicii tui contactu, infans à morte ad vitam est revocatus. Jam Regina verè regnans. Sim, quæso, & ego, si non unio in corona JEsu, certè sub corona JEsu, non dilicatus miles: ut ne putrida hæc caro animæ obicem ponat in virtute, in æternitate; sed crucifixi JEsu, & corpore, & animo amantissimus, moriens ad mortui pro me crucifixi JEsu regnum inducar. Amen.

s. Hip-

s. Hippolyte, qui pedibus ad colla indomitorum equorum alligatus, per spineta, tribulos tractus, è lacerrimo corpore animam integerrimam exhalasti.

s. Concordia, ejus nutrix, plumbatis cæsa usque ad mortem.

SanctaS. Hippolyti familia; tota gladio *Martyr*

s. Cassiane, qui à tyranno pueris, quos docueras, traditus laniandus, occulos, caput, & corpus omne stylis acutissimis confixus, per minuta, sed crebra, vulnera felicem animam exhalasti, Martyr.

S. Cassiane Ep. M.

Sanctæ Centolla & Helena, Martyres.

s. *Maxime*, vir docto *Dei* zelo plene; qui præcisis, pro Catholica fide, manibus, ac lingua, exul, extinctus es; teque duo Anastasii, tui discipuli, ac plures sunt secuti.

s. Laudulphe Ep. qui concentus Angelicos sæpè audisti; & relevatum tibi s. Taurini corpus, columnæ splendidæ indicio, reperisti.

s. Wigberte.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cui, hodie morienti, ferunt palmam à Sancto* Gabriele *Archangelo esse allatam.* O *pretiosissimè mortua Dei Mater! Tu in morte mea sis palma suprema victoria mea!*

14. *Augusti*, 19. *Kal. Septem.*

BEatissime Stanislae Kostka, quem utero gestans pia mater, in pectore descriptum sibi habere videbatur splendens in radiis JEsu nomen, qui

Viennæ, Deiparæ ac s. Barbaræ Sodalis parvulus, maximo studio nitebaris, *ut Deo quam maximè placeres*; visus aliquando inter orandum etiam corpore à terra sublimis, in quem ægrum dæmon, prægrandis molossi specie, insiliens, à te signo Crucis rejectus, ac victus est; postea, præsente sancta tua Barbara, tibi panem Angelorum duo Angeli porrexêre; demùm & MARIA Mater amabilis, Deum JESUM, Parvulum infinitè amabilem, in castissimo tuo lectulo collocavit, ac unà tibi sanitatem, & Societatis JESU ineundæ consilium dedit, ad quam Romæ à B. Francisco Borgia admissus, cùm aliquando à calore ignis, in corde absconditi, æstuares, interroganti te causam Magistro, in hæc verba respondisti: *Vror: uror totus ab igne divini amoris*, qui, inter sancta cum sociis colloquia, certamen instituis MARIAM, titulis magis magnificis, & teneris honoraret: cui ad Deum, ad Matrem MARIAM, filiali & Angelico ore oranti; ipsum etiam cum ore orans cor, temperandis frigida intus ignibus, æstuabat: qui moriens morientis JEsu, ac MARIÆ iconem complexus, inter sancta oscula, & duo illa nomina, tenerrimosque altissimi amoris actus, æternitati sanctæ insertus es, nocte Assumptæ Virginis Dei Matris: & persæpè conspectus in gloria, cum eadem Dei Matre, ac aliàs, tuis clientibus, à morbo, carne, bello, varia animi ægritudine, tentatis auxiliator præsentissimus adfuisti. Adesto & mihi: & communire digneare ultimum agonis mei lectulum tot illis tui lecti auxiliis. Adesto mihi cum JEsu, MARIA, Barbara, morientium advocata, sanctis Angelis. Impossibile est me damnari

nari sub tot auxiliis! Age ergò, ut in tuo & illorum sinu spiritum ponam felix. Amen.

s. Eusebi Presb. qui, ob fidei Catholicæ defensionem, in quodam domus tuæ cubiculo, septem menses orando inclusus, obdormisti in Domino.

s. Ursici *M.* post varia tormenta, gladio cæse.

s. Demetri. M.

s. Marcelle. Ep. M.

s. Calliste Ep. M. cujus asperrimum cilicium odore suavissimo, post mortem tuam, redolens est repertum.

s. Laurenti M. qui cœnobium tibi dedicatum perambulare, & quosdam, parùm religiosè viventes, virga percutere visus es; lacrymata deindè ibidem imagine Crucifixi: rogatus verò à quodam Religioso, ad quid venisses? respondisti; O *Frater*; *venio iterùm affari.*

S. Athanasia, quæ marito cœnobium persuasisti; & ipsa Christo velata, facta es magistra virtutis, verbo, & patientia, abstinentia, aliarumque virtutum exemplo; posteà dæmoniacorum, hydropicorum, & aliorum miserorum curationibus celebrata,

s. Werenfride, Apostolici spiritus vir, ægrorum medice, divinitùs date.

s. Athanasia Vidua, in cujus, tunc parvulæ, ac telam texentis, pectus, visa est splendida è cœlo stella descendere: illumina labores meos.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. *MARIA, quæ ei, qui hac* tuæ mortis nocte *Romæ vitam finivit B.* Stanislao *tuo, jam olim Viennæ Austriæ*

JESUM

SUM parvulum in sinum, sanitatem, & simul consilium de ineunda Filii tui Societate dedisti. Da mihi JESUM nunc, & in hora mortis meæ, qui me faciat tuis consiliis obedire!

S. MARIA, quæ, hoc die, oranti S. Mechtildi apparuisti, & dixisti, te, cùm orares, inæstimabili desiderio laudandi Deum, & gratias agendi accensam supervenisse novum ardorem amoris divini, excitantem in te ineffabile desiderium videndi ipsum in mortuali lectulo decumbenti, Seraphini tibi amorem ministrabant, ignem illum divinum in te magis ac magis accendentes, & ibi deambulare visi. Effice, ut mihi quoque Seraphini ministrent, nunc, & in hora mortis meæ, ignem illum, qui vehementissimum Dei amorem, ac desiderium in me accendat!

S. MARIA, ad cujus primas Vesperas de Assumptione tua canendas hoc die à mortuis surrexerunt quadraginta Cistercienses in Magiensi Hiberniæ monasterio, quos in fidei Catholicæ odium trucidarant hæretici: & repositis in locum suum (quæ amputata erant) capitibus, palmis aureisque coronis illustres, totas tuas Vesperas voce, ac pietate Angelica, cecinerunt; ac post illas, iterùm requieverunt in pace. Doce me, Domine ita orare, quemadmodum orarem si à morte ad vitam redux, huc tantisper è cœlo reverterer ad orandum: & si scirem me cum oratione vitam finiturum, atque ad videndum, amandumque Deum, in cœlum illicò rediturum!

15. Augusti. 18. Kal. Septemb.

GLoriosissima cælorum, ac terrarum, Sanctorum & Sanctarum omnium, hodie in cœlum assumpta

sumpta Imperatrix MARIA, Dei Patris Filia, Dei Filii Mater, Dei Spiritus sancti Sponsa, hodie coronata. Gratulor totus gratiæ tuæ tantæ, gloriæ tantæ; & sacrosanctæ Tinitati gratias omnes, quas possum, ago pro amore, pro honore, quo te ornavit, fecitq; te gloriam æternitatis nostræ, æternum splendorem gloriæ nostræ, magnetem, per quem ad se corda traheret, quæ creavit. Per sacrosanctam, & divinissimi amoris plenissimam mortē tuam, gloriam tuam, per majestatem divinæ maternitatis tuæ, per amorem, quo Dei Deoque amantissima fuisti, erisque in sempiternum, sit tibi cordi vita, mors, æternitas mea! Assume misellam hanc ancillam tuam, & ad æternitatis nomen trepidam, animam meam; ut in morte à corde meo abeat ad te, itinere sancto! Quicquid ad Dei, vel tuum cultū pertinens ulli uspiam libri continent sanctum, quicquid unquam in cælo, & in terra, pro Dei, pro tua gloria gestum est, geritur, ac geretur, affectus, & amores, ac honores omnes approbo, de illis gaudeo, illosque per te offero Deo meo, desiderans te eodem, & omni alio meliore modo colere, quicquid uspiam factum est mali, doleo. Cupio Deum, & te modis omnibus amare, colere, quicunque vel cogitatione ulla vel ullo libro expressi sunt. Utinam & nunc, & in æternum, omnibus omnium creaturarum optimis, & maximis honoribus, & amoribus Deum meum amem tecum; omnes illos actus Deo per te, perfectissimè offeram; & in pretiosissimo altissimi erga Deum amoris actu, corde humillimo emoriar, & postea æternum tecum. O Virginum opti-

optima, ô Matrum maxima, sis mihi Mater pulchræ dilectionis, ac dulcissima tessera felicissimæ prædestinationis. Amen.

s. Stephane Rex, Ungariæ Apostole, hodie novo tuo Ungariæ regno mortue, regno cælorum nate.

s. Tharsici, fustibus, & lapidibus occise Martyr; sanctissimo sacramento, quod ad ægrum ferebas, disparente, ne contaminaretur.

s. Arduine, inter urticas castissime volutate; ut turpes carnis colores extingueres.

s. Limbania V. quæ carnem ferreo pectine lacerabas; & in cubiculo, divinâ luce splendido, flexis genibus, erecta cervice, porrectis in altum manibus exanimis es reperta.

s. Alphi Ep. charissime s. Augustini discipule.

s. Arnulphe Episc. beneficentia, oratione, apparitionibus, miraculis clare; cui ante mortem apparens s. Petrus, s. Michael, denique Beatissima Virgo, de peccatis veniam, felix ad cœlum iter, & commeatum promiserunt.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *cui hodie in cœlos assumpta, hodie moriens*, S. Stephanus *Rex, Vngariam suam testamento dedit, ut illa esset familia tua, aula, cliens, filia tu illi Mater familias Regina, Patrona, Mater! Ecce me do totum tibi! dignare me accipe; possidere me in æternum: assume me ad te!*

s. MARIA, *quæ hoc die, te* s. Gertrudi *ostendisti, in veste aureis floribus perinsigni; quorum florum alius præ alio eò magis minusve oculos recreabat, quò major vel minor fuit orantium eo die amor atque atten-*

attentio. Angeli autem ad te adducebant animas, quæ se ad hoc tuum festum accuratiùs præpararunt, sub pallium verò tuum quædam varii generis bestiolæ accurrebant, symbola, sub tuum præsidium confugientium, peccatorum, de qua hoc die canere auditus in cœlo est ipse JESUS: Ista est speciosa; *Spiritu sancto cor ejus permovente. Visi etiam sunt in prato flores, amœnissimo splendore, tanquam hilares, tuæ gloriæ gratulari, te intereà canente:* Gaudens gaudebo in Domino! *dicentibus cœli civibus: Beatâ es, Virgo MARIA!* exaltata es: *& unà tecum.* Te Deum laudamus, *canentibus. Quæ hoc die animas ad sacram synaxim accedentes visa es florido tuo pallio tegere, ac Filio tuo dicere; Respice hanc, dulcissime Fili! Christo tuis precibus amantissimè anuente. Quæ ad imitationem tui omnes, festo huic tuo celebrando, præsentes invitans omnes lilio candidissimo veluti sceptro gratiæ, tetigisti; & ductâ super omnes dilecti Filii tui dextera, visa es benedicere cœtui universo. Benedic cordi meo, ut tecum ascendat!*

S. MARIA, *in cujus morte* Joannes *tuus dolenter videns se à te avelli, te instar charissimi de protiosissimi muneris, obtulit Deo Vnde* S. Mechtildis *illum orabat, sibi per eum à Deo gratiam impetrari, ut vellet* omne earum pro Christi amore respuere, ut Deum posset toto corde diligere: *Ille verò quantum thesaurum in te perderet innuens, dixit:* Ego ex verbis Matris Domini mei tantum habui consolationis, ut nunquam verbum ex illa audiverim, unde speciale gaudium non sentirem. *Loquere Domina, loquere cordi meo; ut audiat ignitum eloquium tuum vehementer!*

S.MA-

S. MARIA, *cujus morientis & assumptæ delicias, Mechtildi ostendit Deus, quando illa vidit, quomodò humillimum cor tuum idem Deus torrente divinitatis suæ impleverit; quomodò anima tua evolans, super cor Filii tui quieverit, ab ipso æterni Patris corde suscepta:* & Seraphici spiritus, à calore charitatis tuæ, ampliùs in charitate sunt accensi, Deus verò in corde tuo delectari videbatur. *Fac ut sciam, fac ut velim Deum totis viribus delectare!*

Cui hoc eodem die, cùm Salve Regina *caneretur, dixit* S. Mechtildis; Utinam omnium creaturarum corda in potestate haberem, ut ex affectu, & viribus omnium, te dulcissima, salutarem! *& jussa est a te, super cor* JESU *quiescere, ac te, per cor* JESU, diligentissimè salutare. *Dignare me laudare te, amare te, salutare te cordibus omnium te summè amantium!*

Quæ cuidam, pro cujus felici agone te orabat S. Mechtildis, *nuntiasti.* Orabit me per fervorem, quo anima mea in Deum, velut scintillula in ignem suum, revolavit, ejusque divino cordi, velut pennula attracta, adhæsit; ut anima ejus ferventi amore succendatur: ut in hora mortis, ab omni impedimento libera, feliciter in Deum valeat evolare. Ego enim illi, & omnibus, quæ mihi deserviunt, in extremis volo adstare. *Oro te, Domina, oro te per illum fervorem, per illum amorem animæ tuæ velut scintillulæ in Deum ignem suum, infinitè infinitum: evolantis: ut animam meam nunc & in hora mortis meæ, summo illo Dei amore accendas, & illi adsis migranti ad æternitatem!*

Quæ, spectante ia Mechtilde, *cuidam tuis gaudiis gratu-*

gratulanti monile atque consilium dedisti, ut tibi gratularetur de gaudio quod habebas in amore Sss. Trinitatis, te diligentis, eligentis, & sibi in omni obsequio, Christo in terris exhibito, complacentis: item de gaudio quod habuisti in immensitatem delicati amoris, *quo te Filius tuus accepit,* decantans mihi (*ut dicebas*) altissimum & suavissimum amoris canticum præsuavissimæ vocis suæ *de gaudio, quod in Dei osculo in cœlo habuisti,* quando mellifluì facti sunt cœli, (*ut ajebas*) ita ut nullus in terris tam miser, aut malus sit; quin ei ex mea plenitudine, si tamen desideret, valeam impertire. *Desidero, Domina & desidero magis desiderare quàm desiderem, ut me juves, ut concupiscam desiderare Deum, & quicquid vult ut desiderem Deus meus!*

Qua hoc die in cœlo mensæ assidere conspecta es, cum omnibus hoc die Ss. Eucharistiæ Sacramento refectis: visa es cum Christo, S. Ioanne Baptista & Evangelistâ supplicationem hoc die celebrare omnibus Sanctis Deo Sanctus, sanctus, sanctus,! *canentibus, ac voce tuâ voces omnium supergressâ. Doce me benè vesci escâ illa cœlesti, & me totum, unà tecum, laudando ac amando Deo impendere!*

S. MARIA, *Zyrovvicensis, cujus festum in Lithuania hoc die celebratur, quam in silva in arbore pyro, sine fulcro pendentem, lux prodidit, qua inde ablato, eodem sponte tua rediisti; postea, igne omnia circum depasto illæsa. Qua quibusdam heresi aliis gravi quopiam peccato, infectis visa es veluti tenebroso quopiam velo obducta, cùm tamen iisdem, dum post ritè obita pœnitentia ac Eucharistia sacramenta te aspicerent, pulchra & amœna esses. Dele, Domina, dele quicquid*

in me displicet oculis tuis; quicquid potest tenebras effundere oculis cordis mei!

16. Augusti. 17. Kal. Septemb.

SAncte Roche, qui lue afflatarum factus pro Christo servus, eorum plures Cruce sanasti, & ipse, a sagittæ vulnere, in coxa curatus ab Angelo es; cui canis in dies singulos panem pro annona dedit; qui annis quinque detentus in carcere, epidemicâ lue infectus, postea decessisti felix: ad cujus mortui latus tabella reperta est, in qua hæc: *Peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem illam atrocissimam evasuros significo.* S. Roche, ab animi, vel maxime, peste me libera. *A*desto mihi morienti tu, & Angelus tuus; ut illo morbo, morte illâ, tunc, & ibi moriar, ubi, & quando gloriæ suæ, ac æternitate meæ, quam optimum fore scit Deus meus. Amen.

s. Hyachinthe, maxime MARIÆ fili, virginitate, abstinentiâ, longâ ferventique oratione, charitate, corporis afflictatione, zelo Dei spectatissime; verbis tandem illis immortue: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum!*

s. Tite Martyr.

s. Diomedes medice gladio cæse, Martyr.

Sancti triginta tres Martyres.

s. *A*mbrosi centurio, per ignem illæse, per aquam Martyr.

s. Simplici. Ep.

s. Eleuther. Ep.

s. Arsaci; qui virtutibus, ac prophetiâ clarus, in gen-

gentem draconem interemisti orando, & etiam inter orandum spiritum exhalasti.

s. Serena, Diocletiani Augusti uxor.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *quæ à* S. Hyacintho *tuo visa dixisti* : Quicquid à Filio meo per me petieris, impetrabis. *Per te à Filio tuo peto actuosum & constantem amorem Dei, peto felicem mortem. Doce me ita petere, ut impetrem!*

17. *Augusti.* 16. *Kal. Septemb.*

SAncte Joannes, (posteà Eliæ junioris nomine appellate) qui nobilitatem tuam ingenti virtute nobilitâsti. Qui divinis legendis addictus, quædam exercebas, & assiduè animo volvebas, cui divinitùs dictum est per quietem: Oportet, Joannes, te captivum in Africam abduci; ut multos ibi in virtutis viam dirigas, id quod ubi factum est, magna ibi pro Dei amore parâsti. Tùm inviso, à s. Anania, Christi discipulo, animatus, fœminam impudicam, tibi flagitium offerentem, castissimâ victoriâ superâsti, Hierosolymis deinde peragrinus, ab Elia Patriarcha, in cœnobio, ad cælestia eruditus, vaticiniis clarus, & magnus virtutis magister factus. Danieli discipulo tuo, qui jussu tuo elegantem psalterii librum in lacum projecerat, ac ab aquis nil omninò passum receperat, dixisti: Obedientia codicem servavit immunē. Inculcabas tuis: paupertatem summo studio complecti eos debere; ne fortè eos rideāt cælestes illæ mentes. Qui à Ss. Petro & Paulo Apostolis, Romam proficisci, cum Daniele discipulo

tuo

tuo, jussus, ab iisdem Romæ splendidis vestibus indui, una cum discipulo tuo, es visus. Qui absens matris tuæ mortem, & gloriam cælitus didicisti, qui Constantino cuidam arthritico dixisti: Fieri non potest, ut ab eo malo aliquando emergas, nisi prius è flagitiorum cœno emerseris, & de gula gulæque ancilla luxuria monitum, ab articulorum cruciatibus persanasti. Pro Basilio quodam, in Africa captivo, orasti, ei apparuisti, & in patriam redire jussum liberâsti, clausum per quinque menses cælum, oratione, in pluvias effudisti: fluvium sicco pede transiisti; fontem precibus elicuisti: orans conspectus es igne, ac lumine circumfundi. Cujus corpus post decem menses effossum, integrum & fragrans repertum est; & energumenus adolescens liberatus ibi est à dæmone, qui eum cogebat sordes proprias devorare. Talibus deliciis pascit suos dæmon. Ora tu pro me, ut omnia arbitrer stercora, ut Christum lucri faciam, indue me splendidâ & cælesti veste divini amoris; qui mihi nuptialem vestem paret pro cœna nuptiarum Agni, in convivio beatorum, Amen.

B. Clara de monte Falcone cui è MARIÆ Matris sinu dulce osculum dedit Parvulus JESUS; à qua locum in corde sancto petebat, Cruce & Sponsi habitu splendidè vestitus JESUS; cui agnelli specie colludebat JESUS; quæ moriens apparenti sibi Angelo, dixisti: *Angele Dei nuntia sanctissima Virgini, ut me in cælestes sedes recipiat*: cujus cordi suæ mortis mysteria, & instrumenta sanctè impressit JESUS; in cujus felle tres globuli sunt reperti, quorum unus ejusdem omninò & coloris fuit, &

ponde-

ponderis, cujus duo; nec duo plus ponderis habebant, vel minus quam unus; nec omnes tres plus, aut minus ponderabant, quàm unus, vel duo; pulchrum sanctissimæ, quæ tibi cordi semper fuit, Trinitatis symbolum. Dilecta Trinitati sanctæ, Crucifixo JEsu, & MARIÆ, Virgo; dic divinæ Trinitati, dic Deo JESU, dic MARIÆ, ut cor meum ita sculpant, ita præparent sibi, *ut me morientem in cælestes sedes recipiant.*

Ss. Liberate, Bonifaci, Serve, Rustice, Rogate, Septime, & Maxime puer, suppliciis inauditis exagitati, super ligna, quibus concremandi eratis, clavis affixi, igne divinitùs semper extincto; capite, ac cerebro comminuto, Martyres.

s. Mamane in carcere nate, *Angelorum* sæpè operâ felix, pro Christo ungulis laniate; qui in fornace ardenti, velut inter flores, psallebas Deo; cui blanditæ feræ; quem tridente percussum, tandem occupavit beata mors.

s. Myron Presb. Martyr.

Sancti Straton, Philippe, & Eutychiane, à bestiis illæsi, igne consumpti. MM.

s. Paule, & Juliana soror, miris, variis, ac horrendis suppliciis torti, conversis aliquot, ab *Angelis* visitati, à bestiis nil læsi, post plura miracula, in igne Christum laudantes, & *Angeli* operâ nihil passi, post lampades, aliasque adustiones superatas, cæso capite Martyres gloriosi.

s. *Anastasi* Episc.

s. Hiero *M.* Apostole Frisorum, cujus implorato nomine, res furto ablatæ, vel aliàs amissæ, mirificè reperiuntur.

S.Nicolae Eremita, qui, Dei amore, fugisti parentes, tibi nuptias obtrudentes, quando vocem è cælo audisti: *Nicolae, surge: sequere me; veni mecum: & ostendam tibi salutarem pœnitentiæ locum; in quo, si volueris, servare animam tuam poteris*, & obsecutus es invitanti. Cui sitienti, & oranti, dictum è cœlo: Exsurge, Nicolae, & saxum, quod vides, baculo percute in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, illud quod petis, tibi præstabit, id quod ubi fecisti, aqua è saxo scaturiit. Qui sub saxo orans, *quotidie septies* illacrymabaris Christi Vulneribus, non nisi semel solitus vesci quotidie. Qui cùm eleemosynam peteres à duabus fœminis, poma portantibus, & earum altera nil tibi dare vellet, illi, quæ dedit benè precatus es; & pomis illius ad multos dies integris, alterius brevi poma omnia putruerunt. Qui denique fixis humi genibus, & oculis in cælum intentis, mortuus es repertus, campanis ubique sponte suâ sonum edentibus. Impetra mihi id, quod pro te petebas familiari illâ oratione tuâ, cùm diceres: *O Pater, ô Fili, ô sancte Spiritus, in precationem meam intende; in te duntaxat spes meas collocatas habeo, cùm è vita discessero, obsecro, animam meam recipias. Amen.*

OMNES SANCTI, &c. *pag. 4.*

S.MARIA, *à Beata* Clara *moriente, visa aperto cælo ipsius animam expectare. Suscipe migrantem hinc animam meam, in amplexus tuos; & ut merear, me prapara æternitati!*

S. MARIA, *ad cujus templum deportari divinitùs jussum est corpus* S. Nicolai Eremitæ, *hoc die vitâ functi, cùm enim per iter substitisset, neque moveri ultrà*

ultrà posset, infans è sinu matris locutus, dixit; deferent illud ad divæ Virginis MARIÆ *templum, cui à* Rogato *est nomen: id quod est factum. Domina, fac, ut & corpus, & anima mea, laborent amori tuo & honori, ac in te posteà requiescant!*

18. *Augusti.* 15. *Kal. Septemb.*

SAncte *Agapite*, quindecim annorum adolescentule, qui Præsidi dixisti: *Sapientia tua, & vanitas in fumo laborat*; qui nervos, & quatuor dierum inediam perpessus, ardentibus postea carbonibus coronatus, Deo semper gratias agens ab equuleo in fumum è pedibus pependisti: qui aquâ bulliente in ventrem infusa, maxillisque confractis, postquam & Judicem expirâsse, & bestias ad pedes tuos supplices vidisti, caput inter duas columnas dedisti ferro. O ætatem virtute supergresse Martyr! tuæ fortitudini commendo ultimam illam infirmitatem, & fragilitatem meam, ut una cum corpore ne langueat anima mea, sed fidelis Deo semper, & chara, æmuletur charismata optima; æmuletur tenerum tuum, & aliorum exemplum, & eâdem tecum æternitate recipi mereatur. *Amen.*

Ss. Joannes, & Crispe, quorum sancta in sepeliendis Martyribus officia matyrio coronavit Deus.

Ss. Herma, Seraphion, & Polyæne, qui per angusta, saxosa & aspera loca raptati, Deo animas reddidistis.

Sancti Flore & Laure, lapicidæ, magistros vestros, Proculum & Maximum Martyres, in martyrio, dum in puteum demergeremini, subsecuti,

Ss. Leo & Juliana, Martyres.

s. Firmine Episc.

s. Helena, Constantini *Magni* mater, extructis templis, Cruce inventa, & magnis constantissimæ pietatis operibus heroinarum exemplar.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 4.

S. *MARIA*, *cujus Christum parientis præsepe* s. Helena *templo & ornamentis variis, destructo Adonide, exornavit; destrue in me, quicquid alienum est à te; & fac: ut optimis & maximis, quibus possum, modis amem & honorem* JESUM *tuum, ac te*!

s. MARIA, *quæ Beato* Jacobo *tuo, divinis operanti, cum Sanctorum multitudine, adfuisti, ei corrollam è floribus cælestibus texuisti, eaque illum coronasti, corona me in miserationibus æternis*!

s. Maria, de catena *dicta*, *cujus festum Panormi quotanis hoc die celebratur, ob tres, qui ad furcam damnati fuerant, innocentes, per te absolutos, & liberatos, ad has voces è tua imagine auditas.* Abite jam liberi, etenim annuit meis precibus Filius, quem in ulnis gesto, & vos è vinculis exemit. *Et simul illis catenæ sponte sua cecidère. Solve vincula reis sensibus meis internis & externis Dierumpe vincula mea, ut Filio tuo in honorem tuum, sacrificem hostiam laudis. Ne patere, ut sim captivus dæmonis, vel amoris proprii, fac, ut sim captivus amoris Dei, vinculis aureis oculos, cor, linguam, pedes, manus meas ligantibus*!

19. *Augusti*. 14. Kal, Septemb.

SAncte Ludovice, ex Maria Hungarica, Caroli II. Siciliæ Regis fili, qui dæmonem sub felis forma latentem Cruce fugâsti; eleemosynam daturus, illam in rosas vertisti; quem ita, ut fore prædixerat, juvit in morte Maria, à te sæpè ac tenerè implorata. Nam moriens, inter manus Angelorum, subvolare in cœlum es visus, & hæc de cœlo voces auditæ: *Sic fit servienti Deo in munditie, & puritate!* Ora pro me, & vivente, & moriente, ô sancte mi Mariane! Pro vivente, ut *serviam Deo in munditie, & puritate*; pro moriente, ut *morientem* Maria *juvet me*. Amen.

s. Magne Episc. cui, cùm parvulus ob necessariorum inopiam affligereris, Angelus aparuit, & dixit: *Cur Magne, tristaris? Ego, ad depellendum abs te mœrorem veni*; & decem librarum auri massam reperisti; posteà Episcopus, à tyrannis orandi spatio impetrato, expirâsti.

s. Juli senator M. tam diu fustibus cæse, donec traderes spiritum.

s. Andrea tribune, cum sociis militibus, qui parva manu hostes plurimos, Christo invocato, fugâsti; dæmones è corporibus ejecisti, qui in ferreo, candentique lectulo assatus, hymnos, & cantica Deo pro gratiarum actione, cecinisti; cujus socii, in Crucis modum suffixi jucundissimè exultârunt, ac tandem liberi, denique pro Christo trucidati sunt MM.

s. Timothee M. post multa superata supplicia, lento igne combuste.

s. Thecla, ferarum dentibus laniata M.

B. Donate Presb. devotissime.

s. Mariane Eremita, qui sub arbore inventus exanimis, magnâ populi devotione, compluribusque miraculis coruscâsti.

s. Rufine Conf.

s. Berculphe, Ecclesiastes sancte, à S. Petro Apostolo, tibi apparente, sanate.

s. Sebalde, sanguis regius, sponse Virgo, qui Beatissimam Virginem, cum s. Josepho Sponso, ipsa nuptiali nocte, vidisti: cui peregrino cibum Angeli dedêre; qui glaciem, alendo foco, ut ligni vices subiret, orando effecisti, ante, ac post mortem mirabilis.

s. Bernarde, qui pridie ante tuum festum. s. Gertrudi, in veste, innocentiæ, religionis, ac *ferventissimi amoris* tui indice, conspectus es, coronatus: & laminis aureis in pectore, collo, manibus coopertus aurea eorum, quæ de *divino potissimùm amore* corde cogitaras, voce dixeras, manu scripseras, præmia ostendisti, gemmis etiam (quæ radiis, ad Dei cor usque porrectis, Deum delectabant) illa vel maximè tua dicta & scripta indicantibus, quæ *divinum amorem maximè redolebant*. Occupa cor meum totum, linguam totam, totum calamum, totas manus illo amore; ut omnia mea illum redoleant, & serviant illi alendo, ac magis inflammando.

s. Bartholomæe, qui nudis pedibus, pellicia zonâ præcinctus, baculum, olim ab Apostolorum principe Cruce insignitum manu gestans peregrinus, in eremo dæmonem superasti. Qui calumniis appetitus, & ob illas à Rege ad rogum damnatus, cùm

cùm divino ſacrificio operareris. Rex penès te igneam columnam, ad cœlum uſque porrectam, ac Angelos tibi miniſtrantes aſpexit, & calumniatores tuos igni addixit. Impetra igneam divini amoris columnam cordi meo, quæ totam ſpiritûs mei fabricam fulciat, converte & illos, ſi qui ſunt, qui calumniantur me.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *quam cur adeò coleret, rogatus* S. Ludovicus *hodiernus, reſpondit:* Morientem illa juvabit me. *Juva me ita viventem; ut ne te impediam, quò minùs me juves morientem!*

S. MARIA *quæ hodierno* S. Bartholomæo *Abbati* JESUM *parvulum in ſinu geſtans, & locum certum aſſignans, dixiſti:* Hic te manere oportet; mihique animarum ſcholam, hoc ipſo in loco conſtituere. in quo multi, per te, ſalutem conſequantur. *Eſto magiſtra anima mea in illa* ſchola animarum, *in qua diſcitur amor Dei; ut ſim docilis, & doctus diſcipulus!*

20. *Auguſti.* 13. *Kal. Septemb.*

SAncte Stephane, Rex Apoſtole, quem naſciturum S. Stephanus protomartyr, Angelus, & Beatiſſima Deipara prædixit; cui coronam regni, Angeli monitu, ſummus Chriſti Vicarius miſit pugnaturo, ac pugnanti, Angelus adfuit, & MARIA: qui moriens Ungariam tuam Marianam olim aulam, familiam, peculium, hæreditatem, MARIÆ, ut Reginæ, legâſti. Ora pro me, & pro regno illo, olim tuo, & pro Orbe univerſo; ut omnes ſimus

mus hæreditas tua, aulici tui. Parcat, te intercedente, JEsus, & Maria, quòd adeò inurbanus, adeò parùm ad officiosa obsequia promptus Jesu, & Mariæ aulicus fuerim; faciatque ut posthac ad omnes illorum nutus expeditè atque accuratissimè diligens, hoc ad mortualem lectulum solatium mecum feram, me omnia omnium aulicorum erga suos Principes obsequia, meo JEsu, ac Mariæ obsequendi studio, superare conatum: atque ita in illam, in qua tu es, æternitatis aulam, æternus Dei aulicus palatinus futurus, beata morte, recipiar. Amen.

S. Bernarde, melliflua JEsu & Mariæ, ac cordium devotorum apis; qui puer vidisti natali Dei nocte nascentem Jesum! cui fratres tuos ad religionem pellicienti, visa est adesse non semel, olim extincta mater tua, quæ tibi arridens gratulabatur de consilio tam felici; aliàs quoque à te conspecta in gloria, qui turpes ignes aquâ gelidâ extinxisti, & nocte *latronem* pudicitiæ tuæ fugâsti victor: qui ad vale mundo, & salve cœlo dicendum, triginta socios, una tecum traxisti; cordium deinde dulcis magnes, animas ad Deum voce, calamo, exemplo, oratione rapiens: aliquando ad Dei tribunal abreptus expavisti, & Christi sanguinem ad tua merita addidisti; qui singulis tuis orationibus singulos Angelos adesse, ac nulla omissa syllaba, quicquid orando dicebant, auro, argento, atramento, vel aquâ (prout quisque flagrans erat, vel tepidus in orando) adnotare vidisti, è cujus orantis ore visus est ignis erumpere: quem è Cruce amplexus est JEsus: qui Angelos, *Salve Regina* canentes, audisti; qui cum domi

domi ad tuos diceres, visus es in altum, una cum cathedra elevari: qui moriens cuidam apparuisti, dicens, te velle in montem ascendere ad discendum; hîc enim nullam, ibi omnem, veri scientiam reperiri: qui denique à Maria, sanatus, illam spei tuæ fiduciam, & ad cœlum scalam, esse dixisti, & cœlum, per illam, moriens, ascendisti, ora illam pro me. S. Bernarde, ad cujus latus, hoc die, *divinus amor* stare conspectus est à dextris tuis, comes tuus quocumque ires; in signum meriti specialis, quòd tam multos *in Dei amore accenderis*. Accende & me, fac, ut *amor Dei* semper à dextris mihi sit, ne commovear: sit comes meus ubique locorum: sit instructor, suasor, impulsor, adjutor eorum, quæ cogito, quæ loquor, scribo, ago: ut omnia, ex ejus magisteriis ac institutione profecta, placeant amabili Deo meo, quem adeò amasti, & à quo adeò amatus es. S. Bernarde, quem, hoc tuo die, gloriosum vidit S. Gertrudis, mirifico quodam splendore de tuo pectore, ad omnia eorum pectora erumpente, qui per tua merita, *ferventem Dei amorem obtinere desiderant*; splendentibus in cujuslibet ita desiderantis pectore monilibus, omni, qua tu olim excellebas, *divini amoris* exercitatione illustribus; eò magis, quò anima quælibet magis desiderabat, & *laborabat amorem Dei obtinere*. Ecce me unum ex illis desiderantibus, & si non desidero ita ut par est, desidero desiderare amorem illum, quo cor tuum, os tuum, tuus calamus abundavit. Fac, oro, fac, ut desiderem, & laborem. Nam potes: quidni velis?

S. Samuel Propheta.

S. Luci senator, qui S. Theodori Ep. M. exemplo

permotus, unà tecum Dignianum Præsidem ad Christum, & ad martyrium gladii, pertraxisti.

Sancti Severe, & Memnon centurio, & alii triginta septem sancti Martyres, manibus pedibusque præcisis, in caminum ardentem injecti.

Sancti Leovigilde & Christophore, cervicibus, abscissis, igni traditi Mm.

s. Porphyri, qui S. *Agapitum* in fide erudivisti.

s. Philiberte, aulice sancte, posteà cœnobita, qui dæmonibus hominumque insidias divina vi compescuisti, & tua, ac aliorum peccata fletu, ac eleemosinis redimens quotidie, moribundo cuidam desperanti, & muto, fusis æde MARIÆ lacrymis, loquelam, & veram pœnitentiam impetrasti.

s. *Maxime* Episc.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *qua hodiernum tuum* S. Bernardum *tuo lacte dignata es; & dicenti*, Salve Maria! *ex tua imagine dixisti*, Salve Bernarde! *Esto nutrix animæ meæ ad vitam æternam!*

21. *Augusti.* 12. *Kal. Septemb.*

SAncta Bassa, quæ ab *Angelis* pasta in carcere, ignem, aquas, lapides sustinuisti, feras circurasti, idola stravisti, quam in fluctus abjectam, tres filii Martyres, è cœlo hospites, navicula deduxêre in portum; tu verò, fractis cruribus, capite truncata, abiisti ad portum, æternùm coronanda. Sancta mater, dic filiis tuis, ut unà tecum, unà cum JESU & MARIA, me adjuvent morientem: ero sub his præsidiis, propè portum æternitatis, à naufragio tutus. A.

s. Cy-

s. Cyriaca Vidua, quæ te, tuaque omnia Christo, in Sanctorum ministeria, deinde vitam quoque martyrio impendisti.

s. *Anastasi*. Sancti Agapyti adolescentuli *Martyris* exemplo converse, *Martyr*.

Ss. Luxori, Ciselle, & Camerine, Martyres, gladio cæsi.

s. Private Ep. pro Christo & grege tuo, & flagris, flammis, aliisque tormentis atrocissimè cruciate; posteà inter tuorum, ad tua genua provolutorum, vulneraque tua, præ amoris teneritudine lambentium lacrymas, extincte.

Ss. *Bonose* & Maximiane. Mm.

s. Paterne, qui inter sepeliendum Sanctorum corpora captus, denique in vinculis expirasti.

s. Humbelina, quæ, post lætam mortem, fratri tuo s. Bernardo, à quo à vanitate conversa fueras ad sanctitatem, in magno luminis, ac vestium splendore apparuisti.

s. Theodorice, qui dæmonem, cervæ specie se ostentantem, Cruce fugasti.

s. Euprepi Episc.

s. Quadrate Episc.

OMNES SANCTI, &c. *pag*. 4.

s. MARIA, *cujus gloriæ* Alphonsus, *Castellæ Rex*, *hoc die mortuus*, *templa erexit*, *ornavit*, *Cisterciensibus tuis cœnobia fundavit*; *ego autem moriens quid inveniam me fecisse in honorem tuum? Fac, ut faciam, quicquid possum. Vellem omnes Orbis totius opes in obsequium tuum expendere!*

22. *Augusti.* 11. *Kal. Septemb.*

SAncte Symphoriane adolescens, quem inter martyrii cruciatus morientem, animans mater, clamabat: *Nate nate, memento æternæ vitæ; cælum suspice, & ibi regantem intuere: tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.* Ita æternitatem illam iniisti lætus Martyr. Scio mearum horarum omnium negotium esse æternitatem meam; sed præcipuè horæ unius ultimæ. In illo tanto unius horæ negotio juva me, Symphoriane! etiam è cælo ad me morientem huc, unà cum matre sancta, respice! atque ut illud negotium negotiorum, in hora illa, mihi ex animi sententia sanctè cedat, effice. *A*men.

s. *MARIA*, cœli Augusta, à cujus triumphali die: dies hodie octavus est; gratulor gloriæ tuæ!

s. Timothee M. decollate.

s. HippolyteEpisc. eruditissime, in aquæ foveam præcipitate *M*.

s. Antonine M.

s. Athanasi Epis. M

Sancti Martialis, Saturnine, Epictete, Maprilis & Felix, sociique *Martyres*.

Sancti *A*gathonice, Zotice, & socii, Mm.

s. Anthusa, *A*ngelorum obsequiis nobilis fœmina, tentantium dæmonum triumphatrix, cilicii, Crucisque amantissima.

Sancti duo sanctæ *A*nthusæ servi, pro Christo passi.

s. Maure, cujus vulnera ungentes, teque cohortantes. Angeli conspecti sunt; unde tibi accesserunt quinquaginta socii, Mm.

s. Fa-

S. Fabriciane & Philiberte, MM.

s. Guniforte Martyr.

B. Joannes Bernarde Senensis, qui oculos Beatissimæ V. ope recepisti; candidatos multos, per scalas, ad JESUM & MARIAM in cœlum deduci vidisti; Ordinem tuum s. MARIÆ de monte Oliveti dedicâsti: in sociorum, peste laborantium, servitio, extinctus es.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *cujus assumpta Octava solennis est instituta, ob basiliscum aliis noxium, hodie expulsum. Expelle à me, quicquid aliis, vel mihi noxium potest esse in me!*

s. MARIA, *ad quam, unà cum Filio tuo, in alio conspectam, per scalam, ad cœlum usque porrectam candides tuos filios ab Angelis duci vidit* s. Bernardus Tolomæus. *Iube me duci ad te!*

23. Augusti. 10. Kal. Septemb.

BEate Philippe, serve MARIÆ, qui cum tibi in deserto inter spinas & serpentes esse videreris, MARIAM in curru aureo, à leone ac avicula vectam, cum columba radiis circumfusa, & Angelis *MARIÆ* laudes canentibus, vidisti, eandemque, religiosa veste tibi ostensa, dicentem audisti: *Philippe, accede, & adjunge te ad currum istum.* ab eadem duas candidissimi panis sportas, tempore famis, impetrasti: ad ejusdem aram in templo abjectus in genua, dixisti: *Hac requies mea!* Postea nec Florentino Episcopatu admisso; summum quoque Episcopatum, ad quem evocabaris, timens, per

tres

tres menses elongasti fugiens & mansisti in solitudine, pane precario, herbis, & aqua contentus. *Moriturus*, post viaticum, & septem Psalmos pœnitentiales, ac Sanctorum omnium Litanias, trium horarum spatio in mœsto silentio jacuisti; & deinde te pro tremendo Dei tribunali, à dæmone accusatum, sed fugato illo à Jesu & Maria, coronam æternam tibi ostendentibus, defensum fuisse dixisti; ac post ecstasin repetitam, *Date* ajebas crebrius, *date mihi meum librum*; *ô meum librum mihi date*! ac porrectum tibi Crucifixum tenero amplexu stringens igníto eloquio vehementer suspirabas, ac dicebas: *Hic est meus liber: liber, in quo ego lego Dei beneficia infinita*. Itainter oscula Crucifixi te mortuo, audita vox est divinitus, quæ dicebat. *O serve fidelis, quem Virgo præfecit suæ familiæ, veni in gaudium Domini tui!* & gloriam tuam; mortuis ad vitam revocatis, ac aliis admirandis celebrem fecit Deus. O serve bone, & fidelis! fac me verum MARIÆ servum, & discipulum doctissimum Crucifixi: ut in libro Crucifixi discam Deum amare, ita uti amasti; Dei Matri servire, ita uti tu servivisti; alta fugere, uti tu fugisti; in agone vincere, uti tu vicisti; denique æternam requiem, in gaudio Domini invenire, uti tu invenisti. *Amen*.

Sancti Restitute, Donate, Valeriane, & Fructuosa, cum aliis duodecim MM.

Ss. Quiriace Ep, Maxime, Archelae, & socii Martyres.

Sancti Claudi, Asteri, & Neon, fratres tres pueri, post exquisitæ crudelitatis tormenta, crucifixi.

San-

Sancta Donuina, virgis usque ad mortem concisa.

s. Theonilla, facie contusa, virgis cæsa, è capillis suspensa, capite novacula raso, deinde rubo cincta campestri, ad quatuor palos extensa, loro proscissa, post ardentes prunas, & alia supplicia, Martyr gloriosa.

Sancti Timothee & Apollinaris Martyres,

Ss. Minervi, & Eleazare, cum filiis octo, Martyres, ac alii decies novies mille Martyres Lugdunenses.

s. Luppe è servo Martyr.

s. Zacchæe Ep.

s. Theona Ep.

s. Victor Ep.

s. Flaviane Ep.

s. Sidoni Ep. genere, eloquentiâ, liberalitate insignis; cujus persecutores duos subitaneâ, & horrenda morte punivit vindex Deus.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *quæ servo tuo* B. Philippo, *ad currum tuum invitato postea vestem, alias verò candidos panes dedisti. Fac me servum tuum dignum, quem eò evehas, quò ego, nisi tuis precibus adjutus, ire non possum!*

25. *Augusti.* 9. *Kal. Septemb.*

SAncte Bartholomæe, Indorum, & majoris Armeniæ Apostole, ad cujus adventum idolum Astaroth obmutuit, Regis filia à dæmone liberata est, conversæ civitates, & ipse, cum omni suâ regiâ, Rex Polimius; à cujus postea fratre vivus excoriatus,

&

& capite plexus es sancte *Apostole*; qui centies interdiu, centies noctu, flectens genua orare consuevisti. O quam angusta est cæli porta! Per illos mortis sanctæ dolores te rogo, adesto mihi in doloribus, in gemitibus mortis meæ; ne me circumdent dolores inferni. Obmutescat tunc Astaroth; ut quando *rursum circumdabor pelle mea*, per mortem exutâ, in carne hac æternum beatus videam Salvatorem meum, s. Bartholomæe, à s. Mechtilde, in gloria, cum *aurea Cruce*, vise, & Christi ore; à cruce Christi sanctè portatâ, laudate', Fac, ut ex amore Dei bajulem crucem meam; ac me vincam, & ita divinus amor faciat *auream crucem* meam, Am.

Sancti trecenti Martyres, in fornace calcariâ, pro Christo, gloriosè consumpti.

s. Aurea Virgo, saxo ad collum ligato, in mare demersa; cujus corpus ad littus ejectum B. Nonnus sepelivit.

s. Tatio M. Gladio cæse.

s. Eutychi, sancte, & multa passe, s. Joannis Evangelistæ discipule.

s. Georgi, pro Martyrum, & imaginum honore, manibus abscissis, & capite incenso, Martyr.

s. Audoëne Episc. prophetiis, oratione, vitæ austeritate, prodigiis maxime: qui tuis precibus septem annorum sterilitatem avertisti; & de accipiendis Sanctorum reliquiis epistolam è cælo accepisti.

s. Patrici *Abba*.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *cujus hoc die, anno* 1625. *Foyensis*

imago

imago mirabilis, atq; amabilis, in templo Societatis Jesu *est Insulis collocata. Pone te in me, tanquam in ora gloria tua, ita ut nihil te possit auferre à me!*

25. *Augusti.* 8. *Kal. Septembris.*

SAncte Ludovice Rex, ab omni mortali peccato semper innocentissime; cui Blancha mater, *Equidem*, ajebat, *malim charissime fili, te extinctum, quàm lethali peccato obnoxium videre*: qui innocentiam tuam jejuniis, lacrymis, eleemosynis, orandi studio alebas, cilicio vestiebas: qui quo die cilicium induere non permittebaris à Confessario, illud compensasti auro liberaliter in pauperes erogato: qui toto anno, sextâ quavis feriâ, jejunasti; ne piscibus quidem, aut fructibus, in cibum admissis; sabbato quovis pauperum aliquot manus, & pedes lavisti, osculatus es, eosque stipe insigni donasti; visus aliquando pauperibus, etiam flexis genibus, ministrare, & quotidie, dum mensæ accumberes, tres senes pauperes prope te habere, atque illis regios cibos porrigere, verè humilis, & liberalis pauperum servus, & Pater. Demum in bello sancto, milite tuo peste afflicto, ipse victus, & captivus, iterum liber, & ad bellum sacrum redux, peste extinctus es, cùm diceres: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Ora pro me, sancte Rex, ut in omnibus eventibus adorem submissè providentiam Dei; ac ita me morti parem, ut semper, & ubique, morti malim, quàm peccato, quàm iræ Dei, quam gehennali æternitati, esse obnoxius. *Amen.*

s. Eusebi, qui inter tormenta, linguâ præcisâ, Christi laudes gloriosè loquebaris.

Ss. Pontiane, Vincenti, & Peregrine, s. Eusebii in tormentis socii, qui cum eodem in equuleo suspensi exaltastis, flammis latera exusti laudes Christo cantastis, & ab Angelo, corusco juvene, extersis spongiâ lateribus, ideoque converso carnifice, deinde Martyre, recreati estis; conversis tandem pluribus, patratisque miraculis, plumbatis cæsi estis usque ad mortem.

s. *Aredi* Abba, qui matri petenti aquam in loco sicco aquam elicuisti virgâ humi defixa; qui per imbrem hinc atque inde ruentem siccus ivisti; dolorem dentium à quodam orando dispulisti: quo moriente, fœmina energumena, *Currite*, ajebat, *cives, exite populi, exite obviam Martyribus, Confessoribusque, qui ad excessum B. Aredii conveniunt*: in cujus exequiis illa liberata à dæmone est.

s. Genesi, è mimo Christiane, qui post fustes, equuleum, virgas, lampades; *Non est Rex*, ajebas, *præter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde, aufferre non poteris*; & capite truncatus es.

s. Gerunti Ep.

Sancte alter Genesi M.

Ss. Juliane & Magne. MM.

s. Menna Episc.

s. Gregori Episc.

s. Patritia Virgo.

s. Hunegundis V. cilicio, & cineri, inter cœlestes odores, & lumen immortua.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MA-

S. MARIA, *quæ s.* Ludovico *Regi, in tempestate spectabilis, dixisti:* Ne timeas; ego enim tuum ero auxilium. *Fac ut in morte ne timeam, ideoq; tu meum esto auxilium!*

26. *Augusti.* 7. *Kal. Septemb.*

SAncte Alexander miles, qui, cùm in Christi gratia in admirabile lumen vocatum, nolle reverti ad tenebras diceres, mensam idololatricam calce evertisti; & contremiscente, neque te ferire volente carnifice, ultro te ad mortem sanctam componens, ictum excepisti; præcisis brachiis, lingua, & capite, felix Martyr: ad cujus corpus Deus quatuor faces accendit. Vicisti, sancte miles! Ora, ut vincam semper; ut in admirabile Dei lumen vocatus, in illo ita verser, ut semper utar lucidis Dei, me illuminantis, inspirationibus, usque ad mortem, & post mortem inducar in admirabile, ac æternum lumen videntium Deum. Amen.

s. Zephyrine Papa *M.*

s. Victor *M.*

Ss. Irenæe & Abundi, ob elevatum è cloaca s. Concordiæ corpus vivi cloaca mersi.

s. Secunde M. è legione Thebæorum Dux.

s. Simplici, unà cum filiis tuis, Constantino & Victoriano, securi percusse.

s. Hadriane Probi Cæsaris fili Martyr.

s. Rufine Ep.

s. Felix Presb.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cujus hodie est festum festorum, quo festa tua omnia sub uno titulo celebrantur. Doce me ita omnia ita singula celebrare, ut tecum sim in æterno festo festorum!*

27. *Augusti.* 6. *Kal. Septemb.*

SAncti Aureli & Natalia, conjuges; quibus præsens domi cum B. V. MARIA, & Angelis JESUS benedixit; quibus apparentes è cœlo sanctæ Flora & Maja Virgines Martyres, martyrium & gloriam prædixêre; qui ubi filiolas duas cœnobio, & opes pauperibus dedisti, per tormenta & mortem cò abiistis, quò JESUS dixit, cum tibi, s. Aureli, scalas in cœlum usque exporrectas ostendit. Benedic & mihi cum MARIA & Angelis, ô JESU, ultimum decumbenti! ut me, horum Sanctorum precibus, per scalas tuas sursum deductum, sursum colloces, non deorsum præcipites. Amen.

s. Rufe Episc. M.

s. Syagri Episc.

Ss. Rufe & Carpophore MM.

Sancti Marcelline, & Mannea conjux, Joannes, Serapion, & Petre, filii MM.

s. Euthalia V. pro Christo, à fratre tuo, gladio cæsa M.

s. Anthusa junior, in puteum mersa Martyr.

s. Narne Ep. à s. *Barnaba* baptizate, ordinate.

s. Cæsari Episc. qui etiam in somno clamare auditus es: *Duo sunt; nihil est medium: duo sunt; aut in cœlum ascenditur, aut in infernum descenditur!* qui pro tribus panibus, quos domi solos habebas, in

pau-

pauperes erogaris, tres naves, plenas tritico, accepisti; baculo tuo dæmones, tempestatesque fugasti: qui post stupenda miracula, visiones, virtutes, biennio ante mortem, coronam gloriæ, in cœlo tibi repositam vidisti, & vocem audisti: *Lætare in Domino! Ecce quæ percipies pro tuo servitio.* Doce me æterna sapere.

s. Gebharde Ep. qui, à morte, Abbati cuidam, noctu oranti, apparuisti, ac dixisti; te à Deo impetrasse, ut nemo eorum Religiosorum, qui istic degerent, pereat in æternum. Ora ne peream in æternum.

s. Joannes Ep.

s. Liceri Ep.

s. Pœmon Anachoreta.

s. Margarita vidua, cilicii tenacissima, quæ Christum in paupere, unico quem habebas pane, donâsti; deinde mendica pro mendicis facta.

s. Georgi, & socii Martyres.

OMNES SANCTI, &c. pag. 4

S. MARIA: *quæ s.* Gebhardo *visa porrecto Episcopali pedo, dixisti ut oves suas optimus æterna pascuis pasceret. Fac me bonam ovem; ut sim à dextris Pastoris nunc mei, olim Iudicis, Filii tui* Jesu!

28. *Augusti.* 5. *Kal. Septemb.*

SAncte *Augustine*, qui audita è cœlo voce, *Tolle, lege, Tolle, lege!* tulisti, legisti è Paulo, quales regnum Dei possessuri non sint. Inde Pœnitentium, Doctorum, Episcoporum, ac Religiosorum exemplar, ut ultimo vitæ lectulo, septem Psalmos pœni-

nitentiales in conspectu semper positos, profusis lacrymis legebas, ajebasque; neminem quantumvis nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine pœnitentia migret è vita, cujus cor dum viveret, dilectionis divinæ jaculo transfixum; post mortem, in ara collocatum, mirè exultare conspectum est, dum *Te Deum laudamus* caneretur, aut coram eo Ss. Trinitas celebraretur, aut liber à te de illa scriptus legeretur: atque in illius templi limine cadebant hæretici divina virtute prostrati. Prosterne in me quicquid Deo non placet in me; doce cor meum amare, ac legere libros, qui ad amorem Dei accendunt: doce de Deo scitè colloqui, doce amare, doce orare. O felicissimi, ò flammei cordis, & in altissimo gloriæ throno à Deo collocate vir! Veris pœnitentiæ ac amoris lacrymis, puro Dei calore, cor meum imbue; ut sanctâ verè pœnitentium, ac verè amantium morte moriar. s. *Augustine*, quem s. Gertrudis, gratias Deo, pro beneficiis ab illo in te collatis agens, vidit, cum s. Bernardo, pulchritudinis gloriâ decorum, & de corde ad cor Dei splendores igneos emittentem, ac radios ab ore spargentē, pœnitentiâ tuâ, quam olim egisti; cum *igniti amoris Dei fervore* concentum suavissimum edente in corde tuo; & edocta est divinitùs, ea esse signa ignea *ignita eloquentia, quâ corda hominum ad amorem Dei inflammabas*, Sim & ego unus ex iis, inflamma & me. Impetra mihi quoque ignem illum sanctum, qui omnem alium amoris ignem in te extinxit; ut cor meum sit aurum hoc igne ignitum à te. S. Augustine, qui tuo festo die, eidem sanctæ apparuisti, quasi ambabus manibus cor tuum, amore Dei

vul-

vulneratum, offerens Deo, in modum rosæ pulcherrimæ, odore suo omnes cœlites mirificè delectantis & ab eadem visus es orare Deum pro cordibus illorum omnium, qui per tuam merita *divinum amorem* desiderant adipisci. Desidero & ego & si non desidero, fac ut desiderem: cupio desiderare flagrantissimè. Impetra cordi meo à Deo, ut accendat magis, & exaudiat desiderium verè pauperis, & desiderare id, quod optimum est, nescientis cordis mei. Amen.

s. Hermes, vir illustris, gladio cæse Martyr.

s. Juliane miles, in cujus templo feroces bestiæ sunt mansuefactæ, quæ cùm te Christo totâ aviditate sitire diceres, dissecto gutture, morte horribili necatus es; fons in quo caput lotum est ægris medicina fuit, senes, qui te sepeliebant, in juvenile robur sunt renovati; & ad tumulum tuum, mense Novembri, magnæ, rutilantes, mirabili odore fragrantes, ægrisque salutares rosæ, repertæ sunt.

s. Pelagi M.

s. Viviane Ep.

Sancti Fortunate, Cai, & Anthes, decollati.

s. Alexander Episc. senex, contra hæreticos gloriose, ac potens.

s. Moyses, qui ex insigni latrone sanctus, multos latrones tecum ad cœnobium adduxisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *quam, unà cum Christi Vulneribus,* s. Augustinus *unicè, tenereq; colebat. Fac me servum fidelem Crucifixi tui* JESU, *& tuum!*

29. *Augusti.* 4. *Kal.* *Septemb.*

SAncte Joannes Baptista, in deserto Eremita, & clamantis pœnitentiam Dei vox; in aquis Baptista Jesu; in aula concionator, & ob reprehensam Herodis impuritatem, dicendo: *Non licet tibi*; Martyr. Persuade & cordi meo pœnitentiam sanctam, ut per mortem sanctam *appropinquem* regno cœlorum, & illud mihi, non verò regnum diaboli, appropinquet. Ora, ut quicquid mihi non licet, procul sit à me; ut ego propè Deum esse possim. Solare, imple spe sancta cor meum, in mortis angustiis, & Jesum, fundamentum veniæ ac spei meæ, mihi ostendens, dic: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi!* ut Jesus mea primùm peccata tollat à me, deinde ad se tollat me, Amen.

s. Sabina, matrona illustrissima, à s. Serapiâ Virgine Martyre conversa, gladio percussa.

s. Candida V. Martyr.

Ss. Nicæa & Paule MM.

Sancti Hypati Episc. & Andrea Presb. ob cultum sacrarum imaginum, barbâ pice illitâ, atque incensâ & cute capitis detracta, jugulati.

s. Eythymi, pro Christo sponte exul.

s. *A*delphe Episc.

s. *M*ederice, qui quendam tunica tua induens, ab impuris carnis æstibus liberasti.

s. Sebbe Rex.

s. Basilia.

s. Sabina Virgo, virtutibus & miraculis felix.

sancti Joannes & Petre, *MM.* qui ex Italia Valen-

lentiam à s. Francisco missi, & contra Mahometum pro Christo locuti, capite truncati estis, miraculis à morte illustres.

OMMES SANTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, Major, ad quem, hoc die, in Romana peste populum, in septem ordines, ut templa, divisum, supplicatione ducta, ire jussit S. Gregorius Magnus, ad opem tuam implorandam. Doce me ita tibi supplicem fieri, ut ne peream, à te adjutus!

30. *Augusti.* 3. *Kal. Septemb.*

SAncte Bononi adolescens, quem mortuorum attentus aspectus, & mortis profundè in cor demissa cogitatio, sanctum fecit qui hominum judiciis opponebas illud Pauli: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, adeoque *nihil pensi habens, quid homines vel loquerentur, vel sentirent*, Bononiæ totus mundo mortuus vixisti: postea precibus tempestatem sedasti, cumque ne ipso quidem Paschatis die vinum bibere velles, aquam tertiò in vinum conversam reperisti; cujus cubiculum visũ est sæpiùs divinitus cœlesti lumine circumfundi; qui pro lecti apparatu terram, lapidem, cilicium habuisti! qui magnus virtutis magister, post plura miracula, expirasti; & peccatori, ad sepulchrum tuũ supplici, catenas disrupisti, pacem conscientiæ impetrasti; Religioso autem cuidam, acri dentiũ dolore vexato, post mortem conspectus, ejus mentum tetigisti, & dolorem dispulisti. Imprime, & mihi sanctas illas bonæ, & malæ mortis cogitationes & omnium humanorum respectuum despectũ,

non enim ab humano, sed à Domini die judicabor. Sic ero servus Christi; sic placebo Domino, in regione vivorum, quando respectuum humanorum servi displicebunt æternùm Domino, in regione æternùm mortuorum. Amen.

s. Felix Presb. qui simulacris comminutis, dum ad mortem ducereris, obvium habuisti Christianum quendam, qui tibi additus, unà tecum decollatus, & Adauctus est dictus.

s. Gaudentia V. cum aliis tribus Martyres.

s. Pammachi Presb. doctissime, atque sanctissime.

Ss. Sexaginta Martyres *Africani.*

Ss. Bonifaci & Thecla, conjuges, felicissimi Beatorum duodecim filiorum Martyrum parentes, Martyres.

s. Fantine, zelo animatum & multis perpessis, ac abstinentia, singularis.

s Flacri, munificentiâ sanctâ: miraculisque magne.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cujus* festum glorificationis *hoc die celebratur. Fac ut sim ego is, in quo gloria misericordiæ tuæ splendeat in æternum!*

31. *Augusti. Prid. Kal. Septemb.*

SAncte Aidane Episc. qui cùm obvio tibi pauperi stipem, quam dares, non haberes, donatum tibi à Rege Osvvino equum, unà cum regiis phaleris, omnique apparatu illi donasti, ex equo descendens; & Regi, tui amantissimo, felicem mortem prædixisti

xisti, oratione, prophetiis, morte pulchra elatus. Felicissime Sancte, cujus animam s. Cutbertus ab Angelis in cœlum deferri vidit. Ne nega & mihi unam à te eleemosynam obnixè flagranti. En mensem hunc hodie hic finio; nescio ubi, & quomodo, finiam vitam. Tu ora, ut feliciter & menses meos omnes per ultimum vitæ momentum finiam, & nunquam finiendam Sanctorum omnium æternitatem ingrediar. Amen.

s. Pauline Episc. multis pro Christo, ad mortem usque, exiliis fatigate.

Ss. Robustiane & Marce Mm.

Ss. Cæsidi Presb. & socii Mm.

Ss. Theodore, & Rufina, s. *Mamantis* Martyres parentes, s. Ammia ejusdem nutrix.

s. Aristides, fide, sapientia, eloquentia, clarissime,

Ss. Optate & Amate Episcopi.

s. Dominice infans M. à Judæis in Hispania crucifixe: super cujus corpus lumen cœleste apparuit; impetra mihi lumen gratiæ & gloriæ; ut Deum videam ac amem in æternum.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cujus titulo,* MARIÆ de Anima, *templum Romæ posuit* Adrianus *Pontifex hoc die coronatus. Sit tibi anima mea templum, quod damon non destruat. Tu sis mihi* S. MARIA de anima mea *æternitati servanda solicita!*

ANNI CÆLESTIS,

SEPTEMBER.

1. *Septembris. Kal. Septemb.*

SAncte Ægidi, regiâ ſtirpe nate; qui cùm ægrum pauperem tunicâ tuâ tegeres, eum illico perſanaſti; quem poſtea, in eremi ſpecu, per cervam, ſtatis horis ad te lactandum venientem, pavit Deus; qui divinis incenſus, occultum Regis ſcelus, notatum in ſcheda, divinitùs accepiſti, non delendum, niſi illud Rex emendaſſet. Ora & pro me, ut ab occultis meis ita me mundet Deus, ut ne quid apertum, vel occultum, in me ſit, quod illius diſpliceat majeſtati vel quod me morientem cruciare poſſit; ſed ut corde planè puro migrem ad mundorum cordium centrum Deum. *Amen.*

Sancti duodecim fratres, Donate, Aronti, Honorate, Fortunate, Sabiniane, Septimini, Felices duo, Vitalis, Satyre, Januari, & Repoſite, ſanctè educati literis, & virtute; multis patratis miraculis, multis Chriſto adjunctis, fuſtibus pro Chriſto cæſi, à carcere per Angelum liberati, athletæ magni, per varia tormenta Martyres.

Sancti Joſue & Gedeon, ſancti vetuſtique exempli militum anteſignani.

B. *Anna* Propheti ſſa, ab Evangelio laudata.

s. Lazare, à Chriſto reſuſcitate.

s. Priſce *M.* Chriſti diſcipule.

s. Xiſte

s. Xiste Episcope, à s. Petro ordinate, Martyr.

s. Terentiane Episc. post equuleum, & scorpiones, abscissa linguâ decollate.

s. Ammon, & sanctæ quadraginta Virgines, ab illo ad fidem eruditæ, ad martyrium animatæ, Martyres.

Sancti Vincenti & Læte, Martyres, fratres gemelli, pro Christo combusti, qui post mortem coronati apparuistis.

s. Regule Martyr, qui amputatum tuum caput ad duo stadia detulisti; & ab iis, qui ad te ab Angelo ducti fuerant, sedens, quasi vivus, repertus es: atque ab iis vocatus, caput iterum ad jactum lapidis deportasti.

s. Lupe Episc. in cujus celebrantis calicem gemma cælitùs delapsa est; apertæ divinitùs templi portæ; qui obtrectatorum, & invidorum conatus lætus elusisti, hostes oratione vertisti in fugam, morbos curasti, captivos liberasti, incendium extinxisti, prostratum ad pedes tuos Regem supplicabundum pro venia vidisti, fœdum libidinis ardorem in aliis orando extinxisti.

Sancti Prisce Episc. & socii multa pro Christo passi.

s. Constanti Episc.

s. Victori Episc.

s. Verena V.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 4.*

S. MARIA, *cujus miraculorum festum hodie Monspelii celebratur, & cujus hodie festum est, ob cereum miraculis clarum, tibi dedicatum. Sim ego cereus tuus: ardeam, luceam, liquefiam tuo igne, usque*

dum consumar feliciter. Hoc peto miraculum per te!

2. *Septembris.* 4. *Nonas Septemb.*

SAncte Antonine, martyrii sitientissime Sacerdos, & Virgo; cujus caput aquilarum specie induti Angeli navicula deduxêre. Ora Regem Angelorum JESUM, & MARIAM Reginam, & ipsos Angelos, ut miserum hoc meum, &, nisi Deus illud protexerit, damnandum, caput custodiant, ut in morte, in horrendo illo capitis periculo, ad æternam securitatem, sub illorum ac tuo patrocinio, evadam securus. Amen.

s. Maxima Martyr, quæ, dum fustibus cæderetis, spiritum reddidisti.

Sancti Diomedes, Juliane, Philippe, Eutychiane, Hesychi, Leonides, Philadelphe, Menalippe, & Pantagapa, igne, aqua, ense, cruce, Martyres.

s. Zenon, & sancti Concordi ac Theodore, illius filii, tres Martyres.

Sancti Evodi, Hermogenes, & Callista, fratres, MM.

s. Juste, qui alieni etiam peccati culpam timebas; oratione, prophetiâ, & Episcopatu relicto magne.

s. Viator, s. Juste minister.

s. Elpidi Ep.

s. Elpidi Abba, septem totos annos sepulchro incluse.

s. Octaviane, qui in arboris concavo, ignotus omnibus, per annos plures, mirabiliter latuisti.

s. Non-

s. Nonnosi Abba, oratione potentissime.

s. Anicete Comes, *M.* qui etiam linguâ evulsâ locutus Deum laudasti; & nec à leone, cui objectus es, nec à plumbo liquefacto læsus es quicquam, visa Angelo tecum in ollam plumbi descendere. Demum, unà cum fratre tuo, s. Photino, equis indomitis raptatus, tandem in camino ignis, cum plurimis aliis Martyribus, extinctus es. Doce me laudare Deum: doce gratias agere semper atque ubique.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cujus amori, corde, oculis, ore, calamo, totus mancipatus* Franciscus Borgia, *hoc die anno* 1625. *inter Beatos ritè adscriptus est. Vendica me quoque tibi totum; & fac, ut eximia erga te pietas me semper ad majorem sanctimoniam præparet, illuminet, & accendat!*

3. Septembris. 3. Non Septemb.

SAncti Aigulphe, & socii Martyres, quibus in ergastulo s. Michaël apparuit, & dixit: *Confortamini, pusillus grex; complacuit enim Patri vestro dare vobis per martyrii palmam regnum Dei*; qui sine lingua in Dei laudes facundi, oculis erutis ad videndum Deum abiistis, & postea, in tyranni corpore, sanguinis gutta circulum, pro mortis omine, descripsistis. Describat in corde meo Jesus meus sanguine suo circulum æternitatis beatæ, omen æternæ vitæ, non mortis. Erudite cor & linguam meam, ad sanctè loquendum cum Deo, & de Deo; ut, ubi morte obmutuero, ad æternas suas laudes labia mea aperiat Deus, Amen.

s. Seraphia, prudentissima Virgo, cujus virginitatem splendidissimus Angelus tutatus est, cui admotæ ardentes lampades, extinctæ sunt; quæ fustibus deinde cæsa, post miracula, capite tandem plexa es.

s. Remacle Episc. in aula regia, maximo divinæ gloriæ emolumento, versate.

Sancta Phœbe, primitivæ Ecclesiæ fidelis filia.

Sanctæ Euphemia, Dorothea, Thecla, & Erasma, Virgines, post multa tormenta, Martyres.

Sancti Aristæe Ep. & Antonine puer, Martyres.

s. Basilissa Virgo, quæ novem tantùm annos nata, verbera, ignes, bestias, divina virtute superasti, & in oratione purum spiritum reddidisti.

Sancti Zenon, & Chariton alter in liquati plumbi lebetem, alter in fornacem ignis, immissi, Martyres.

s. Sandale M.

s. Mansuete Ep.

s. Auxane Ep.

s. Simeon Stylita junior.

s. Gregori Magne hodie in Christi Vicarium ordinate.

B. Theresia Lusitana, quæ pro pallio pauperi dato, aliud illi simillimum ab Angelo accepisti; in cujus calatho *pane* pauperibus porrigendi, *in rosas* sunt conversi: cujus in orando occupatæ loco, panem Angeli pinsuerunt; cujus nomine implorato plures ab hemicraniî dolore sunt liberati.

B. Alberte, ex usurario Eremita, qui gravissimas dæmonum insidias, ab Angelis confortatus, & nutritus, superasti; cujus tugurium Sanctorum splen-

doribus illustravit Deus, qui luem, S. Catharina, quam supplex orabas, ope cessaturam, ab Angelo didicisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. Maria, *cujus Angelicam salutationem pronuntians hodierna tua* Euphemia, *dæmonem à quo præcipitanda erat, fugavit. Doce me, ut sic te salutem, quò illum pellam; ne me unquam præcipitet!*

4. Septembris. Prid. Non. Septemb.

SAncta Rosa Viterbiensis V. in cujus parvulæ sinum aves advolabant, & ibi pascebantur: quæ matris tuæ sororem, cùm ad tumulum efferretur, vitæ reddidisti triennis; in cujus sinu panis frusta, quæ pro eleemosyna pauperibus danda portabas, in rosas conversa vidit in hyeme Pater tuus, quæ deinde longissimis jejuniis, ac patientiâ solidâ mirabilis, ostensa tibi cœli gaudia, & inferni tormenta, vidisti. Quæ à Beatissima Virgine visitata monita es, ut cilicio induta, ad populum de rebus divinis loquereris, verbo & exemplo futura utilis toti Viterbio. Quæ conspecto Christo crucifixo, & sanguine cooperto, cùm interrogares, saxo pectus percutiens, Domine, quis te sic flagellavit? responsum ab illo audisti: *Ardens Amor.* Quis cruci affixit? ille dixit: *Peccata mortalium.* Postea verò ste visens Christus in gloriâ, tuum pectus, & angustum, in quo latebas, cubiculum benedixit. Quæ cùm in plateis ad populū de divinis diviné loquereris, jussu Deiparæ lapis sub tuis pedibus divinitùs in altum elevatus est sæpius; ut videreris in turba ab iis, à quibus audiebaris.

ris Quæ tùm adhuc decennis tantùm, jam discipulas habuisti, easque docebas inter alia, ut oculos demitterent, ac parùm loquerentur. Cui igne ingressæ, ut sagam quandam vinceres, ille pepercit innoxius. Quæ VI. Martii, anno MCCLVIII. ætatis XVIII. mortua, Alexandro IV. Pontifici *Max.* apparuisti, & dixisti: *Ego sum Rosa Viterbiensis serva* JESU, & MARIÆ; & ille IV. Septembris corpus tuum, ante plures menses sepultum, ac incorruptum, rosæ super sepulchrum enatæ indicio, (ita, uti à te monitus fuerat) elevavit; ubi postmodum parvulus mortuus, ac plures alii vitâ functi, ad vitam rediêre; ægri alii sanitatem, cæci oculorum lumen recuperavére. O *Rosa felix*, trahe cor meum in odorem exempli tui! Doce me bene introspicere cœlum, infernum, Vulnera Crucifixi. Doce, ut MARIÆ consultrici obediam; & migrans hinc anima mea mereatur tuum illud elogium; *Ego sum serva IESU & MARIÆ Amen.*

S. Rosalia Virgo, contra pestem advocata, quæ à JESU & MARIA missa, ab *Angelis* ducta, in antris cœlestem vitam duxisti; certum orandi modum ab Angelis quoque edocta, preces Deo, rosarum instar, in calathis misisti: Sponsi cœlestis manu in sinu Matris sedentis coronata es, & ab eodem blandiente, modulantibus *Angelis*, corollas ex auro & rosis contextas, assistentibus Ss. Petro & Paulo, recipisti: ac tandem dormientis in modum emoriens Angelo duce, rosis redimita, ad cœlestes nuptias festinasti, & post mortem, inter quatuor Siciliæ Patronas Virgines, in cœlo media spectata es: & persæpe in urbes peste afflictas, atque addictos tibi clientes,

mi-

mirè benefica, jam animam agentem religiosum clientem tuum cum sacratissima Virgine Matre MARIA, & sanctis Ignatio, Xaverio, atque *Angelo* Custode, invisisti; ei votum Deo nuncupandum conceptis verbis dictasti, ac eum desertè ad magnum in virtute fervorem hortata, repentè a morbo lethifero persanasti. Inscribe ori, cordi, ac manibus meis illam antri tui epigraphen: *Amore Domini mei*, ut omnia, quæ eloquor, quæ taceo, quæ cogito, quæ ago, fiant *amore Domini mei*; cujus ego sum quicquid sum.

s. Moyses, mansuetissime, & zelo Dei plene Propheta Dux Legislator, Magister.

Sancti tres pueri *Martyres*, Rufine, *Silvane*, & Vitalice.

Sancti Magne, Caste, & *Maxime*, *Martyres*.

s. Marcelle, qui palam in convivio idola execratus, ethnicosque increpans, cingulo tenus defossus in terram, triduo toto Deum laudans, extinctus es.

s. Marcelle Ep. Martyr.

s. Thamel, ex idolorum sacerdote, cum sociis, pro Christo M.

Ss. Theodore, Occane, *Ammiane*, & Juliane, dissectis pedibus, in ignem conjecti MM.

s. Martine Diacone.

s. Candida à s. Petro baptizata.

s. Candida junior, quæ & marito, & filio, vita ut prorogaretur à Deo, impetrasti! cujus cadaveris fluens sudor salutaris fuit multis.

s. Ida, Vidua maximorum natalium, quæ tumbam, quam tibi præparâras, eleemosynis quotidie bis implevisti, easque pro felici ad mortem sanctam

præparatione, in egenos è tumba distribuisti.

B. Apollinaris V. nobilis, sancta Hierosolymis peregrina, in silva paludosa, inter perpetuos culices, eremita, & postea, sub Dorothei nomine, ac veste, anachoreta; quæ sororem à dæmone liberasti.

s. Mathia Abba, perpetuo cilicio use, cui s. Joannes Apostolus ab initio ad finem usque sacri adstitit præsens, à te aliisque duobus conspectus; fac, ut tremendo illi sacrificio sanctè adsim.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

s. MARIA, *quæ sanctas* Rosam, & Rosaliam *Virgines, ut mundum fugerent, docuisti. Doce & me, ut fugiam, quæ ille amat, amem, quæ fugit, nec aliud æstimem quam quod æstimat Deus. Defende me in tentationibus, Domina, quæ hac die, anno* 1260. *super Senensis tuæ civitatis exercitum, expanso pallio, conspecta es; unde dicta est.* Sena, vetus civitas Virginis!

S. MARIA, *quæ* JESUM *Parvulum hodiernæ tuæ* Catharinæ Raconisiæ *sponsum dedisti, dicente illo, dum annulum ei daret,* Ego te mihi desponso in fide, spe, & charitate. *Desponsa animam meam Christo: mitte ignem in ossibus meis; & erudi me de eruditis, quibus libenter interes, cogitationibus. Tuus sum ego: da mihi intellectum, imbue illum subtili solida, divina virtutum Theologicarum Theologia. Fac me tuum Theologum in fide solida, quæ per charitatem operetur; in spe, cujus anchora fixa sit in cœlo in charitate, quæ assidua exercitatione, sit magistra omnis amoris, omnis sancti odii, ac omnium, quæ cogito, dico, ago!*

5. *Septembris. Nonis Septemb.*

SAncte Eudoxi, qui exploratoribus tuis mensæ adhibitis, ipse te iis ultrò manifestâsti quis esses, & sublatis in cœlum oculis, cum loris verberareris, cùm cervix tua globis ferreis concuteretur, stabas orabasque, ut omnes, qui tuum apud Deum patrocinium implorarent, beneficiis abundè cumularet Deus. Ita cum Zenone, Macario, ac mille centum & quatuor militibus, exemplo tuo animatis, fudisti vitam. Pugna cum his, ora cum his omnibus pro me, in ultimo agone militiæ hujus meæ; ut ex hac vita, quæ est militia, descedenti mihi, mors sit victoria, & vita æterna sit triumphus. Amen.

s. Victorine Episc. zelotes animarum sanctissime, qui, unà cum aliis, ad putentes, & sulphureas aquas relegatus, capite deorsum, pro Christo, per triduum orans pependisti, Martyr.

s. Herculane. Martyr.

Sancti Quinti, Arcont & Donate Martyres.

s. Romule, aulæ Trajani præfecte, virgis cæse, capite truncate.

Sancti Urbane, Theodore, Menedeme, & socii septuaginta septem Ecclesiastici Ordinis, Martyres. pro fide Catholica, navi impositi, in mari comburi jussi.

s. Bertine Abba, animos gubernandi gratiâ dexterrime.

s, Obdulia Virgo.

s. Genebalde Episc. cui vitæ lubricæ sordes pœnitentiâ, per septennium productâ, & severâ eluen-

eluenti, Angelus culpam omnem dimissam esse dixit.

OMNES SANCTI &c. *pag. 4.*

S. *Maria, cujus parvulæ videndæ desiderio accensam hodiernam* Benevenutam, *sancta Anna, te sinu gestans solata est, à Ss. Angelis, Gabriele & Raphaele, prius, quomodò vos (tales hospites) accipere deberet, instructam. Mitte Angelos, qui me doceant mores placentes tibi, tuo Filio, Matri tuæ!*

6. Septembris. 8. idus Septemb.

SAncte Eleutheri, sanctarum lacrymarum vir! qui sancto Gregorio vires, ad jejunandum impetrâsti à Deo; qui mortuum hominem vitæ reddidisti; & puerum obsessum à dæmone liberâsti quidem, sed cùm id abs te factum recenseres, reversus in puerum iterùm dæmon, iterùm à te pulsus est. Repelle à me & vanæ gloriæ spiritum nequam, & omnes dæmones, me in mortis articulo oppugnaturos, compesce, ne in vita, vel morte, inducar in tentationem ullam; & ut liberer ab horrendo & culpæ, pœnæ, malo. Amen.

s. Zacharia Propheta senex.

s. Onesiphore, Apostolorum discipule; qui, unà cum s. Porphyrio, acriter verberatus, & à ferocibus equis raptatus es. M.

Ss. Fauste Presb. Macari, & socii decem decollati. MM.

sancti Cottide, Eugeni, & socii Martyres.

Sancti Donatiane, Præsidi, Mansuete, Germane, & Fuscule, Episcopi, fustibus, & exilio pro Christo mulctati.

s. Læte

s. Læte Episc. cordatissime, post longos carceres, incendio concremate.

s. *Petroni.* Episc.

s. Humberte, cujus sarcinas cruentus ursus obvius portavit, jussus, sub cujus pallium confugientem cervam, canes, sub sacro illo asylo, tutam & illæsam reliquêre, cujus mortem & tibi, [& s. *Aldegundi*, revelavit Deus.

s. *Magne* Conf. cui aves capere jusso, illæse ultrò capiendas permisêre; cui ursus servivit; qui horrido dracone perempto, aerem à peste, incolas à metu liberâsti; cui, & sociis, *Angelus*, in charta circulum Orbis describens conspectus est, & dixit: *Cernitis, quòd totus Orbis maneat desertus?* cujus capiti imminentem è cœlo coronam splendidam duo sancti vidêre; qui quatuordecim auxiliatoribus, ut vocant, sanctis adjunctus, lituo tuo humi defixo, bestias agris noxias interficis. Occide in me, quidquid noxium est, quicquid displicet DEO meo.

OMNES SANTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, quæ diu fluentem, curam tua imagine, hodiernum Ægidium *pœnitentem, reddità, quam ille dæmoni dederat syngrapha solata es. Doce me veram, veram, & quæ Deo per te gratia sit pœnitentiam!*

7. Septembris. 7. Idus Septemb.

SAncte Stephane, Christi in cruce pendentis, & in Eucharistia, latentis, amantissime, Angelico spectaculo ad orandum excitate; qui ut aleas, aliosque festorum dierum ludos abrogares, dæmonem

nem coegisti, ut se talem lusoribus discipulis suis coram spectabilem sisteret, qualis illos ad lusum duceret, ac doceret. Ostendit se ille formâ horrendè abdominabili, adeò, ut lusores discipulos, & sequaces, dæmonis magistri ac ducis puderet. Nolo dæmonis, volo Christi esse discipulus, qui me è Cruce, & Eucharistiâ & vivere docet, & mori. Tu desperatum quendam ad salutem reduxisti. *Impetra mihi spem sanctam.* Ora pro me, ut post mortem, non jam velatum, sed de facie ad faciem videam, non dæmonem, sed Magistrum ac ducem meum Deum JESUM. Amen.

B. Joannes Martyr, qui, inter plurima, & diversissima, atrocissimâque tormentorum genera, ne tristis quidem, sed vultu ac spiritu alacerrimus es visus.

S. Eupsychi, qui venditi patrimonii tui pretium partim pauperibus, partim tuis†, quòd Christianus esses, accusatoribus dedisti; postea dilaniatus, gladio Martyr factus es.

S. Sozon opilio, qui visione suavissimâ animatus, pro Christo immanissimè laniatus, ungulis ad ossa usque carne nudatus, calceis clavorum aculeo horridis calceatus; fluentibus inter nova & repetita supplicia visceribus, tormentis immortuus es, juvenis gloriose; & noctu cælestis lux corpus tuum comitata est usque ad sepulchrum. Impetra mihi lumen cordis.

S. Anastasi Martyr.

S. Regis Virgo, per equuleum, lampades, & gladium Martyr, cum inter tormenta clamares: *Non consentio; Christum* JESUM, *qui me confortat, habeo.*

habeo, quæ cùm in carcere orares, Crucem, ad cœlum usque porrectam, & columbam in Cruce vidisti, vocemque audisti: *Ave Regina! unguentum suave est oratio tua; parata est tibi corona gloriæ; apertus est tibi paradisus.* Iterumque tanquam cœlestis illius columbæ, coronam tibi porrigentis, & hæc dicentis, verba percepisti: *Veni, Regina, in requiem Christi, beata es, quæ hanc coronam meruisti!* Ne cessa condire oratione tuâ meam orationem, ut ascendat in odorem suavitatis: præpara cor meum coronis æternis per omnia ea, quæ ago, vel patior.

s. Nemori, socii Martyres, ab *Attila* interfecti.

s. Evorti, columbæ indicio electe Episcope; precibus tuis contra morbos, dæmones incendia, & pro animarum conversione, potentissime.

s. Augustalis Episc.

s. Pamphile Episc.

s. Clodoalde Presb.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *super cujus Lauretanam domum, hac nocte per annos plures, læti, ac cœlestes quidam ignes visi sunt, tuque ipsa descendens conspecta es. Descende in domum hanc tuam, in cor meum; & illud purga, illumina, & accende!*

8. *Septembris.* 6. *Idus Septemb.*

ÆTerna Virgo! cujus natalem diem quotannis effuso super Lauretanam tuam domum igne sancto, & auditis Angelorum choris, & relevationibus,

nibus accensisque, in teaerrimum erga te amorem devotis tibi cordibus, celebravit Deus! O sancta felicissimorum Joachim, & Annæ filiole, cujus nativitas gaudium annuntiavit universo mundo, & cœlo; quæ nata es, ut ex te nasceretur Deus JEsus. Ad beatissimas cunas tuas, ad primum lectulum tuum provolvor supplex, ô Parvula beatissima; & rogo, ut me in ultimo lectulo meo morientem, id est, æternitati nascentem, ne deseras. Bonum ei erat, si natus non fuisset homo ille, quem tu deseris morientem. Illabatur & nunc, & tunc beatum illud lumen, & ignis, & musica, & denique. Tu, in mœstum hoc cor! ut in solidissimo exaggeratissimi erga te, tuumque Filium, amoris actu, animam in tuos amplexus expirem. Amen.

Sancti Hadriane, & alii viginti tres, post multa suppli ia, crucifragio Martyres,

Ss. Ammon, Theophile, Neoteri, & alii viginti duo, MM.

Ss. Timothee & Fauste, MM.

Sancti Eusebi, Nestabe. & Zenon fratres, pro Christo discerpti, & necati.

s. Nestor M. sævissimè cruciate.

s. Corbiniane Ep. spiritûs libertate, ac orandi vi, atque miraculis, mirabilis; cujus exequias luce suâ honoravit cœlum.

B. Bonfili, MARIÆ serve, cui gloriosis Angelorum choris cincta Dei Mater, vestes religiosas ostendit; qui senio sancto fessus auditâ te ad gaudia vocantis voce, moriens odore, & splendore miro commendatus, Divos Cælites, *subvenite sancti Dei!* canentes habuisti.

s. Tho-

S. Thoma de Villanova vir misericordiarum.

OMNES SANCTI, &c. pag. 4.

S. MARIA, *hoc die nata, cujus nomine hodie templum* de lætitia *est inauguratum, in quo à te ipsa data imago tua conspicitur. Nascere in me, imprime tuam imaginem in corde meo; tunc dabis lætitiam in corde meo. Libera me à loco tristitiæ æternæ, ô sancta* MARIA de lætitia, *seu* exhilaratrix!

S. MARIA, *cujus imago mirabilis, in Hispania, apud Riexanenses in valle, Angelo illam indicante, reperta est; & cæca puella visum, ac multis aliis sanitatem restituit. Impetra bonos oculos cordi meo!*

S. MARIA, *quæ hoc die sanctæ tuæ* Gertrudi, *te tot salutationibus Angelicis consalutanti, quot diebus delituisti in beato utero S. Annæ, felicissimæ matris tuæ, dixisti; eos qui id faciunt, specialem jucunditatem in cœlo de tuis gaudiis habituros. Quæ hoc die,* in oblationem summæ delectationis, *bonam* Gertrudis *voluntatem SSs. Trinitati obtulisti in specie rami, floribus & fructibus peramœni, & dixisti; te pro tuis* loqui corde ad cor dilecti tui Jesu. *Cujus honori centum quinquaginta salutationes Angelicas recitans pro felici morte* s. Gertrudis, *vidit omnes illas, in specie nummorum aureorum, pro articulo mortis, à te servatas. Fac, ut salutem te pretiosis exquisitis, aureis, id est, è puro amore profectis modis, & hic meus erga te amor sit amplissimus thesaurus mortis meæ!*

S. MARIA, *quæ hoc die Nativitatis tuæ, sanctæ* Mechtildi *petenti, quæ fuerit prima virtus, in qua te in infantia exercuisti! respondisti.* Humilitas, Obedientia, Amor. *Eidem hac nocte, videnti te, in specie arboris altissimæ, aurea folia habentis, & in apice*

florem

florem, qui Orbem terrarum fragrantiæ suavitate recreabat, dixisti; Deus meus suimet ipsius laudator & laus est in me; & se ipsum miro modo pascit in me. Visa etiam es hoc die, dilectas tibi animas tuo pallio tegere ac illas. Jesu *cordi admotis, dicere; ut in illo fonte omnem amaritudinem suam dulcem redderent, ac omnia vincerent. Doce me virtutes infantiæ tuæ: fac ut curram in odorem floris & fructûs tui. ô arbor pulcherrima: fac ut aurea sint etiam folia mea, id est, verba divini amoris auro sint pretiosa, admove me cordi* Jesu, *& fac, ut in illo amoris gymnasio discam solidum amorem Dei, qui doceat me vincere omnia & dulcia & amara!*

S. *MARIA, cujus natalem diem, hoc die orans in templo tuo, & in Deo absorpta S.* Francisca Romana, *in cœlo augustè celebrari, & sanctos tua gloria gratulari vidit ac te tuâ, & Cœlitum omnium, linguâ gratias Deo agentem audivit. Quæ aliàs hoc die, in sinum eidem dedisti amabilem Filium tuum infantem* Jesum, *in splendore lucis pulcherrimæ, qui* Franciscam *flagrantibus tenero amore oculis aspiciens cor ejus accendebat, quasi ad horæ dimidiæ spatium illi à te relictus. Effice precibus tuis, ut vel semel sic me aspiciat tuus* Jesus!

S. Maria, *de qua eadem aliàs, hoc natali tuo die duos* Seraphinos *de te canentes audivit, quòd esses humilis Dei ancilla & cella pulcherrima. Et monita est ab iisdem* Seraphinis, *dicentibus: O anima cave, ne sis ingrata, nec de te, nec propter te quicquam velis; addente S. Maria Magdalenâ: Gaude semper in Domino, & noli aliud cogitare: Doce me ita gaudere accende me; ut cum Seraphinis amem Filium tuum, &,*

cum

cum iisdem, cantem illi ac tibi; pareamque consilio Francisco à seraphinis dato.

S. MARIA de monte alto, *Messanæ, hoc natali tuo die, festis ignibus augustè celebrata: cujus ibi templum, iterato tuo monitu & columbæ, spatium templi condendi circumvolantis, (ita uti tu prædixeras) indicio ædificatum est, Reginâ ipsa Constantiâ primum lapidem jaciente, quando etiam una è puellis regiis, quæ fidem tuo nuntio non adhibebat utroque brachio exarescente resipuit, & persanata est ope tua. Accende festos veri amoris ignes in corde meo, quibus te colam. Sana arida seu torpore languida, brachia mea, fac, ut verus Dei amor sit aureum & igneum sigillum, non tantùm super cor meum, sed etiam super utrumque brachium meum; amemque non tantùm lingua, ut feci hactenùs, sed opere & veritate!*

S. MARIA *Zyrovvicensis, quam sibi conspectam, promisisse faturum, ut ad tuam imaginem sanaretur, dixit puella nobilis, quam morbus mirabilis in globum constrinxerat, & quæ triduo jam vel mortua existimata, vel verè mortua, jamque in tumba sepelienda, pulsu edito è tumba ad imaginem tuam deportata, & in templo tuo aliquantisper relicta, atque sana repertæ, narravit; te ab imagine tua egressam, omnia corporis ægri membra tuis manibus accommodasse, addito consilio sive imperio, ut sub S. Basilii legibus viveret sanctimonialis, id quod factum. Sana me, Domina: habe curam corporis ac animæ meæ; & fac, ut pareamus consiliis tuis!*

9. Septembris. 5. Idus Septemb.

SAncte Audomare Episc. qui recepto, ad S.Vedasti tumulum, oculorum lumine, cæcus iterùm fieri, si animæ id prodesset, impetrasti: cui post plura data sanctitatis exempla, & miracula, morienti Angeli duces fuêre in cœlum! Effice id pro me, apud Deum, ut ita oculis, ita sensibus omnibus internis & externis, ita Dei donis omnibus, utar, ut Angelos duces in cœlum habeam moriens, non dæmones ad infernum. Amen.

Sancti Dorothee & Gorgoni, contemptis honoribus, appensi, flagris toti laniati, visceribus pelle nudatis, aceto ac sale perfusi, in craticula assati, laqueo suffocati Martyres.

Sancti Hyacinthe, Alexander, & Tiburti, Martyres.

s. Severiane miles, qui cùm quadraginta Martyres in carcere frequens visitares, saxo ad pedes ligato suspensus, flagris laniatus, in tormentis spiritum reddidisti, cujus corpori impositum è floribus sertum aquila abstulit, & eo loco demisit, ubi Deus te voluit sepeliri: cujus corpori cùm obviam irent multi, etiam quidam è mortuis resurrexit, & obviam ivit; ac per quindecim annos deinde superstes à tuo sepulchro non discessit. Doce me, te, ac sanctos alios, & religioso reliquiarum cultu, & imitatione maximè, venerari.

s. Straton, pro Christo ad duas arbores alligate, atque discerpte.

Sancti Ruffine & Ruffiniane, fratres, Martyres,

s. Ser-

s. Sergi Papa.

s. Querane Abba.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cujus sanctissimorum parentum* Joachimi *&* Annæ, *festum apud Græcos & Maronitas hodie celebratur*; *Fac, ut illos optimè colam, quia parentes tui sunt, te autem, quia es Mater Dei!*

10. *Septembris.* 4. *Idus Septemb.*

SAncte Nicolae Tolentine, qui tribus per singulas hebdomadas, ab infantia jejuniis constanter addictus, ad unum illud, in templo auditum: *Nolite diligere mundum*; Deo te dedisti totum; satanæ insidiantis semper victor; cui anima è purgatorio conspecta, dixit: *Respice in me. Ora, ut pro mortuis Missam celebres; ut eripiar ex his flammis:* simulque magnam tibi supplicium turbam ostendit clamantem ad te: *Miserere, Pater, miserere turbæ, tuum auxilium exspectantis!* & magnus animarum illarum adjutor factus es: qui sex ante obitum mensibus, singulis noctibus, concentum Angelicum audisti; & MARIÆ Matri, ac sancto Augustino Patri, tibi hinc exeunti, obviantibus, animam dedisti, bonus filius utriusque. Subveni & mihi, ut benâ bonorum MARIÆ filiorum morte moriar, meque etiam post mortem, moderans meas negligentias, in purgatorii tormentis expiantem, pius & efficax intercessor juva. Amen.

Sancti Nemesiane, Felices duo, Luci, Litte, Polyane, Victor, Jader, Dative, & alii Episcopi, fustibus cæsi, & in compedibus ad fodienda metalla damnati.

sancti

Sancti Sosthenes & Victor, qui post vincula, & superatas bestias, jussi incendi, vos invicem in osculo sancto salutantes, orationi in mortui estis.

Sanctæ Menodora Metrodora, & Nymphodora sorores, Virgines, genarum & ossium confractione, lampadum ustione, ferreis vectibus, & ungulis cruciatæ Martyres.

Sancti Apelli, Luca, & Clemens. Martyres.

s. Theodarde Ep. ad cujus, in frustra membratim secti, cadaver, Angeli luminaria posuêre.

B. Hilari Papa.

s. Petre Episc.

s. Salvi Ep. qui à morte ad vitam redux, audisti à Deo: *Vade in pace; ego enim sum custos tuus, donec reducam te in hunc locum*: & mira quædam, quæ utilia sunt ad mortem optimè obeundam, salutariter docuisti.

s. Agapi Episc.

s. Pulcheria *Augusta*. Virgo, religione, pietate, prudentiâ, liberalitate, insignis.

s. Cosma Ep. cujus sepulchri pulvere febres depulsæ sunt.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 4.

S. MARIA. *qua* S. Nicolao Tolentino, *qui tuum in honorem sabbato jejunabat, in morte apparuisti. Doce me ita jejunare, ita reliqua agere, ut moriens, ea tibi placuisse, felix experiar!*

11. *Septembris.* 3. *Idus Septemb.*

SAncte Euphrosyne, cœnobitarum in culina serve humillime, qui tantum in illis ministeriis hau-

sisti

fisti sanctitatis, ut à Sancto quodam, in ecstasi posito, sacerdote, in amœnitatis felicissimæ paradiso sis conspectus. Impetra mihi veram illam & ad feliciter moriendum necessariam humilitatem; ne superbo mihi resistat in æternum Deus, sed humili mihi morienti det gratiam, & gloriam posteà æternùm viventi. Amen.

Ss. Prote & Hyacinthe fratres, MM. verberati decollati.

S. Vincenti Abba, M.

Sancti Diodore, Diomedes, & Didyme; Martyres.

Ss. Paphnuti Ep. & socii, dextro oculo effosso, & sinistro poplite exciso, ad metalla damnati.

S. Patiens Ep. abstinentiâ, & singulari, tempore famis, liberalitate laudatissime.

S. Æmiliane Episc.

S. Theodora pœnitens, quæ inustam tibi injustissimam, fœdissimamque contumeliam, ad mortem usque, forti silentio, sine ulla excusatione, admirabiliter tolerâsti; & præparata tibi gloria Abbati ab Angelis est revelata; & ipsi ostensa es immortalitate vestita.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *sub cujus præsidium commendabat eas, quas construebat, cellas, easque obedientias vocabat, tuus* Almirus. *Fac me obedientem Deo: habe me tibi ex toto, unà cum loco, in quo habito, dedicatum æternùm!*

12. *Septembris. Pridie Id. Septemb.*

SAncte Guido, orationis, jejunii, eleemosynæ dandæ, studiosissime, qui minima quæque errata

crebrâ

crebrâ, consideratâ, solidâ, & multis lacrymis plenâ confessione eluebas, MARIÆ in templi obsequiis fidelis, & diligens servus: quo moriente, spectantibus, qui aderant, omnibus; lumen è cælo fusum, columbæ instar, super te descendit, & vox cælestis audita est; *Veniat dilectus noster, ad percipiendam æternæ jucunditatis coronam: quia fidem servavit.* Dedi fidem Deo in baptismo, quâ dæmoni, & ejus pompis renuntiavi, & adhæsi Deo. Ora, ut illam ne lædam, & in quocunque, vel minimum læsi, sanctè eluam, ac per ferventia MARIÆ oblata obsequia, inviter tecum ad *coronam jucunditatis æternæ. Amen.*

Sancti Hieronides, Leonti, Serapion, Selesi, Valeriane. & Straton, in mare demersi. Martyres.

s. Autonome Ep. Dei usque ad aras amice, & Martyr. Sacerdos, & victima.

Sancti Macedoni, Theodule, & Tatiane, qui super crates ferreas ignitas martyrium exultantes complevistis.

s. Curonote Ep. capite truncate.

s. Juventi Ep. cui, zeli, & pietatis operibus pleno, apparens s. Syrus, cum aliis è cælo sanctis. *Juventi dilectissime,* inquit, *scias te tertio post hunc die aulam cœlestis patriæ percepturum.*

s. Sacerdos Ep.

s. Silvine Ep.

s. Amate, qui fontem è petra orando elicuisti, saxum ruens Crucis signo stitisti; & post mortem, tuis apparuisti, dicens: *Ne contristemini, certi me à peccatis absolutam, & comiter a Domino acceptum.* Ora, ut sic vivam, ut merear comiter accipi à Deo post mortem.

OM-

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *quæ Catholicos, hodie pugnantes, juvare, & centum quinquaginta lapides (Rosarii tui salutationum symbola) contra hæreticos jacere, & eos profligare conspecta es. Juva me pugnantem ; ut vincam hostes meos, tuos, Dei!*

13. Septembris. Idibus Septemb.

SAncte Maurili Episc. prodigiis magne, sed altâ quadam tui abjectione, quam maximè! qui Renatum puerum, (tuum posteà in Episcopatu successorem) pridem jam mortuum, à mortuis suscitâsti: qui inter triduana plerumque jejunia vegetus ac rubicundus, ad devexam omninò ætatem, nunquam dente, vel oculo, vel ullâ corporis parte æger, inter voces ultimas, hæc moribundus ajebas ad tuos; *Valdè ut perpenderent, animas suas pretio magno, pretioso Dei JEsu sanguine emptas esse!* O! impetra mihi à charo JESU, ut pretiosam illam cogitationem toto corde imbibam ; ne in vita & morte perdam pretiosam animam meam: & ita portem, & glorificem Deum in corpore meo, ut moriens animam illi reddam, qui illam sibi emit, JESUS. Amen.

s. Philippe, pater s. Eugeniæ Virginis, qui, desertâ Ægypti præfecturâ, baptizatus, dum orares, jugulatus pro Christo es.

Ss. Macrobi & Juliane. Mm.

s. Ligori Eremita M.

s. Eulogi Ep.

s. Amate Ep. qui captivus, & exul, in quadam

Beatissimæ Virg. Æde oraturus, vestem tuam ad Solis radium appendisti; post cujus mortem catena ferrea, quam gestâras semper, à cadavere tuo ultrò soluta, ægris profuit ad salutem.

s. Veneri, Eremita sancte.

s. Amate Presb. Abba, qui dæmonis, gulæ, somni victor fortissimus, oratione, signo Crucis, lacrymis potens; è moniali, quæ in pomo, sine superioris permissione comesto, dæmonem comederat, hospitem pessimum ejecisti; qui mortis tuæ tempus, uno antè anno, prædixisti; & in cilicio ac cinere extinctus es.

s. Corneli centurio, à s. Petro baptizate.

s. Luca Abba, qui solo tuo sudario ad ægros misso, eos persanabas. Qui contra Saracenos Christum orans, ab illo vocem audisti; *Non poterunt stare à facie splendoris gratiæ spiritûs, tibi concessæ: invenisti enim gratiam apud me*, & dum eques, una cum militibus, contra illos moveres, barbari eo igne, quo candidus tuus eques splendebat, conspecto, in fugam sunt versi. Impetra mihi *splendorem gratiæ* spiritûs *amoris* Dei; ut semper vincam hostes Dei ac meos, tentationes, respectus humanos, & quicquid in me potest impedire, ne in splendore gratiæ spiritûs amoris Dei proficiam.

OMNES SANCTI, *pag. 4.*

S. Maria, *cujus felicissimæ mortis dies trigesimus apud multos hodie celebratur. Per* Jesu *ac tuam omniumque quos in morte juvisti, mortem, te rogo, suscipe omnem, ac plenam curam mortis meæ; ne moriar, sed vivam æternum tecum felix!*

S. Maria, *ad cujus admirabile sacellum in Helvetia,*

vetia, de eremo *dictum consecrandum*, *hoc die appulsus* s. Conradus *Ep. vidit divinitus tui illius sanctuarii dedicationem à Christo ipso factam, te præsente, ac sanctis Angelis, S. Michaele chori cœlestis præfecto, canentibus, & omnia hæc descripsit in libello* de secretis secretorum; *ubi ait* MARIA Virgo ante altare stabat splendida sicut fulgur. *Sim ego sacellum tuum, quod* JESUS *dedicat amori suo gloriæ suæ, in honorem tuum: & si quæ tenebræ mihi cor parent occupare; tu illas fuga, tu mihi assiste* splendida sicut fulgur!

14. *Septembris*. 18. *Kal. Octob.*

CRucifixe Deus Jesu, qui sacrosanctam Crucem tuam, ab Heraclio Imperatore, auro gemmisque splendente, ad Calvariæ montem ferri non permisisti; sed ut nudipes, in abjecto cultu, illam eo loco, ubi tecum steterat, exultaret, voluisti. Dignare honorari à me! Da mihi humilitatem sanctam! Video; quòd à superbis honorari non digneris. Sit mihi viventi, & morienti, pretiosæ, & felicis æternitatis tessera semper humilitas. Qui se humiliat, per Crucem tuam exaltabitur in cœlum; qui se exaltat, humiliabitur usque in infernum. Doce me humilitatem tuam, Domine Crucifixe JEsu, & salva me tu, qui humiles spiritu salvabis. Crucifixe JEsu, qui s. Gertrudi dixisti; te præ iis, quæ tibi ad corporalia commoda servierunt instrumentis, honorasse Crucem tuam, spinas, lanceam, clavos, id est. cruciatuum tuorum instrumenta: & desiderare te, ut speciales dilecti tui, te in hoc imitare, in hono-

rem tuum, affectum dilectionis ostendant suis adversariis; quia incomparabiliter majorem profectum ex hoc consequi possunt, quàm si ament benefactores suos, laudabile, & acceptabile sacrificium tibi fore, si pro injuriis beneficia reddere satagant. Reliquias verò Crucis tuæ desideranti eidem, suasisti meditatam lectionem historiæ Passionis tuæ, ac verborum, quæ in illa majore affectu dixisti: has enim esse reliquias, quæ cor tuum efficacissimè trahere poterunt ad habentem illas. Doce me, amore tui, amare illos, qui me amant, & illos, qui me non amant. Benedic millies illis, qui mihi malè faciunt; & centies millies illis, qui benè. *Insere* cordi meo reliquias Crucis tuæ. Doce me amanter ac dolenter legere ac expendere omnia, quæ pro me fecisti, quæ perpessus es, quæ dixisti: ut his omnibus me tibi magis accendas; & in eo præstem rem tibi summè gratam. Nam tu ipse S. Mechtildi, *quid maximè in homine tibi placeret?* interroganti, dixisti: ut cum magna gratitudine perpendat, & jugi memoriâ revolvat omnium virtuosorum operum meorum exercitia, quæ in terris operatus sum & omnium pœnarum & injuriarum, quas sustinui triginta tribus annis, & tandem mortuus sum in Cruce, *ob amorem hominis.* Da mihi intellectum, ut hæc penetrem, & nonnisi *amore Dei* vivam, ac moriar. Amen.

S. Joannes Baptista, cujus venerandam manum dicitur Episcopus apud Græcos, die sacrosanctæ Crucis exaltatæ, spectante populo sublimem tollere, eamque, dum tollitur, subinde explicari, subinde contrahi per sese: atque per explicatam quidem

suam

tuam manum, frugum ubertatem portendi; contractione verò, annonæ caritatem prænuntiari. Explica manum tuam, eaque cor meum cape, Deo fer, ac fœcundum redde; ut sit fertilis ager Dei.

s. Corneli Papa, qui ore plumbatis contuso, unà cum aliis viginti & uno, promiscui sexus, decollatus es.

Sancti Cærealis miles, & Sallustia, conjuges Martyres.

s. Cypriane Ep. disertissime, & in egenos benignissime, qui pro fide proscriptus, grassante posteà lue horridâ, Christianorum, & gentilium illâ correptorum magister, pater, frater, minister factus es, tandemque, post durum exilium, capite truncatus.

Ss. Crescentiane, Victor, Rosula, & Generalis MM.

s. Crescenti puer, s. Euthymii fili, gladio Martyr.

s. Materne Ep. quadragesimo post mortem die, s. Petri meritis, vitæ restitute; qui Tungris B. Virginis templum posuisti; qui, post labores Apostolicos, vidisti ss. Eucherium, & Valerium, veste pontificiâ gloriosos, qui coronas gestabant in capite, rosis, liliis, gemmisque mirè contextas; ejusdemque decoris, & artis coronam aliam manibus ostentantes, te ad illam invitabant: tùm voci, te ad cælum invitanti, morte pretiosa es obsecutus. Impetra mihi, ut ne sequar.

s. Joannes Chrysostome; aurei cordis, orisque Patriarcha, zelo divini honoris, absque ullo humano respectu, aut spe, vel timore, plene vir; exilii ærumnis hodie confecte.

OMNES SANCTI, pag. 4.

S. MARIA, quæ Mariam Ægyptiacam, *hodie templum ut ingredi posset, ac vere converteretur, adjuvisti. Impetra mihi veram pœnitentiam, ex puro erga Deum amore profectam!*

15. Septembris 17. Kal. Octob.

SAncte Aicharde, qui opus obedientiæ dum devotè exequereris, cælestem vocem audisti; *Ibunt sancti de virtute in virtutem!* cui sancti per quietem visi dixerunt; *Surge; & officium quod tibi imponitur, obedienter suscipe:* tibique dederunt virgam, quâ tuos in religiosa disciplina coerceres. & librum, quo eos recta doceres, & illa voce animatus, nongentorum posteà monachorum in virtute magister, ab Angelo, dormientes tuos virga signante, quinam, & quando decessuri è vita essent, didicisti, eosque monitos, ad stupenda pœnitentiæ, amoris, devotionis opera, utpote morti vicinos, permovisti; illique qui à te moniti fuerant, omnes, sumpto sacrosancto viatico, animas suas Deo, & sibi invicem commendantes, radiante vultu felices animas æternitati sanctæ dedêre; & tu paulò post secutus illos es! Ora pro me miserabili, unà cum omnibus illis filiis tuis, ut ita vivam, ita orem, ita exactè ad leges æternas, ad prima & summa æternæ veritatis principia, agam omnia, acsi me jam hodie de vicina morte tu, vel meus Angelus, monuisset, ut hîc *de virtute in virtutem eam semper*, usque dum hinc abeam de beata morte ad beatam vitam, Amen.

S. Nicomedes Presb. plumbatis diutissimè cæse M.

S. Valeriane, qui suspensus; & ungulis gravissimè lanci-

lancinatus, læto animo Christum laudans, ense percussus es.

s. Melitina, quæ, ad præsentiam tuam corruentibus semper idolis, suspensa laniata, capite plexa es.

Sancti Maxime, Theodore, & Asclepiodore, Martyres.

s. Porphyri, è mimo nugatore repentè mutate in virum alium, baptizate, securi percusse, Martyr.

s. Niceta, qui in ignem conjectus, hymnos Christo ad mortem usque lætus cecinisti; & corpus tuum ab igne non læsum stella cælestis *Mariano* ostendit.

Sancti Emilia, & Hieremia, cervicibus abscissis Martyres.

s. Aper. Ep.

s. Lobine Ep.

s. Albine *Ep.*

s. Europia Vidua.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cujus hodie colitur apud Cluniacum dedicatio capellæ in sanctorum tuorum mysteriorum omnium recordationem. Doce me tui, ita ut par est, quàm optimè meminisse!*

16. *Septembris.* 16. *Kal. Octob.*

SAncta Editha, Virgo regia, quæ pauperum & ægrorum devota obsequiis, verum desolatorũ solatium dicebaris; cilicium asperrimum mundo muliebri splendidè occulebas; & elegisti abjecta esse in domo Dei tui, quàm in throno Patris tui (ad quem trahebaris) sedere Regina, de cujus morte s. Dunstanus cum lacrymis: *Hæc* inquiebat, *dilecta*

Deo anima, hac siderea gemma, ad patriam sanctorum ab illuvie terrena rapietur ; tertio, & quadragesimo ab hinc die occidet nobis hæc stella luculenta. Ita postquam sanctè occidisti, matri tuæ appareas in gloria, dixisti, te sempiternæ gloriæ jam factam participem: totoque corpore integra reperta es, præter oculos, manus, ac pedes, quibus te parvulam ad levitates abusam dixisti. *O desolatorum solatium!* Solare me desolatum in morte; doce me Dei voluntati accommodare inimicum animæ corpus. En oculos, manus, pedes, cor, corpus, ac animam, & omnia Deo per te offero; ne illis abutar unquam! *O stella, ô gemma siderea, ô dilecta Deo anima,* ora, ut *ab hac terrarum illuvie ad patriam sanctorum abripiar. Amen.*

s. Euphemia V. Christianorum Dux, quæ, post atrocissima tormentorum genera, nec ab igne nec à serris ferreis, nec à feris, læsa, orans tandem, uno feræ morsu abiisti, quò, voce è cælis resonante, *ad coronarum datorem* evocabaris.

s. Lucia, matrona nobilis, à filio accusata, quæ fustibus cæsa, in olla ænea, fervent pice ac plumbo plenâ, psalleas, triduo vixisti illæsa.

s. Geminiane, qui, è cælo veniente, ac tuo capiti insidente, columbâ niveâ, tunc, cùm s. Lucia, ante domum tuam, ferro, & plumbo onusta, duceretur, cælum tibi patere vidisti, & unà cum Lucia, diu & gravissimè tortus, gladio percussus es.

Ss. Septuaginta quinque, horum exemplo conversi. Mm.

Sancti Abundi & Abundanti, qui rogati, quid essetis? & vos, & socios, Christianos esse, & *nomina dedisse*

dedisse cœlo, dixistis: qui, dum in èquuleo torqueremini, ajebatis læti. *Gloria tibi Domine* Jesu *Christe, Rex Angelorum!* qui in ipsa ad mortem via, mortuum Marciani ethnici filium Joannem suscitastis, & cum illo, unà cum patre baptizato, capite plexi estis Martyres.

s. Sebastiana, s. Pauli Apostoli discipula, gladio Martyr.

Ss. Rogelle & Servedei, manibus, pedibusque abscissis, decollati.

s. Niniane Epis.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cui ante novem dies natæ, hoc die, sacrosanctum MARIÆ nomen impositum esse ajunt. Illumina, & posside me, ac sanctissimi hujus nominis thesauris me dignum redde usque ad mortem, quam opto* Jesu & Mariæ *nominibus penitus dedicatam!*

17. Septembris. 15. Kal. Octob.

O Vulnerate Francisce! cui biennio ante mortem sanctam inter Seraphica cordis accensi suspiria sex fulgidis igneisq; alis instructus, de cœlo descendens Seraphinus crucifixus, quinque sacrosancta stigmata in manibus, pedibus, & cordato latere impressit. Sine me tibi, tametsi stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore tuo portanti, molestum esse, teque rogare, ut accendas & me. Vulnera me; ut jam tandem seriò serviam vulnerato Deo. Meliora sunt mihi & viventi, & morienti, vulnera diligentis JESU, quam oscula blandientis mundi vel carnis, & dæmonis. Ergò, sub umbra Seraphi-

carum illarum alarum, contra illos me protege morientem. Amen.

s. Justine Presb. Martyr.

sancta *Ariadna*, Martyr.

Ss. Narcisse & Crescentio. MM.

Ss. Socrates & Stephane MM.

Sancti Valeriane, Marcriane, & Gordiane, Martyres.

s. Floccelle puer, pro fide multa passe, demum à feris discerpte. M.

s. Rodinge Ep. qui defixo humi baculo aquam elicuisti, in qua tantum auri reperisti, quantum ad fundum, pro templo cœnobioque condendo emendum, suffecit, quo Psalmum centesimum octavum; *Deus laudem meam ne tacueris*, recitante. vox à pluribus audita est, è cœlo descendens: *Petitio tua exaudita est, & hanc domum in tutelam accipiam*, quià spectabili tibi Custode Angelo de iis, quæ tui erant officii, docebaris, qui anno ætatis centesimo decimo septimo, de morte ab Angelo tutelari admonitus, migrâsti felix.

s. Joannes *M.* cujus capiti clavus infixus est.

s. Victor M. capite primùm excoriate, deinde truncate.

s. Stephane, ferreis ungulis, præcisis manibus, & capite dissecto, M.

s. Lamberte Ep. reprehensam in aula impuritatem, occise; tui occisoris cadaver sub dio palàm putrescere debuit, terrâ illud non admittente; in toto autem eo loco, ubi sanguinem fudisti, cælestis lux resplenduit, & ad sacrum tuum cadaver cælestis *Angelorum* harmonia audita est.

s. Aga-

s. Agathoclia ancilla, quæ ab infideli Domina diu multis ærumnis cruciata, judicis jussu excisa lingua in ignem projecta es.

s. Columba V. Martyr.

s. Satyre, S. Ambrosii frater, Ss. Eucharistiæ amantissime.

s. Theodora matrona ministra Martyrum.

s. Hildegardis V. quæ cœlestibus pasta deliciis, inter dolores cœlestis patientiæ, & revelationem continuarum dono illustrissima, sapientiæ fonte divinitus potata, à dæmonibus, & hominibus multa, & mira, diutissimè libentissimèque, cum gratiarum actione, passa, à Cherubino defensa, miraculis admiranda; morbos, insanos amores, in supremo agone jacentes, curasti; quæ scriptis cœlestibus relictis octogesimo secundo ætatis anno, cœlesti fragrantia perfusa tota, apparentibus in cœlo lucidissimis duobus arcubus, extincta es.

B. Petre de Arbues, è Cæsaraugustano Canonico Martyr, miraculis contra morbos & spiritus immundos illustris: qui cùm orans in templo, pro fide confodereris, Vilillæ *campana miraculorum*, nullo eam impellente, sonum edidit: cujus sanguis; in templi pavimentum effusus, etiam post dies duodecim, effervescere ac ebullire conspectus est.

B. Gandolphe, qui socio tuo, ægro & muto, facultatem loquendi tantisper impetrasti, dum peccata confiteri posset; dæmonibus, qui eum minaciter ac desperanter urgebant, per preces tuas pulsis. Quo mortuo duæ campanæ sponte sonum dedêre, crebrescentibus ad corpus tuum miraculis. Doce me bene tacere, bene loqui, bene confiteri.

OM-

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. *MARIA cujus* Nominis festum *hoc die, in Hispania celebratur: & quo die anno* 1665. *ex hac vita migravit Philippus IV. Hisp. Rex, qui* festum patrocinii *tui à Pontifice impetravit in regnis Hispaniæ celebrandum. Fac ut singuli dies mei, sint dies festi.* Nominis & patrocinii *tui, sed potissimum ultimus vitæ meæ dies, cujus curam tibi committo.* Iter para tutum *mihi tunc ad æternitatem!*

18. *Septembris.* 14. *Kal. Octob.*

SAncte Ferreole tribune, qui tyranno ajebas, Deum servis suis per JEsum dare *fiduciam moriendi, & resurgendi spem*; qui fatigatis pluribus de cædendo tortoribus, postea sponte solutis ferreis vinculis, Rhodanum, succollantibus Angelis, facilè tranasti; & iterum capto tibi objectum, ad terrorem incutiendum, s. Juliani M. caput, amplexu & osculo honorasti; tandemque capite truncatus, multis post annis, unà cum illo s. Juliani capite integro, integer es repertus. Ora cum Angelis, & Juliano tuo, pro me; ut vincula hæc, quæ me hic adhuc tenent, felix exuam, & rapacem mortis fluvium, succollantibus Angelis transmittam in æterno portu futurus, absque ullo ullius infelicitatis metu æternum felix. Amen.

s. Thoma de Villanovâ Archiep. cujus granarium, post farinam omnem in pauperes erogatam, divinitùs plenum repertum est, à quo inchoatam, inter divinum Officium recitandum, Antiphonam Angeli cecinêre, te interea in aere sublime, cujus

pe-

pecunia cùm in pauperes erogaretur, sæpius augeri est deprehensa, qui furibus pecunia, à te in usus pauperum destinatam, furatis, vivus tunc adhuc, apparuisti, & minaciter imperrasti, ut redderent quicquid acceperant, cui, secunda die Februarii, crucifixus Christus dixit; *Æquo animo esto; in die Nativitatis Matris meæ venies ad me.* qui à morte tua cuidam gloriosus, alii verò (qui res à te pauperibus dari jussas, iis dare morabatur) minax visus es, eumque flagris etiam cædi jussisti. Fac, ut bene orem; & ut ita vivam mori paratus, sicut tu, à Februario usque ad Septembrem vixisti, conscius eos menses tibi esse supremos.

s. Methodi Episc. vita, doctrina, eloquio, martyrio, clarissime.

Sanctæ Sophia & Irene Mm.

S. Eustorgi, laudatissime Episc.

s. Eumene Episc.

OMNES SANCTI, &c. *pag* 4.

S. Maria, *quam sanctus hodiernus* Methodius *sic salutabat*: Salve dilectionis Dei thesaure! O *effunde in cor meum è thesauro cordis tui, aliquid dilectionis Dei! Illam æstimem, amem, quæram, inveniam, super omnia, in æternum!*

19. *Septembris.* 13. *Kal. Octob.*

SAncte Januari Ep. qui in fornacem ardentem injectus, ibi lætus, & illæsus cum Angelis cecinisti; ac tandem blandientibus tibi bestiis, gladio percussus unà cum sociis, post mortem erumpentes flammarum globos è Vesuvio extinxisti, cujus is, qui in

am-

ampullâ vitreâ concretus asservatur sanguis, cùm in conspectu capitis tui ponitur, mirabiliter colliquefiens ebullit. O bulliat sanguis tuus apud Deum pro me tunc vel maximè, quando meus hic sanguis mortuali corpore torpescet in venis! *Averte* tunc igneum à me torrentem non Vesuvii, sed incendi æternitatis ignitæ. Amen.

Sancti Feste, Desideri, Sosi, Procule, Eutyches, & Acuti, cum s. Januario *MM*.

s. Joannes Ep. Martyr, pauperum & Ecclesiarum Pater; cujus corpus lanceâ confossum, cœlestes cantus, odores, columna ignea, ostendêre.

Ss. Felix & Constantia MM

Sancti Pelee, Nile, & Elia Episcopi, cum Clericis plurimis, igne consumpti.

s. Torphime, durissimè verberate; qui tormenta omnia, delicias oculorum, & pro Christo fusum sanguinem divinum quoddam lavacrum esse ajebas; discerptis deinde ad ipsa viscera lateribus, in ferreis clavatisque calceis incessisti; & iterum nervis, sale, aceto, lampadibus cruciatus, toto corpore unguibus discerptus, eruto candentibus obeliscis utroque oculo, Deo velut sacrificii totius primitias, lætus obtulisti oculos, deinde & caput.

s. Dorymedon, dolorum, & coronæ sancti Trophimi socie Martyr.

s. Sabbati, flagris cæse usque ad mortem.

s. Pomposa V. Martyr.

s. Theodore Episc. pacifice. octogesimo octavo ætatis anno, ut à Deo didiceras fore, defuncte.

s. Eustochi Ep.

s. Sequane Presb.

s. Goe-

s. Goerice Ep. à cæcitate, Angeli monitu, ad s. Stephani reliquias, liberate.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4

S. MARIA, *in cujus templo furtum tentanti cuidam tua seu S. Ioannis Baptistæ imago, quam spoliare monili volebat tergum vertit; alio idem moliente, campanæ omnes sponte sonantes, furem prodidêre. Quæ ita defendis tua, defende & me; ne quis prædo deprædetur animam meam, ancillam tuam, imaginem Dei vivi!*

20. *Septembris. 12. Kal. Octob.*

SAncte Eustachi, genere, opibus, honoribus, militari gloria inclyte vir! qui dum venareris, inter cervi prægrandis cornua, excelsam, atque fulgentem imaginem Crucifixi vidisti; ejusque voce *ad immortalis vitæ prædam* invitatus, audisti, quanta te oporteret unà cum tuis pro æternitate pati id quòd per mirabiliter varios tuos, tuorumque casus expertus abundè es, quando tandem unà cum uxore, & liberis, in æneum candentemque ab igne subjecto taurum injectus, ubi divinas inter laudes ad immortalem, ad quam invitatus à Christo fueras, vitam abiisti, s. Eustachi, s. Theopista conjux sancti duo parvuli filii, Agapite & Theopiste, avertite, à me vestris precibus, morte vestra horrendam præ omnibus Phalaridis tauris æternitatem! Doceat me obedire sibi Crucifixus Jesus: ut quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desideret anima mea ad te, Deus Amen.

s. Fausta, gloriosissima V. quæ decalvata, suf-

pen-

pensa, torta es, quam cùm secare mediam vellent carnifices nec possent, Evilasius idolorum sacerdos conversus, ideoque tortus est: tu verò capite terebrata, clavis toto corpore confixa, & ignitæ sartagini imposita, unà cum Evilasio, voce de cœlo veniente vocata, ivisti ad beatitatem!

Ss. Dionysi & Private MM.

s. Prisce, M. qui punctim pugionibus transverberatus, capite plexus es.

s. Theodore, s. Philippa ejus mater, & socii Martyres.

s. Candida V. plagis toto corpore dilacerata Martyr.

s. Susanna M. idolorum sacrificuli filia.

s. *Agapite* Papa.

s. Cliceri Episcope.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4

S. MARIA, cujus imaginem Iardineti incendio eripuêre Angeli, & in hortulo deposuêre. Eripe me cum Angelis tuis, ab æterno incendio, & colloca me in horto illo, ubi tu es, cum Jesu, *flos præcipuus sanctissimæ Trinitatis!*

21. *Septembris.* 11. *Kal. Octob.*

SAncte Matthæe, è divite publicano, ad unam Christi vocatus vocem, JESU Apostole, postea Evangelista; qui apud Parthos, & Æthiopes draconibus imperasti, Regis filium à mortuis excitasti, Regem cum omni regia baptizasti; ac tandem ob Christum, & persuasum Iphigeniæ, Regis filiæ, Christianæ virginitatis votum, securi percussus, & ab

ab Iphigenia templo honoratus, post mortem eidem unà cum Angelo apparuisti gloriosus; eamque solatus, ignem in illius domum missum, in regiam redire fecisti. Intercede pro me, Apostole sancte, ut & ego citò, ferventer & semper obediam loquenti mihi Deo Jesu! non obdurem cor etiam hodie! Ora verò, ut ita mihi loquatur Jesus, ut simul det mihi gratiam iis, quæ loquitur, obediendi efficacem, & deinde morte Deo obedientium moriendi. Amen.

s. Jona Propheta.

s. Pamphile M.

s. Alexander Ep. pro fide per fustes, equuleum, lampades, ungulas, bestias, fornacis ignes, & gladium M.

s. Eusebi M. qui ultrò præfectum adiisti Christianus, & post multa tormenta gladio cæsus es.

S. Isaci Ep. *M.*

S. Meleti Episcope.

S. Iphigenia V. ab hodierno Apostolo Deo dicata.

S. Maura V. quæ Patrem tuum ad arctam cœli viam adduxisti à via spatiosa: quæ coram Crucifixo te humiliter quotidie prosternebas; & causam rogata, dixisti te frequenter audivisse in imagine Jesum *puerum* in Matris sinu vagientem; & *juvenem* in Cruce gementem; & *Regem* in solio imperantem, tibique virgam auream donantem, cujus piis ad aram fusis lacrymis oculos perungens Mauritius Levita, lacrymarum donũ impetravit, cujus morientis lectulo adstare visi sunt sancti Petrus, Paulus, Gervasius, & Protasius, patroni tui, qui à te cruentas bestias repellebant: cujus cilicio faciei admoto fœ-

fœmina maculam, cum qua nata erat, abstersit. Doce me amare, colere, ac sequi Jesum in Mariæ sinu, in cruce, in cœlo.

OMNES SANCTI, &c. pag. 4.

S. MARIA *montis Serrati, quæ hodie puerum tritici sacco occisum, ad matris preces, coram imagine tua fusas statim exeitasti, miserere mei; ne moriar in æternum. Plus, quàm illa mater pro filio potuit, tu potes apud filium pro servo, ut non moriar, sed vivam tibi!*

22. *Septembris* 10. *Kal. Octob.*

SAncte Mauriti, legionis Thebæorum Princeps fortissime, miraculorum unà cum tuis patrator magne: cujus virtute, ad infelicem impuri Udonis mortem, usus est MARIÆ, & Sanctorum aliorum precibus inclinatus Deus. S. Mauriti, & vos, sex millia sexcenti sexaginta sex, pro Christo duce, gloriosissimè purpurati, æternitate coronati, milites Dei! Omnes ego vos, singulosque sanctè demisseque obtestor: Adeste mihi, hanc super terram militiam moriendo finienti, ut finiam sanctè victor! Orate, clamate tunc pro hoc uno, tunc ad omnia muto, omnes! *Inclinabitur clamore tanto vestri, pro me clamantis sanguinis optimus Deus, & me, licet meritis meis bonâ morte indignum, tamen propter JESU, MARIÆ, ac vestra merita, sancta morte, & æterna vestra in cœlo societate dignabitur, Amen*

Sanctæ Digna & Eremita. Virgines Martyres.

s. Jona, S. Dionysii discipule, qui pro Christo ca-

capite plexus, tuum caput per tria milliaria porta sti ad sepulchrum, ubi quievisti, luce odoribusque perfusus. Impetra capiti & cordi meo lucem Dei!

s. Emmerane Ep. ob Dei, & proximi charitatem per immanissima supplicia, *M.* miraculis admirabilis: cujus anima, quasi lux immensa, cœlos visa est penetrare.

s. Iraides V. quæ cùm navim Christianis martyrii candidatis onustam vidisses, te illis adjungens, prima omnium post multa supplicia gladio cæsa es.

Omnes sancti Presbyteri, Diaconi, & Virgines, cum s. Iraide, capite cæsi *Martyres.*

B. Sanctine Ep. s. Dionysii *Areopagitæ* discipule.

s. Lauto Episc.

s. Florenti Presb.

s. Silvane.

s Phoca, hospitalissime hortulane M. qui sæpe in navibus periclitantes gloriosus juvisti.

s. Joannes, *Abba* humillime, qui orando basiliscum occidisti, dæmones fugasti, eleemosynam pro egenis cœlitus accepisti, & centesimo vicesimo ætatis anno, nil damni passis oculis, vel dentibus, aut memoria, felix obiisti diem sanctum.

s. Salaberga, princeps vidua sanctimonialis; cui ad cœlos totâ mente abreptæ apparuit s. Ansericus Episcopus & dixit: Quia sororibus adhuc necessaria es, B. MARIA filium suum deprecata est, ut à Superis citiùs reverteris: & tunc visa est avis candida velut haustum è cœlo spiritum ori tuo infundere: cui morituræ adfuit Angelus, & dixit: O dulcissima fi-

filia, *prapara te, ut bravium accipias, & exitum tuum præstolare*; centesimo enim die laboris tui fructum recipies. Demum ante mortem ad excelsum, quod videbas amœnumque palatium es invitata.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S.MARIA *Silvaducensis, cui hodie gratia reddita, ob duos captivos, in libertatem assertos. Solve vincla reis: & si quid est, quod me occultè vinctum teneat, libera me; ne sinas me rudentibus inferni álligari captivum!*

23. *Septembris.* 9. *Kal. Octob.*

SAncta Thecla V. divinis cum s. Paulo vincto colloquiis conversa, Pauli primogenita: quam feris objectam humanâ imagine Pauli vultum præferens quispiam animavit in arenâ, defenditque, ac illæsam servavit; quæ tauris duobus illigata, illæsa mansisti; quæ sponte pyram inscendisti, sed ignem imber cœlestis extinxit, teque etiam in fossa serpentibus plenâ illæsam servavit Deus: tandem post multa virtutis exempla, plurimis Christo eruditis, quievisti. O fugiam ego perniciosa, quæram utilia æternitati meæ colloquia, & homines! *Ad*sis mihi cum sancto tuo magistro Apostolo Paulo in arena mortis. Vos me protegite; ne me fera pessima devoret, ne me glutiat æternitas bestiarum! Amen.

s. Line, prime post *B.* Petrum Papa, dæmonibus ejectis, mortuis ad vitam revocatis, scriptis & sancitis sanctissimis celebratissime, ac tandem capite amputato Martyr.

Bea-

Beate Sosi M. è cujus capite flammam in templo inter legendum Evangelium erumpere vidit s. Januarius Ep. & Martyrem fore, verè vaticinatus est.

Sancti Andrea, Joannes, Petre, & Antoni, Martyres.

s. Paterne Episc. Martyr.

s. Projecte Ep, quem necdum natum mater prægnans per quietem dexterâ manu lilium tenentem vidit.

s. Constanti, humilitate ac miraculis magne,

Sancta Xantippa & Polyxena, Apostolorum discipulæ.

s. Joannes Ep. Syracusane, Ecclesiæ propugnator acerrime, qui ad mensam tuam, s. Gregorii amici tui scripta legi curabas: qui monachis Abbatem tuo arbitratu eligi volentibus, Zosimum adolescentulum & contemptum, sed super quem spiritum Domi requiescere videras, præfecisti, Doce me bene eligere.

s. Joannes M. qui, unà cum filiis tuis, Petro & Antonio, à Saracenis captus, gladio per jugulum addacto confossus es.

s. Antoni Joannis fili M. qui trecentis ictibus in pedibus percussus, gratias Deo egisti.

s. Petre, Antonii frater, qui scipionibus contusus, confractis manibus & pedibus, ac ossibus comminutis; carne liquata & cum sanguine defluente, cum Antonio, ferro candente, non sine ignominia, tortus unà cum Patre ac fratre, igne combustus es.

s. Andrea senex; hasta in pectore, gladio in cervice percusse M.

s. Sophia Virgo regia; quam in carcere invisens Christus cum Angelis dixit: *Exsurge filia, & confirmare, quia ego tecum unà sum & liberabo te.* Quæ à Patre tuo tyranno super craticulam igni impositæ psallebas, & ignis omnis evanuit; voce posteà de cœlo auditâ: *Beata es, Sophia, quæ pro Dei amore decertasti: jam nomen tuum in libro vitæ descriptum est*, è cujus corpore, capite detruncato, loco sanguinis lac profluxit; & ægri contactu cadaveris tui sanabantur. Pater verò flens, te inter Angelos gloriosam vidit, ac tuo hortatu ad Christum conversus est. Converte me; ut *pro Dei amore decertam* vincam & nomen meum libro vitæ inscribatur.

s. Francisca Romana quam ægram, & dissolvi desiderantem, ac odore miro fragrantem invisens Christus, dixit illas animas, quibuscum collocuta fueras, è tuo colloquio factas pulchriores: te nunquam mundum hunc timuisse; animam tuam nobiliter gubernasse; corpus despexisse, ut Deo soli placeres; quidquid agebas, *ex amore* fecisse: Deum tanquam aurum pretiosum tenuisse: adeoque in libro vitæ scriptam esse. Doce me ita sentire, ita loqui de Deo, ut & ipse pulchrior inde fiam, & alii. Fac, ut sciam Deum æstimare, ac amare, tanquam summam & primam veritatem bonitatem, nobilitatem: & ut omnia faciam ex amore Dei.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *quæ clientibus tuis non semel, comite ad latus hodierna* S. Thecla *conspectus es. Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me!*

24. *Septembris.* 8. *Kal. Octob.*

SAncte Gerarde, ut nascereris, à MARIA impetrate, sanctè educate, s. Emerici Ducis magister sancte, qui Ungaros tuos tenerrimo, & reverendissimo quodam erga Dei Matrem affectu imbuisti; aram illi perpetuam, senes duos cum luminaribus, quasi cum igne æterno ac thure, perpetuos ministros esse voluisti; & ipse, MARIÆ semper quidem, at sabbato vel maximè studiosissimus; ac tandem & mirandis multis, & imitandis clarus, lapidatus in itinere, lanceaque confossus, positis humi genibus, his vocibus ultimum expirans orasti: *Domine* JESU, *ne statuas illis hoc peccatum : quia nesciunt quid faciunt!* Ora pro me JESUM, ut exquisito illo erga Dei Matrem affectu ardeam & ego; alios traham, neque sabbatum tantùm, sed & omnes dies, horasque vitæ meæ, ac mortis ultimam, illi, & per illam Deo Jesu, fervore constantissimo in holocaustum consecrem: & me jam illis semel sacrum, nunquam amplius ab iis recipiam; sed illorum maneam, & vivens & moriens, & resurgens, in æternum. Amen.

Sancti Andochi, Thyrse, & Felix, Galliæ *Apostoli*, flagellis cæsi, totâ die inversis manibus suspensi, in ignem missi, nec combusti, vectibus colla percussi MM.

S. Paphnuti, qui post catenas ferreas, & equuleum palmæ affixus es.

Omnes sancti Martyres, ferro necati.

Sancti quadraginta novem *Martyres*, à bestiis intacti, gladio percussi.

s. Rustice Ep.

s. Geremare Abba.

s. Isarne, cui lætæ de purgatorii carcere, ope tuâ, subvolantes ad cœlum animæ gratias egerunt.

B. Dalmaci, jejunio, cibisque cinere aspersis, mirabilis gulæ hostis: cui per iter lasso, & sitienti Dei Mater rosas melle conditas, & odore cælesti admirandas misit, Impetra ab illa Domina & mihi, quicquid mihi necessarium est ad bene conficienda itinera æternitatis beatæ, ad quam tendo; & ut eò felix perveniam.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 4.*

S. MARIA, cujus cultum solidum tenerumque hodiernus s. Gerardus *Episcopus Hungaris tuis verbo & exemplo persuasit; ut Hungaria tua dos & familia diceretur. Fac me unum de familia tua servum bonum, & fidelem, ac prudentem!*

25. *Septembris.* 7. *Kal. Octob.*

SAcrosancta, & super omnia tremenda, amanda, adoranda personarum TRINITAS, Unitas Deitatis! quæ hodie innocentem Constantinopoli puerum in cœlum raptum, à cœlestibus Angelorum, musicorum tuorum, choris resonante *Kyrie eleyson!* sacrosanctum illud tibique longè charissimum trisagion in illa schola discere, nosque ab illo terris reddito doceri voluisti: *Sanctus Deus! Sanctus fortis! Sanctus & immortalis miserere nobis!* Quo dicto, horrendos sex mensium terræ motus quiescere jussisti, & illum sancta morte è mundo exemisti, Deus, ô Deus, Deus meus! doce me miserabilem

crea-

creaturam tuam ſubvolare ad te : & à Sanctorum tuorum ibi triumphantium,& hic militantium exemplis diſcere amare te, laudare te, cum ſanctis Angelis, tremere, & adorare te, Diſcam hæc,& doceam! Kyrie eleyſon! Domine,miſerere! *Sancte Deus*,da mihi ſanctè vivere in timore tuo! *Sancte fortis*, da mihi fortiter mori in amore tuo! *Sancte & immortalis*, da mihi morienti ſanctam immortalitatem. *A*men.

B. Cleopha, Chriſti diſcipule, in eadem,in qua Chriſto menſam paraveras, domo, poſtea pro eodem à Judæis occiſe.

s. Herculane miles,poſt multa tormenta,enſe M.

B. Firmine Epiſc. decollate M.

Sancti Paule & Tatta, conjuges, ac Sabiniane, Maxime,Rufe,& Eugeni,filii, qui verberibus, aliiſque ſuppliciis torti animas dediſtis.

Ss. Bardomiane, Eucarpe, & alii viginti ſex MM.

s. *A*nathalon Epiſc. s. Barnabæ Apoſtoli diſcipule.

Ss. Lupe, Anachari, Solemni, Principi, omnes Epiſcopi.

Sanctæ *A*urelia & Neomiſia, Virgines, quas per iter in diverſorio noctu precibus intentas Angelus ad cœleſtia præmia evocavit: quæ lætæ nuntio, Deo gratias, & animas reddidiſtis, ingenti luce ſuper vos visâ, & campanis ſponte ſonantibus, cantuque *A*ngelico exaudito.

s. Formeri M. qui è cœlo monitus, in campo librũ Evangelii reperiſti, quem cùm legeres,feræ ad te ſupplices veniebant:qui caſeum è lacte ultro ad te

venientium animalium confectum, divinitùs pauperibus viduis & orphanis dare jussus, illo eorum& famem, & morbos fugâsti; cui in carcere columba lactis cyathum attulit, voce de cœlo audita, illum tibi à Domino Jesu mitti: Doce me bene legere divina, bene expendere: doce divinæ voluntati meam totam addicere. atque de manu Dei accipere omnia, tanquam dona mihi à Domino Jesu missa.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. Maria, *quæ super obsessæ Tornacensis tuæ Urbis mœnia, ut civitatem tibi dicatam tuereris, hodie conspecta es, & illam liberasti. Occupa totam animam meam, & libera illam ab hostibus notis, & ignotis, ne pereat!*

26. *Septembris.* 6. *Kal. Octob.*

SAncte Nile Abba, otiosorum verborum hostis, æternitatis amice, qui venientibus ad te Cæsareæ aulæ primoribus aulicis, ne otiosa cùm illis colloquia misceres, illis factam s. Simeoni revelationem legendam dedisti. *Ex decem millibus,* ait illa, *vix reperitur una anima his temporibus, quæ ad manus sanctorum Angelorum perveniat.* Illis verò se in fide sancta esse dicentibus, & de veritate illa dubitantibus; tu idem à S. Basilio, Chrysostomo, Ephræm, ac Theodoro Studitâ, & Apostolo ipso, atque Evangelio doceri asseverans, addidisti; *Nisi virtute præditi fueritis, & magnâ virtute præditi, nullus vos liberabit à pœnis inferni.* Ora, ut magnâ virtute præditus inveniar in examine mortis meæ! ut ita otiosa

verba

verba, & quicquid vel in minimo displicet sancto Deo, vitem totus, & semper, quicquid contra seu dicant, seu faciant *multi*, ut me bene disponam ad *paucos*; & in hora mortis meæ *anima mea ad manus sanctorum Angelorum perveniat*. Amen.

s. Justina V. cujus Pater Christum ab Angelis stipatum videns, dicentem audivit; *Venite ad me, & dabo vobis regnum cœlorum*. Ita tu cum parentibus baptizata, Christo te semel dedisti, ut nullis hominum, nullis dæmonis ipsius tibi apparentis dolis decepta, spiritum impuritatis sanctè deviceris, Cyprianum magnum converteris, & unà cum illo in accensam picis, ceræque sartaginem injecta, illæsa manseris, & securi percussa Martyrem in cœlum abduxeris.

s. Callistrate, visa illustriore stellâ converse; postmodum insute culeo, & in mare demerse, atque inde incolumis.

Sancti quadraginta novem milites, s. Callistrati exemplo conversi, & cum eodem Martyres.

s. Eusebi Papa.

s. Eusebi Episc.

s. Vigili Episc.

s. Senator.

s. Amanti Presbyter.

s. Joannes Meda, qui ad illã s. Joannis verba: *Totus mundus in maligno positus est*, tua omnia, & te ipsum fundando beatissimæ Deiparæ, ac Sanctis omnibus oratorio, & asceterio impendisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag*. 4.

S. MARIA, *cujus ope* s. Justina *Virgo impurum dæmonem per artes magicas à Cypriano missum, & fœ-*

das suggerentem vicit. Fuga à me, quicquid immundum est. Fac non solum, ut sine damno, sed & ut non sine lucro vincam, ubi pro puritate, vel alia virtute certandum est!

27. *Septembris. 5. Kal. Octob.*

SAncte Comes Elzeati, qui perpetuam virginitatem tuam humilitate profundissima, oratione, & Eucharistiæ perceptione frequentissima, eleemosynis, ciliciis catenulis ferreis, Dei, & MARIÆ amore, vallâsti; qui orationis, & vitæ magistram, à JESU MARIAM accepisti; qui inter orandum in sancto divini caloris lumine vile mundi nihilum, & præparatam diligentibus æternitatem spectasti; sabbato, & nocte sequenti plerumque divinitus visitatus sanctæ aulæ tuæ legislator, cœlestium colloquiorum calore, fidei zelo, sancte Comes! Tu sex leprosos osculo sanasti; & sponsæ Delphinæ tuæ virgini, te in latere JESU quærendum, illic te habitare scripsisti. In agone vero ob quædam tibi objecta conterritus, in illo conflictu exclamasti: *Magna est dæmonum vis; sed eam penitùs enervarunt virtus & merita sacrosancta Incarnationis, & Passionis* JESU *Christi. Planè vici! Totum me divino judicio committo!* & rubeo quodam splendore perfusus, innocentem spiritum serenus expirasti. Si tu hæc in formidabili illo conflictu; quid de me fiet? Ora MARIAM magistram tuam, ut me orare, ac mori doceat; ora Crucifixum JESUM, ut corde meo moriente in illius latere lateam securus ad cor! ibi sit inexhaustus thesaurus aureæ æternitatis meæ. Amen.

San-

Sancti Cosma & Damiane, medici fratres, qui è mari ab Angelo liberati, inter ignes, cruces, lapides, & sagittas, inter miracula læti psallebatis Deo; ac tandem unà cum fratribus vestris Anthimo, Leontio, Euprepio, capite plexi estis, quinque fratres Martyres coronati.

S. P. Ignati, qui fundatæ à Deo per te Societatis Jesu Apostolicam confirmationem hoc die, anno 1540. à Paulo III. Pont. Max. obtinuisti.

s. Epicharis, matrona senatoria, plumbatis, & gladio M.

Ss. Fidenti & Terenti MM.

Sancti Adulphe & Joannes, fratres, Martyres Cordubenses, gladio percussi.

s. Florentine, abscissa linguâ, gladio Martyr.

s. Marce, seu Joannes Ep.

s. Cai Episcope, s. Barnabæ Apostoli discipule.

s. Aderite Ep.

s. Hiltrudis V.

s. Callistrate miles, qui inter testas, equuleos & alia supplicia cecinisti Deo lætus; qui unà cum sociis mari mersus, & inde divinitùs emergens, apparuisti pulcherrimè coronatus, voce simul è cœlo auditâ: *Esto bono animo, Callistrate, cum tuo grege; & jam venite in æternis requieturi tabernaculis.* Ita conversi centum triginta quinque militibus, cum tuis quadraginta novem membratim concisus es.

s. Gingurine, quem morientem s. Michael Archangelus tibi conspicuus, ad æternum felicium Angelorum contubernium invitavit. Ora pro me unà cum glorioso illo Angelo, ut tota mea vita, & mors eò tendat, ubi ille est præpositus paradisi.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *quæ Societatem* JESU, *hoc die Pontificio calculo confirmatam, sub pallio fovere conspecta es; & illam perpetua ope sustentas, ac provehis,* ad majorem Dei, *Filii tui,* gloriam, *& tuam. Fac, ut, illis artibus te amem & colam, quibus amavit* Ignatius, *& omnes qui tibi è confirmata hodie hac tua Religione placuerunt!*

28. *Septembris.* 4. *Kal. Octob.*

SAncte Wenceslae Dux, innocentiæ Virgo victima, in templo à fratre trucidate, & à Deo, pro Martyre, revelatione, ac miraculis honorate. Tu divinarum rerum devotissimus æstimator, & sæpe sacrorum minister, ne quid inconsulto Deo aggrederis, à sacro tardè ad comitia Imperatoris veniens, Angelos comites. Imperatorem præ reverentiâ obvium, frementibus cæcis invidis, habuistis. Noctu verò, cum per hibernas nives nudipes, templa, unico ex aulicis fidissimo comite, invisercs, ille calceatus licèt, frigens tamen, jussu tuo tuis vestigiis pedes imprimens, dum te nudipedem sequeretur, incaluit. Eam & ego, tuis precibus id pro me evincentibus, eam per JESU, ac tua exemplis impressa vestigia, eò quò me vocat æternitas! Sequar te, quia secutus es JESUM! Incalescam à vestigi s JESU, *in itineribus æternitatis ejus!* Eam non tardo & frigido; sed currente & volante passu; ut ne priùs claudatur janua, sed aperta suo sinu me morientem claudat sancta vitiorum æternitas. *Amen.*

s. Private M. plumbatis cæse usque ad mortem.

s, Sta-

s. Stactec, M.

s. Maxime Martyr.

Sancti Martialis, Laurenti, & alii viginti Martyres.

s. Marce, ovium pastor, sancti Zosime, Alphi & Alexander, illius fratres; Sancti Nicon, Neon, Heliodore, aliique triginta milites, variis tormentis MM.

s. Exuperi, tibi parcissime, aliis pro Christo liberalissime Ep.

s. Salomon Ep.

s. Silvine Ep.

s. Eustochium Virgo; sanctæ Paulæ sancta filia, s. Hieronymi discipula, ad Christi præsepe educata ad sanctam & exemplis plenam vitam, & mortem.

s. Lioba V. cum Deo, & de Deo ardenter loquendi scientissima, miraculis clara.

s. Chariton, nervis cæse, & mille pro Christo mortes subire parate; qui moriens ajebas tuis: *Nunc dum tempus adhuc est, operandum; futura illa æterna esse. Sint vobis arma ad bellum jejunium, oratio, lacryma, memoria mortis, & gehenna, & quod est omnium validissimum, & inimicis maximè terribile, beata humilitas, cautioque, ne unquam vos prava occupent cogitationes, ac observatio sensuum.*

s. Annemunde Episc. M cum in alios, tum in epilepticos maximè mirabilis, & benefice thaumaturge.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 40.

S. Maria, *Silvaducensis, cujus hodierna tabula gratias tibi actas ferunt pro puero ad vitam revocato.*

Fac, ut sic vivam, atq; si per te à morte rediissem ad vitam!

29. *Septembris. 3. Kal. Octob.*

BEatissime Michaël *Archangele*, Angeli mei Custodis, & omnium cœlestium Ordinum Princeps gloriosissime, clientum tuorum omnium liberalissime patrone dæmonum triumphator! O ne me desere morientem, & cum invido illo dæmone, quem vicisti, luctantem! Ora pro me, *præposite paradisi, cujus oratio perducit ad regna cœlorum!* O dux animarum prædestinatarum, duc me ad beatam electorum æternitatem! Tibi *tradidit Deus animas Sanctorum, ut perducas eas in paradisum exultationis.* Suscipe benignus migrantem hinc animam meam, qui morientibus pluribus benignissimè adfuisti, & quem *constituit Deus super omnes animas suscipiendas.* Ora ut sancto *Angelo* meo, & te duce, ita vivam, & moriar, ut *hæreditatem capiam salutis.* Amen.

S. Gertrudis V. cui hoc die, inter alia, dixerunt Ordines *Angelorum*; quòd unà *amans anima* pro vivis & defunctis plus possit à Deo impetrare, quàm duodecim millia non amantium. Impetra mihi amorem illum, ut possim impetrare majorem amorem Dei mihi, & aliis.

Christe, Rex *Angelorum*, qui hoc Angelico die S. Mechtildem docuisti, ut Seraphinis, Cherubinis, ac singulis beatorum spirituum Ordinibus certas preces per te offerret; eamque docuisti, quòd quicquid offertur per te, nobilitetur, fiatque pretiosius; sicut

ficut nummus in auri candentis massam immissus, totus fit aureus. Tum ei ostendisti Seraphinorum, ac reliquorum octo Ordinum gradus; ac dixisti eos, qui *amore Dei* pauperibus ministrant, Angelos imitari: & cum de aliis alia docuisses, adjecisti, cum Seraphinis esse illos, *qui Deum toto corde & mente diligunt, quos ab amore Dei nil valet separare; quia quò magis inimici in eos insurgunt, eò validius in amore convalescunt, feliciter ardentes, & alios accendentes; ita ut si possent, omnes homines facerent in Dei amore perfectos.* Domine, per illum amorem te rogo, quo te sanctus tuus Michael ac Seraphini omnes, ac reliqui amant, & per illum, quo tu illos amas, dignare me illo amore; ut in omni occisione validiùs in amore te convalescam, & ardeam, atque alios accendam eo modo, qui omnium maximè tibi placet.

Sancti Eutychi, Plaute, & Heraclea, Martyres.

s. Gudelia M. quæ plurimis Christo adjunctis post multa tormenta, cute capitis detractâ, ligno affixa es.

Sancti Dada & Casdoa, conjuges, & Gabdela filii, quos consanguineus Rex Sapor honoribus exules, & tormentis affectos, longo carcere maceravit, gladio Martyres fecit.

Sanctæ Ripsimis, & sociæ MM.

s. Fraterne Episc. Martyr.

s. Grimoalde Presb.

s. Quiriace, oratione potentissime; centum & septem annorum vegete ad divina omnia senex.

s. Francisca Romana, quam hoc s. Michaelis die infirmam visens Christus, Angelum tuum serto

coronavit, confecto è ramis olivarum, dicens: Quia bene custodisti famulæ meæ animam, & quæ postea Beatissimam Dei Matrem, cum octo *Seraphinis* & s. Joanne Baptista, ac Ss. Petro & Paulo Apostolis, in templo sedentem vidisti. Ora, ut sim Angelo meo obediens, uti tu fuisti tuo: ut sim illi causa lætitiæ. Impetra cordi meo nobilem Reginæ Seraphinorum, ac Cœlitum custodiam; ut glaciata mea mens his ignibus liquefiat.

OMNES SANCTI, &c *pag. 4.*

S. MARIA, *qui hodierni* S. Michaëlis *bilancem quâ bona & mala* Jacobi *cujusdam opera expendebat, apposito tuo Rosario, accommodasti,* Jacobum *monitum correxisti. Fac, ut ea, quibus te colo, pietatis officia me parent supremo judicio, ut feliciter in illa bilance subsistam.*

S. MARIA, *cujus sacellum in Eremo Helvetiæ visens anno* 1631. *hoc die peregrinus qui per immane sacrilegium peccata sua in confessione tacuerat, & Romam anno sancto ad cor expiandum profectus, ne ibi quidem se pervincere poterat, ut sua flagitia confessario aperiret; hodie demum in tuo illo sanctuario tactus dolore cordis intrinsecùs confessus est. Et eodem hoc die anno* 1636. *ibidem fœmina sceleribus cooperta cum sacellum tuum ingredi sæpe tentaret, non priùs id potuit, quàm peccatis per pœnitentiæ sacramentum expiatis. O admirabile refugium peccatorum! in manu tua depono supplex cor meum; ut illud dolore conteras, amore perpurges, ac serves semper immaculatum; id est, idoneum ad amandum Deum, ac te!*

30. Septembris. Prid. Kal. Octob.

SAncte Hieronyme, ab Angelis, quòd Ciceronianus esses, flagellate, qui in sacco, & ob gehennæ metum in specu velut carcere, singultiens, pectusque saxo verberans flebas! & si quando repugnantem somnus imminẽs oppressisset, nuda humo ossa vix cohærentia collidebas; & fœdis cogitationibus mente bulliens, ad JESU jacebas pedes, & repugnantem carnem hebdomadarum inediâ subjugabas; posteà visus tibi sæpè interesse agminibus Angelorum. Ora pro me, mundi magister. Mariæ amantissime orator, ab hominibus, à dæmonibus à morbis tentatorum, & sanctè agonizantium, ac morientium exemplar sanctum: ut sicut tu, ita & ego, *sive dormiam, sive comedam, sive quidquid aliud agam, semper vox illa auribus meis insonare videatur: Surgite, venite ad judicium!* atque ita paratus, eâ quâ tu corporis animique submissione, accepto æternitatis viatico, inter solidas tenerasque ad Crucifixum aspirationes expirem. S. Hieronyme, qui aliquando S. Franciscam Romanam in majorem semper lucem inducens, usque ad thronum Dei perduxisti, eamque docuisti, ut non juxta suum ingenium, sed ad obedientiæ nutum ageret, quæ agebat. Aliàs item eidem post sacram synaxim perceptam conspectus, eam ad videndum Deum invitasti; & dixisti: *Magna est hæc abyssus: confirma te in amore Dei.* induc me quoque in lucem majorem semper; ne me unquam tenebræ comprehendant, nunc interiores cordis deinde exteriores

internі,

inferni, fac, ut in abyssum divini amoris ingressus, ibi tecum habitem, ac semper in Dei amore proficiam. Amen.

S. Leoparde, ex aula Juliani, pro Christo decollate M.

Sancti Victor & Urse, ac socii Martyres Thebæi, qui è catenis dirisque suppliciis liberati, cælesti lumine humi prostratis carnificibus, conversis plurimis, in ignem conjecti, & illo divinitùs extincto illæsi, capite tandem cæsi, & in præterfluentem projecti, capita vestra in manibus portantes, flumen egressi, usque ad locum vestræ basilicæ postmodum datum pervenistis, ibique flexis per horæ spatium genibus, quasi oratione finitâ, vos demisistis in terram, etiam deinceps miraculis gloriosi.

S. Antonine, ex eâdem legione Martyr.

S. Gregori Episc. multis quæ & egisti, & passus es admirabilis, Armenorum Apostole, lætissimâ plurimum myriadum animarum conversione gloriosissime.

S. Honori Episc.

S. Sophia Vidua, sanctorum Fidei, Spei, Charitatis Virginum mater.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 4.

S. MARIA, *cujus* præsentationis festum *hoc die olim Hispania solenni pompâ celebravit. Ecce me Deo præsento per te; offero, dedico, sacrifico per te. Suscipe me, præsenta me in templo gloriæ tui IESU!*

Ad majorem Dei, Deiparæ, ac Sanctorum omnium gloriam, & ultimi agonis nostri solatium sanctum!

ANNI

ANNI CÆLESTIS PARS IV.

Sive October, November, & December.

OCTOBER.

1. Octobris. Kal Octob.

BEatissime Francisce Borgia, qui viso putrescente jam Imperatricis cadavere, ad maxima æternitatis principia altiùs elevatus, JESUM secutus es: cujus gloriosa humilitas sæpe de superbo dæmone triumphavit; qui datis manè terræ osculis, te ad mortem quater & vicies quotidie comparabas: qui humillimo clienti tuo, de sua prædestinatione trepido, ideoque apud te supplici, gloriosus apparuisti, ac læto vultu dixisti, *Quid me interrogas an sis salvandus, an non; cum servias tam bono Deo? Interroga opera tua: quæ si deinceps ita erunt, ut fuerunt hactenus, respondent tibi; quòd ita, quòd ita: nempe te salvum fore*, & ille tranquillatus, ita vixit, ut morte sanctorum de vita decesserit. Fac me humilem; impetra mihi, ut sic agam

agam ea quæ ago, ut opera mea digna sint prædestinato ad gloriam. Tu viso in MARIÆ sinu JESU, *Mihi*, ajebas, *Virgo hoc onus gestat: mihi lac Matris, mihi Filii bullit sanguis.* O bulliat per calentissimas preces, & lacrymas tuas, etiam mihi (maximè morienti) pro me nunc, & tunc perorans, & lac Matris, & Filii sanguis; ut illo lacte candida, & illo sanguine purpurea hæc anima mea, ad Sanguinis illius, & lactis fontes ipsos, ad JESUM abeat, & MARIAM, Amen.

S. Remigi Ep. Francorum Apostole, cœlesti voce & miraculis laudate; ad quem, pro Rege ungendo, chrisma sacrum columba nivea è cœlo attulit, de quo peccatori cuidam Angelus dixit: *Exauditæ sunt pro te patris tui Remigii orationes*: cujus post mortem corpus aliò ipsi Angeli transtulerunt.

B. Areta, & alii quingenti quatuor Martyres.

Sancti Prisce, Crescens, & Evagri, Martyres.

S. Verissime M. Ss. Maxima & Julia, sorores illius Martyres.

S. Piaton M.

S. Domnine Martyr.

S. Bavo Princeps, in tentatione invictissime, & ab Angelo recreate; super cujus caput, spectante populo, Christus Crucifixus apparuit, & ad prædestinatorum gloriam te accendit, qui denique moriens coram Christo, Angelisque præsentibus, *Vale*, dixisti, *servorum Dei Ecclesia, Christus adest: egredere in occursum ejus, anima mea!*

S. Severe Presb.

S. Anania, ungulis, lampadibus cruciate, lapidate.

S. Nice-

S. Niceti Ep. Dei zelo, sine ullo maximarum etiam personarum respectu, magne; contra pestem protector sancte; qui ante mortem, *Vidi*, ajebas. *Paulum cum Ioanne Baptista invitantem me ad requiem sempiternam atque exhibentem mihi coronam cælestibus margaritis ornatam.*

OMNES SANCTI, quos felici morte defunctos hodie felici æternitate donavit Deus.

Omnes Sancti mei nominis, & meæ patriæ, ac Patroni mei menstrui omnes.

Omnes Sancti nationis, & conditionis meæ.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi nascenti prima fuit dies.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi morienti ultima erit dies.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, vos potissimum, qui in hac vita maximè excelluistis in amore Dei: tuque, ô MARIA, Mater agonizantium, orate pro omnibus hodie nascentibus, & hodie in agone supremo periclitantibus: impetrate mihi à Crucifixo JEsu felicem mortem, beatam æternitatem. Amen.

Credo, spero, amo, adoro te, pulcherrime, ac optime, super omnia, Deus meus! & ideò de peccatis meis doleo, ac desidero plus dolere, & confiteri. Doleo super omnia, quod te tam ingratus offenderim, Deus meus, & omnia! In gratiarum actionem, & satisfactionem, offero tibi hujus diei, & vitæ meæ totius actiones, atque momenta singula, conjuncta omnibus lacrymis pœnitentium Sanctorum, omnibus guttis lacrymarum, & Sanguinis Jesu, omnibus meritis JESU, MARIÆ, &

omnium

omnium Electorum tuorum: ut te viderė, ac amare, unà cum illis, & unà tecum, merear in æternum. Amen.

S. MARIA, *quam hodie S. Andreas Cretensis vidit in aere, pro Christianis supplicantem; eoque hic dies dictus est*: Protectio B. Virginis MARIÆ *apud Græcos*; *apud quos etiam hodie dies est* S. Ananiæ, *cui tu librum porrigens apparuisti, utque illum comederet, imperâsti, & ad componendas divinas laudes disertissimum fecisti: quæ* B. Godefrido *nuntiâsti*: Proficiat de virtute in virtutem. Sic erit Filii mei, & meus: & cùm migraverit anima ejus è corpore, non dimittam eam ire in purgatorium; sed suscipiam eum, & offeram Filio meo, *quæ eidem morienti, unà cum undecim millium Virginum choro adfuisti, quam hodiernus* B. Franciscus Borgia, *à te ad Religionem vocatus humilitate, imaginibus, & variis artibus cultam, tironum perseverantiæ præesse dixit. Fac, ut sic te colam, ut nunquam te colendo sim satur. Impetra mihi humilitatem, & perseverantiam in gratia Dei!*

2. Octobris 6. Non. Octob.

SAncte Leodegari Episc. semper virgo, cùm pro veritate oculi eruerentur, *Gratias ago*, ajebas, *omnipotenti Deo, quòd me hodie dignatus est glorificare!* qui contritis pedibus, præcisis linguâ & labiis, ad Deum, ac de Deo locutus, corda accendebas? super cujus caput in circulo cælestis lux gloriosè resplenduit. Sed & capite plexus, miraculis, & divino affuso è cœlo lumine resplenduisti; & inimici tui sunt repentinâ, horrendâque morte

morte extincti. Mihi verò felicem mortem impetra, ut clienti tuo. *Affulgeat cordi meo æternitatis sphærica lux, atque ita mihi mors oculos totumq; corpus auferat, ut æternitate beatâ recepta anima mea dicat meritò: Gratias ago omnipotenti Deo; quòd me hodie dignatus est glorificare! Amen.*

S. Eleutheri miles, & omnes sancti Martyres ejus socii, acervatim gladiis, ignibus, mari occisi.

S. Gerine, sancti Leodegarii frater lapidate M.

Sancti Prime, Cyrille, Secundari Martyres.

S. Theophile, pro cultu sanctarum imaginum sævissimè cæse, posteà exul.

S. Beregise, qui delapsæ è cælo ad Plectrudem Pip ni conj gem schedæ, hæc latinè inscripta legisti; *Locus ille Numinis providentiâ delectus est ad æternam plurimorum salutem*, & juvante Pipino templum ibi, ac cœnobium condidisti.

B. Godefride, cui Christus dixit: *Quemadmodùm ego vitam pro te posui, ita tu pro fratribus tuam ponito*: qui cum Christo per templum familiariter inambulâsti, cui Beatissima Virgo dixit; *Brevi me sequeris in cælum ad mercedem laborum.*

S. Thoma Episc. doctrinæ, devotarum lacrymarum, abstinentiæ singularis, & deinde miraculorum laude celeberrime.

S. Clara dignissima S. Francisci filia, hodie translata, quæ divinitus cognito Novitiæ cujusdam peccato, eam reprehendisti, quòd illud silentio involvisset. Ora pro me, ut semper in corde contrito & humiliato, & non in labiis dolosis, delictum meum cognitum faciam Deo meo, & illi, quem loco suo in terra statuit, ut remittat mihi.

OM-

OMNES SANCTI, &c. pag. 185.

S. MARIA, *cujus consilio Societati JEsu adjunctus* Aloysius Gonzaga, *hoc die, anno* 1621. *à Gregorio XV. Beatorum catalogo adjunctus est. Fac, ut te amem corde* Aloysii, *laudem ore* Aloysii, *vivam & moriar vitâ & morte* Aloysii *tui!*

3. *Octobris* 5. *Non. Octob.*

SAncte Gerarde aulice, à Sanctis Petro & Paulo Apostolis, postmodum à s. Gisleno visitate, in Abbatem eligi è cœlo jusse; Sanctorum religiosissime cultor, obtrectatorum patientissime, morborum per miracula medice. O aulice sancte, religiose Abba, miserorum asylum! Doce me amabilem in Sanctis Deum ita colere, ut illum per illos mihi pro hora mortis meæ omni obsequiorum sanctorum genere demerear. Præcipuum verò mihi à Deo cultum omnium omninò Sanctorum impetra; ut quia non possum singulos, honorem, reverear, colam omnes; & me JEsus, Sanctorum omnium Rex, in hora mortis meæ *æternâ faciat cum Sanctis suis in gloria numerari. Amen.*

s. Candide M.

Ss. Dionysi, Fauste, Cai, Petre, Paule, & alii quatuor MM.

Sancti duo Ewaldi Presb. Martyres, post mortem luce multâ divinitùs illustrati.

s. Maximiane Episc. ab hæreticis sævissima passe, qui ex altâ turri datus in præceps, deinde in Domino quievisti.

s. Hesychi, sancti Hilarionis discipule, & socie.

s. Joan-

s. Joannes Chuzubita, Angelis familiaris, humilitate contra dæmones potens; qui ad ea, quæ patiebaris, nil respondebas, nisi: *Si Deus hac pati potest, quidni ego velim!*

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA *montis Serrati, quæ surdum & mutum hodie benè audire, ac loqui fecisti. Doce me benè audire, benè tacere, benè loqui, benè mori!*

4. Octobris. 4. Non. Octob.

SAncte Francisce Patriarcha, cælestis inter homines *Angele*, triumphator mundi, carnis, ac dæmonis; vir verè humilis corde! qui ubi te in æternitate beata inter prædestinatos divino vitæ libro inscriptum à Deo intellexisti, plenus Deo, plenus intimis exultantis in cælum cordis deliciis, *Laus Deo*, ajebas, *Deo gratias, laus* Deo! neque extra hæc aliud quidquam per dies aliquot sapiebas, qui longos, & horrendos inter morbi dolores, ossa arida humi collidens, terram exosculabaris, tenerrimas Deo pro doloribus gratias agens, & centies alterum tantum petens; dictoque Psalmo; *Voce meâ ad Dominum clamavi*, usque ad: *Me exspectant justi, donec retribuas mihi*; post illa verba, felix anima tua, sub specie stellæ præfulgidæ, super nubem & aquas cælo invecta est; simulque in agone alibi posito cuidam apparuisti, & illum tecum in cælum abduxisti. Sancte mi Francisce, cujus vulnerati à Seraphino amore cordis sanguis Romæ, anniversario tuorum stigmatum die, liquefieri est conspectus, ad cujus cor, & corpus, festumque Portiunculæ, peregrinam

s. Fran-

S. Franciscam Romanam, vel tu, vel tuorum è cælo filiorum quispiam, igneo de Christo patientis amore colloquio, & posteà piris optimis è silvestri arbore decussis recreavit, ac videri desiit. Qui olim de amore Dei loquens, dicebas: Non posse ignem simul descendere atque ascendere; non posse vilem nostri amorem cum excelso Dei amore in corde uno habitare. Doce me Deum verè amare, me odisse; doce totum cor meum, & sanguinem verò ascendentis in Deum amoris igne ardere, & colliquescere; doce scitè cogitare, ac loqui cælestia, & inter hæc Jesum crucifixum. *Amabilissime Sancte*, adesto & mihi tunc, unà cum omnibus cælo receptis filiis tuis. Doce me divina æstimandi, me & hæc omnia valdè contemnendi, orandi, dolores patiendi, amandi, moriendi artem sanctam: ut me non liber mortis, sed liber vitæ habeat; & dicam unà tecum *Deo gratias* æternum. *Amen*.

Sancti Crispe & Cai, ex primitiva Ecclesia sancti.

Sancti Marce & Marciane fratres, & alii penè innumerabiles utriusque sexûs, ac omnis ætatis, per verbera, flammas, mare, gladium, inediam, patibula. Mm.

S. Petre Ep. linguâ, manibus pedibusque amputatis, cruci affixe Martyr.

Ss. Cai, Fauste, Eusebi, Cheremon, Luci; & socii Martyres.

S. Hierothee, divine vir, s. Pauli discipule.

s. Petroni, s. Petro jubente in Episcopum electe.

s. Aurea V.

s. Magdalvee Ep. virginitate, oratione insignis, à cujus

cujus morte statim duæ columbæ candidæ è cælo venientes, tuo corpori super Crucem assederunt, & post exequias, in omnium oculis in cœlum iterùm abierunt.

s. Thyrse, qui cum tuis sociis militibus pro Christo occisus, Mosellæ aquas tuo sanguine purpurâsti.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 185.

S. MARIA de Portiuncula, *in cujus templo cor* S. Francisci *creditur Angelicis manibus sepultum: ad quam deferri voluit* s. Franciscus *graviter ægrotans; ut ubi gratiæ spiritum à Deo acceperat, ibi spiritum vitæ redderet. Impetra mihi spiritum gratiæ. Vivat in te, moriatur, sepeliatur in te cor meum, ut sit secundùm cor tuum.*

S. MARIA ab Angelis, *cujus imaginem* s. Franciscus *gestabat in pectore; quæ nunc Messanæ colitur ad scalas. Imprime te cordi meo, deletis indè omnibus, quæ Deo non placent, imaginibus, te istic gestem impressum cum Filio tuo Jesu!*

5. *Octobris.* 3. *Non. Octob.*

SAncta Galla, viduarum sanctarum & patientiæ sanctæ imago, quæ viso ante mortem s. Petro Apostolo: *Quid est*, ajebas, *Domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea?* Et ille tibi benignè annuens. *Dimissa*, inquit, *veni*; & triduo post abiisti; tecumque unam è sacro sacrorum cœtu duxisti. Intercede pro me, ut ita sanctè utar doloribꝰ meis, ita pretiosa faciam omnia quæ facio, ita præterita seriò defleam, & nova nę admittam peccata; ut in morte non audiam

diam horrendum illud, & à Dei facie repellens *Ite*, vel *I*, sed suavissimum prædestinatorum *Veni*, quod tu audisti. Amen.

S. Placide, S. Benedicti discipule, qui ab Eutychio, & Victorino fratribus tuis, Flaviâ Virgine sorore tuâ visitatus, una cum illis, & Donato, Firmato, Fausto, & triginta monachis, post alia tormenta decollatus es.

S. Thrasea Ep. Martyr.

S. Palmati proconsul. & socii Martyres.

S. Charitina V. cui abrasi crines, divinitùs sunt restituti; cujus capiti impositæ ardentes prunæ, infusum acetum; cujus pectori obelisci ignei; lateribus lampades admotæ, quæ lapide ad collum alligato in mare projecta, solutis ultrò vinculis mari libera inambulâsti pede sicco; cui præparatam rotam igneam disjecit Angelus extincto igne; cujus manuum pedumque ungues omnes evulsi, dentes excussi; tandem orando superior tormentis omnibus, orando, Deo purum spiritum reddidisti.

Sancti Firmate, & Flaviana V. Firmati soror.

S. Marcelline Ep. contra dæmones potens; cujus cadaver odorem suavissimum exhalabat.

S. Apollinaris Ep. qui orando fontem divinitùs impetrasti; Regi febrienti veste tuâ incolumitatem reddidisti.

S. Attilane Ep. cui certam peccatorum veniam certo signo relevavit Deus.

S. Meinulphe, uno sancto colloquio ad divina accense, miris visionibus animate; inter cujus ossa tintinnabulum repertus est, quod, si cui monialium moriendum tuo illo in cœnobio erat, sono suo ultrò indicabat semper.

OM-

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus ope* S. Meinulphus *vitæ est redditus, ut quadam salutaria suis ediceret. Doce me ita vivere, sicut viveret Sanctorum aliquis, ad nos è cœlo reddux!*

6. Octobris. Prid. Non. Octob.

SAncte Bruno, Carthusianorum admirabilis Patriarcha, qui Parisiensis illius Doctoris, probatæ aliàs, ut videbatur, vitæ viri, post mortem è feretro se *justo Dei judicio accusatum, judicatum, condemnatum*, dicentis spectaculo permotus elongâsti fugiens, & mansisti in solitudine; aliosque ad idem oratione vehementissimâ permovisti; cujus Ordo cælesti visione certus redditus est, æternam illi MARIÆ tutelam adfuturam, si ejusdem Officium quotidie recitaret. Sanctissime simul, ac doctissime Bruno, imprime intellectui meo magna illa æternitatis lumina: & illis illumina, & accende tepidam hanc voluntatem; ut benè solideque perpensâ morte, & immortalitate meâ ita paratus moriar, ut *misericordissimo Dei judicio absolutus*, in judicio beatæ adjudicer immortalitati. Amen.

S. Sagar, Ep. M.

Ss. Marcelle, Caste, Æmili, & Saturnine, Martyres.

S. Fides V.M. cujus robore, & eâ quâ è cœlo coronabaris coronâ animatus Caprasius, ad martyrium provolavit.

S. Erotis, per ignem Martyr.

Omnes Sancti Trevirenses Martyres innumerabiles, vario tormentorum genere occisi.

S. Romane Ep. M.

S. Magne Episc.

S. Epiphania Virgo regia, magnarum virtutum heroina, à Sponso Jesu evocata.

S. Niceti Ep. qui cùm pro urbe Trajectensi peste afflictâ orares, pestem sedâsti, his etiam vocibus tunc palam auditis: Et quid hic, ô socii faciemus! Ad unam enim portam *Eucharius*, ad aliam *Maximus*, in medio excubat *Nicetius*. Nihil hic ulrà possumus, Itaque sinamus hanc urbem eorum tuitioni. Defende & me; ne inimicus quicquam possit in me. Tuæ tuitioni, & fidei me committo.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 185.

S. MARIA, quæ in auxilium evocata, s. Brunonis *filios, ad severam religiosæ vitæ disciplinam animasti. Impetra mihi vires, omnia & singula, quæ sunt mei muneris, perfectè ac liberaliter exequendi.*

7. *Octobris.* *Nonis Octob.*

INvictissima Dei exercituum Mater, S. MARIA de Victoria, cujus benignissimâ ope, *Anno* M. D. LXXI. ad Echinadas insulas, contra sitientissimos fortunarum & sanguinis nostri Turcas, victoria memorabilis reportata est, captis hostium centum & octoginta triremibus, reliquis dissipatis. O etiam nunc juvare nos perge, Domina! Protere pedibus tuis crescentem semper Lunam illam, virulentum serpentem illum, qui adeò plus ulrà serpit, adeò blanditur, & decipit, & vulnerat, & occidit, unũ cor, unam animam Christianis impetra, ut faciat cũ illis potentiam in brachio suo Deus. Mihi verò & nunc

&

& in ultimo meæ mortis conflictu. Jesus, & MA-RIA, eritis certanti tessera,& vincenti,& gloria triumphanti. Vos in me, & pro me pugnate, & vincite; ac pro spolio hanc animam meam accipite. O Jesu,da mihi nunc,& nunc Mariam;ut sit mihi Maria de Victoria in terris, sit mihi Maria de Triumpho in cœlis. Amen.

S. Marce Papa, Confessor.

Sanct Sergi&Bacche, inter tormenta psallentes, & ab Angelo consolati. s. Bacche M.tam diù nervis crudis cæse, quoadusque toto corpore disciffus, animam cælestibus ad quietem vocibus evocatus exhalares. s. Sergi, cui læto vultu apparens post mortem socius, te animavit ad gloriam;qui in crepidis clavatis procul cucurristi lætus,& ab Angelo colloquiis, ac amplexibus persanatus,& pro inimicis Deum precatus, ac cælesti voce vocatus, capite truncatus es.

Ss. Marcelle & Apulei, MM.

s. Julia V.M.

s. Auguste Presb.

s. Justina V. gladio transverberata. M.

s. Helane Presbyter.

s. Ositha Virgo regia, quæ sub aquis triduo ab Angelo viva conservata & erepta, posteà pro Christo gladio cæsa, resectum caput ad usque templi portam tulisti,ibi procubuisti; tandem quendam in mortis agone sanâsti, & ut bona quæ mente conceperat,differret, jussisti.

s. Palatia V. ab Angelis è mari erepta, & aquis inambulans.

s. Geroldc.qui dum pacem inter alios compo-

neres, pacis victima cecidisti : cujus mortem sponte sonantium campanarum sonus, odores, & cælestia lumina illustrârunt.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 185.

S. *MARIA* de Victoria, *doce me intus, & foris, ubique, ac semper, me ipsum vincere. Vince me; ut me vincam!*

8. *Octobris.* 8. *Idus Octob.*

SAncta Brigitta, quæ etiam tùm decennis JESUM in Cruce, sanguine recenti perfusum, vidisti, & de Passione mira loquentem audisti. Hinc dulces illæ lacrymæ, quibus tuas de Crucifixo & cogitationes, & colloquia, & preces, & factas sextâ quaque feriâ confessiones irrigabas: quæ num quispiam peccati mortiferi esset reus, horrendo quodam fœtore perculsa sentiebas: quæ denique acceptas à *MARIA*, & Angelis revelationes, dictatas à Christo regulas, scripsisti; & doloribus, ac præsentis tibi morienti Jesu deliciis plena, illi spiritum dedisti. O! ora, ora pro me, ut ne unquam fœteam! Ament Crucifixum, ament *MARIAM* cogitationes meæ, verba mea, confessiones meæ, vita, & mors mea! Ora, ut servem eas, quas cordi meo dictat inspirationes JESUS, MARIA, per Angelum; & denique morienti mihi sis, ita sicut Carolo filio tuo fuisti mater; & sicut illi, ita mihi, Mariæ Matris agonizantium opem implora, & impetra. Amen.

S. *Amor* Confess. Diacone.

B. Simeon senex, qui prius mori non potuisti, quam allatum à Maria in templum JESUM in felices amplexus acciperes.

S. Repa-

s. Reparata V. cujus pro Christo variè cruciata & gladio percussa anima in columbæ specie de virgineo corpore egredi visa est, cælumque conscendere.

s. Demetri proconsul, qui plurimis ad Christum conversis, Cruce scorpium peremisti; cui apparens cælestis Angelus coronam imposuit, & dixit: *Pax tibi, Christi athleta: Esto fortis*; tandemque lanceis es interemptus.

s. Nestor *M.*

s. Petre *M.*

s. Arteon, igne *Martyr.*

s. Benedicta V. *M.*

s. Evodi Episc.

sanctæ Palatias & Laurentia, in exilio ærumnis confectæ.

s. Pelagia pœnitens, quâ in ornatu impudicè superbo visâ lacrymatus s. Nonnus, doluit se non tantam sui animi curam habere, quantam tu habebas corporis; quam idem è nigerrima columba fieri candidissimam vidit; & veluti *Magdalenam* humi lacrymantem sacro lavacro abluit; quæ superato posteà semper dæmone, opibus in pauperes dispersis, in veste cilicina Hierosolymis, & vita, & morte sancta sanctis pœnitentibus præluxisti.

S. Thaisis, quæ à s. Paphnutio pio colloquio conversa, quicquid opum lascivo lucro collegeras, in urbis medio in cumulum congessisti, & combussisti: & per triennium in arcto cubiculo clausa, & jejunans, ac nec oculos aut manus sursum tollere, nec Deum nominare ausa, dicebas: *Qui plasmâsti me, miserere mei!* cui paratum in cælo lectulum tres

Virgines custodire sunt visæ. Nunc ibi quiescis felix impetra & mihi cor humile, cor contritum, orans, castum, cautum, cor secundùm cor Dei.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA *quæ S.* Brigittæ *de tuis clientibus dixisti.* Video labores eorum: occurram eis in morte; & collocabo eos mecum in sede cælesti. *Super est, ut & ego faciam id quod à me requiritur: sed hoc ipsum à te, & per te peto ac spero. Tu impetra!*

9. *Octobris.* 7. *Idus Octob.*

SAncte Dionysi, cælestis calami Episcope, qui pro Christo flagellatus, & super lectum ferreum igne assatus cantabas; qui bestias fame in te rabidas Cruce compescuisti, & illæsus in clibano, cruci affixus es, cui posteà Missæ sacrificium in carcere offerenti, præsens in splendoribus pulcherrimus JESUS te cælesti pane refecit, in medio *Angelorum*, & *Mecum est*, inquit, *maxima merces tua & his, qui audierint te, salus in regno meo. Dilectio autem, & benignitas, quam habes semper, pro quibuscunque petierit, impetrabit. Ac* tandem securibus obtusis capite plexus unà cum sociis tuum ipse caput, in cælesti luce, comite cælestis exercitûs multitudine procul tulisti, & tunc anima cœlo recepta est, ac suavissimi Angelorum *Gloria tibi Domine*, & *Alleluja*, canentium concentus à fidelibus, & infidelibus auditi. Sancte, centum & decem annorum senex! *Audiam te impetra mihi* id, quod optimum est! Permitte, ut moriens hoc caput ultimò reclinem in paterno tuo sinu! Adhuc, pro securitate itineris illius

mei

mei, amabiles comites tuos Angelos; & quam in terris visam obstupuisti Mariam, illam mihi, & Filium in cælis ostende. *Amen.*

sancti Rustice & Eleutheri, s. Dionysii socii Martyres.

S. Abraham Patriarcha in cujus sinum Lazari animam Angeli deportârunt, antequam dives epulo sepeliretur in inferno.

S. Domnine, gladio transverberate miles M. qui caput tuum amputatum trans flumen portâsti: cujus corpus ubi esset, cælestibus splendoribus est ostensum.

s. Deusdedit, longâ fame, ac ærumnis in carcere confecte.

sancti Andronice & Athanasia, conjuges.

S. Publia Abbatissa, quæ audiente Juliano apostatâ, unà cum tuis Virginibus, nullo humano respectu habito, cecinisti: *Simulacra gentium, argentum & aurum; similes illis fiant qui faciunt ea*, & objurgata graviter, ac alapis cæsa es.

s. Gunthere Eremitta, s. Stephani Hungariæ Regis cognate; qui s. Stephani mensæ assidens, cum ad assæ avis esum invitareris, orando effecisse diceris, ut avis illa vitæ reddita è mensa avolarit, ac deinde septem ipsos & triginta annos in eremo vixisti voce quoque de cœlo laudatus, quæ ad Ducem istic venantem de te ajebat: *Hoc in loco latet Dei thesaurus.* Fac me thesaurum Dei, charum Deo!

s. Gislene, cui Angelus apparuit, & monuit, *ne mundi procellosis fluctibus agiteris*, qui Romæ à s. Petro tibi conspecto, jussus es ad *Haina* amnem habitare, ibiq; sacello ss. Petri ac Pauli nomine æ-

dificato, animas lucrari: ita te vitam fine felici clausurum, & in cœlis cum Angelis gavisurum, impetra mihi cor obediens inspirationibus Dei.

B. Gosvvine Abba, qui cæco lumen restituisti; & cum per iter unicum, quem habebas: nummum pauperi dedisses, toto illo itinere nunquam id genus nummus tibi in sacculo defuit dandus pauperibus: cujus sanctimoniæ imitatio omnibus tuis Abbatibus successoribus commendatur, quibus dici solet dum creantur: Accipe baculum Gosvvini, & cujus suscipis officium, imiteris exemplum. Impetra mihi cor plenum charitatis.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *qua visa* s. Dionysius *scripsit*; *se, dum te videret, intus, ac foris, odore, splendoreque perfusum, defecisseque suum cor, & spiritum, tantæ majestatis gloria oppressum. O quid erit, in cœlo videre te! Dispone me illuc. Te sequestram, te salutis meæ præfectam constituo, & rogo!*

10. *Octobris.* 6. *Idus Octob.*

SAncte Gereon, gloriose Dux, unà cum trecentis decem & octo militibus Martyribus, viva hostia gladio cæsa. Ad vestrum sepulchrum accedens hodie S. Evergislus Ep. dum orare incepit: *Exultabunt Sancti in gloria*; responsum cœleste audiit: *Lætabuntur in cubilibus suis*; & sacro vestro pulvere aspersus, omnem capitis dolorem abstersit. Per gloriam, & lætitiam vestram, quâ exultatis in gloria, & lætamini in cubilibus quietis æternæ, vos obtestor, docete me hic præliari prælia Domini contra

hostes Dei: docere me vigilare æternum ad æternitatem nunc, ne malè obdormiam in morte; sed in cubili meo compunctus quotidie, in cubili meo ultimo, ita ultimò obdormiam in Domino, ut vobiscum exultem in gloria, & læter in cubilibus quietissimæ æternitatis. Amen.

S. Pinyte Episc. scriptis, & vitâ nobilissime.

sancti Victor, & socii, MM.

sancti Cassi, Florenti, & plurimi Martyres.

S. Eulampi, qui unà cum Eulampia tuo exemplo animatâ sorore virgine, in bullientis olei lebete illæsus, excisis pupillis, illâ è capillis suspensa, non potuisti à Christo avelli, postea in ardente fornace, velut in prato amœnè florido, inambulantes, trium puerorum canticum, *Benedicite*, cecinistis, unà cum ducentis aliis, exemplo vestro permotis Martyres facti.

S. Pauline Episc. Apostolice.

S. Cerboni Ep. in vita, & morte miraculis clare.

S. Pauline alter, Episcope.

S. Joannes, miraculis, & oratione maximè, colloquiorum divinorum avidissime; qui in specie aquilæ pulcherrimæ pansis alis rostro schedam, verbis illis, *Amor meus JEsus*, inscriptam tenens, visus es: qui ultimo vitæ triduo decumbens, sæpè ab Angelis visitatus, & exhilaratus es.

S. Theophile, qui ad vitam cælestem ab angelo invitatus his verbis; *Tolle Crucem, sequere me!* paruisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. Maria, *montis Serrati, cui hodie acta gratia, de sacerdote tibi devote, ab hostium irruentiū armis illæse;*

& domum suam repentè, ope tuâ, translato. Ne permittas me, in tantis æternæ vitæ periculis vulnerari!

11. Octobris. 5. Idus Octob.

BBate Jacobe Alemanne, è milite sancto; sanctissime S. Dominici fili; qui cælesti inter orandum lumine circumfusus, tentantem, ac flagellantem te dæmonem vicisti semper, & Angelum coram vidisti. *Serve Dei*, inquiebat ille, *esto fidelis usque ad mortem. Ingentia sunt, quæ tibi pro parvo labore atque certamine præmia proponuntur*; ad quæ ingentia præmia, prævisâ prius morte, corde per generalem vitæ totius confessionem mundato abiisti, viso hic in ecstasi floribus, & concentibus amœnissimo deliciarum paradiso fruiturus æternum! Fruere felix! gaudeo! Sed & pro me JESUM MARIAM Sanctosque omnes ardenter precare, ut sim fidelis usque ad mortem; ut me parvum hic pro ingenti æternitate sumere laborem nunquam pigeat; ut corde mundo, Deo *IESU MARIÆ*, Sanctisque omnibus charam hanc animam in paradisum æternitatis expirem. Amen.

Ss. Tharace, Probe, & Andronice, pleni tormentis diversissimis, ac truculentissimis, intacti à bestiis decollati; quorum corpora stellarum indicio sunt ostensa.

Ss. Nicasi Ep. Quirine, Scubicule, & Pientia V. Martyres.

Sancti Anastasi Presb. Placide. Genesi, & socii Martyres.

S. Sarmata, S. Antonii discipule Martyr.

S. Ger-

S. Germane Ep.

S. Firmine Ep.

S. Canice Abba.

S. Gummare, qui ſucciſam arborem orando in integrum reſtituiſti ſuo loco illæſam, ut hominis ob eam ſucciſam irati mentem componeres; qui baculo humi fixo aquam elicuiſti; qui uxorem tuam aſperam, eoque divinitùs morbo caſtigatam, perſanâſti.

S. Edilburgis V. quæ propè mortem viſa es ſole illuſtriùs collucere & aureis funiculis evehi in ſublime: ad cujus pedes in tumulo reperta eſt epiſtola divinitùs in hæc verba conſcripta: *Ethelburga regnas cum Chriſto*; & in eadem aureo charactere conſcriptâ epiſtolâ dicebaris ad cælum per ardua penetrâſſe

S. Æmiliane.

Sanctæ Zenaides & Philomilla, ſorores, S. Pauli conſanguineæ, ac diſcipulæ.

S. Placida V.

S. Bruno Archiep. Henrici Regis filii; eloquentiâ, pietate, fundationibus, orandi ſtudio ſanctiſſime; qui viſâ fratris tui Henrici, & Cunonis affinis nimiâ, etiam in templo familiaritate, & colloquiis, futurorum verè præſagus, & ſuſpirans. *O in quantam*, inquiebas, *inimicitiarum amaritudinem iſta in tremendo Miſſæ tempore malè parta contubernia reſolventur*.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, cujus imaginem hodie mortuus Ludovicus IV. *Imp. ex Italia in Bavariam ſuiſmet brachiis deportavit: fac me dignum tua gloriæ inſtrumentum, corde, ore, brachiis, totum, ubique ac ſemper, ut portem nomen tuum!*

S. MARIA, *cujus hoc die* Protectionis festum, *ab Ordine S. Basilii per Poloniam, Lithuaniam, celebratur: eò quod olim visa sis, cum sanctis Joanne Baptista & Evangelista, orare pro universo mundo; & pallio tuo tegere fidelem populum Ecclesiæ Christi tui. Sint, oro, sint singuli, at extremus potissimum vitæ meæ dies, festum* Protectionis *tuæ. Tege me nunc & tunc, pallio tuo, contra hostes animæ meæ. Pallium tuum est sol amoris Dei, quo amicta es; illo pallio me tege, ac involve securum!*

12. *Octobris.* 4. *Idus Octob.*

SAncte Walfride Episc. laboribus, itineribus, fidei & animarum zelo, falsis calumniis, crebris exiliis, innocentissimâ patientiâ gloriose; cui moribundo apparens candidus Michael Archangelus, vitam tibi, MARIÆ precibus, & Fratrum lacrymis prorogatam dixit: *Sed paratus esto*, ajebat, *quia post quadriennium revertens visitabo te.* Ita quadriennio toto te morti sanctæ parans visitatus tandem, ac eductus hinc es ad Cœlites. Intercede pro me, unà cum Beatissima Dei Matre, & Michaele Archangelo, apud JESUM, ut det mihi tempus, modum, voluntatem præparandi me morti sanctæ; ut ita mihi vitam hanc proroget, vel abrumpat, prout optimè scit mihi prodesse ad æternitatem Beatorum. Am.

Ss. Evagri, Prisciane, & socii Martyres.

s. Edisti M.

Sancta Domina V.

Sancti omnes Confessores Africani, & quater mille nongenti sexaginta sex Martyres; Felix, & Cy-

priane

priane Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aliique in horribilis eremi exilium trusi, in itinere hastilium cuspidibus impulsi, lapidibus percussi, ligatis pedibus per aspera loca raptati, lacerati, membratim discerpti.

s. Maximiliane Ep. qui tua omnia in pauperes dispersisti.

s. Mona, cœlesti lumine, ut in Episcopum eligereris, circumfuse, & per quinquaginta novem annos Episcope.

s. Salvine Ep.

s. Eustachi Presb.

s. Opili, quem inter orandum cum Angelis colloquentem vidit s. Gelasius, frater tuus, & vocem audivit; *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum*: qui facie radiante, ad lumen gloriæ discessisti.

OMNES SANCTI. &c. pag. 185.

S. MARIA, quæ s. Walfrido Ep. *vita quadriennium in petrasti; impetra mihi mortem talem, quæ longiore vitâ opus non habeat in hoc mundo. Dispone me ad mortem sanctam!*

13. Octobris, 3. Idus Octob.

SAncte Venanti Abba, qui auditis Angelorum, *Sanctus*, Deo in cœlis canentium vocibus, ad laudandum impigrè Deum accensus, aliosque accendens: *Væ*, ajebas, *nobis inertibus, & pigris!* qui è tumulo vocem: *Libera nos à malo*, audisti, preces à te pro animabus purgatorii postulantem. Accendat & me exemplo suo cœlestis curia universa; ne tepeam

pcam! accendent ignes purgatorii, ut ardenter orē pro animabus illis æternitatis beatissimæ candidatis. Me verò & tunc, & in agone mortis jacentem juvat, ut non iners, non piger, sed fervens, ac diligens, & strenuus moriar; ne mihi morienti veniat tepidorum morientium *Væ*. Denique, & viventem, & agoni vicinum, & jam post mortem in purgatorio ardentem *libera me à malo*. Amen.

s. Carpe, cui Jesus suam erga peccatores misericordiam, & Angelorum industriam, cœlo aperto ostendit, & zelum præfervidum dulcedine temperavit.

Ss. Fauste, Januari, & Martialis, equuleo cruciati, & deinde superciliis rasis, dentibus evulsis, auribus, naribusque præcisis, Martyres per ignem.

s. Florenti, post varia supplicia combuste, Martyr.

s. Colmanne, è stirpe regia, pro Christo peregrine, virgis, igne, forcipibus, ferra cruciate, suspense, multis à Deo prodigiis honorate.

Sancti septem Martyres Franciscani, læti flagella pro Christo perpessi, gladio cæsi.

s. Theophile Ep.

s. Chelidonia V.

s. Romane Episc. antequam nascereris prædicte ab Angelo, illiusque imperio sanctè educate: erga peccatores suavissimi cordis Pater, pauperum divitiæ, dæmonum victor, miraculis magne, super cujus celebrantis caput ignis, & benedicens tibi dextera apparuit, teque mortis, ac vicinæ jam æternitatis admonuit.

s. Geralde comes, qui tribus diebus in hebdoma-

da

da carnibus abstinebas, & singula, quæ agebas, jaculatoriis suspiriis accendebas; qui cujusdam è vita se migrare dicentis, & morientis vocem longissimè ab illo dissitus audivisti; qui septennio cæcus, miraculis ante atque post mortem clarus, cùm mortuus ad lavandum nudareris, pudicâ manu te semel, iterum, tertioque texisti; castam verecundiam post mortem quoque testatus. Impetra mihi cor pudicum, cor castissimis precibus in Deo semper fixum.

OMNES SANCTI, &c. pag. 185.

S. MARIA, Mater admirabilis, *cui hodie mortuus cliens tuus* Sodalitatem Colloquii *MARIANI instituit, è quâ eo ipso excidit, qui incidit in mortale peccatum etiam occultè. Serva cor meum tibi mundum: doce me loqui de te, & alloqui te!*

14. *Octobris. Prid. Id. Octob.*

SAncte Fortunate Episc. qui è fœmina ob unam carnis voluptatem obsessa, integram dæmonum legionem expulisti, cæcum sanasti, rabidum militis equum signo Crucis curasti: quicquid à Deo petiisti, impetrasti: qui cuidam ad preces tuas surdo ajebas: *Non audis Patrem tuum, noli me contristare, non expedit tibi*; & paulo post equi lapsu fractam illius coxam aqua lustrali aspersâ persanasti; Marcellinum, virum pium, &, ut ipse ajebat, *ad bonum locum deductum*, à mortuis excitasti. Audi filium, Pater! ne me contrista. Potuisti impetrare hîc omnia; in cœlo magis potes. Age ergo, ora, insta, impetra mihi, ut quicquid à me per inspirationes petit *Spiritus sanctus*, audiam Patrem meum, ne illum, *contri-*

stem

stem; *quia* verè *non expedit mibi*. Sit hoc solatio desolatæ alias in agone animæ meæ, obedivisse me inspirationibus Dei, non contristasse Spiritum sanctum: ut animam meam non contristet, sed ad se recipiat Deus totius consolationis, *Amen*.

S. Caliste Papa, qui fame longa afflictus, fustibus quotidie cæsus, è fenestra præcipitatus, & in puteum demersus es.

S. Fortunata, V. quæ post equuleum, ignes, bestias & alia tormenta, Deo spiritum reddidisti.

Ss. Carponi, Evariste, & Prisciane, sanctæ Fortunatæ fratres, gladio jugulati MM.

sancti Saturnine; & Lupe.

s. Gaudenti Episc. M. cujus corpus ubi esset, à s. Raphaele Archangelo cæcæ mulieri tunc persanatis oculis est ostensum.

s. Burcharde Episc. zelo, Sanctorum veneratione, revelationibus, morte miraculis gloriosa gloriose.

s. Donatiane Episc. qui Pontificali ornatu venerandus senex, post mortem ægris apparuisti, eosque sanasti.

s. Rustice Episc.

B. Dominice Loricate, cujus vita fuit parasceve Crucis; qui tuam virginitatem, & animam, contra corpus abstinentiâ, silentioque miro armasti; qui ferrea lorica semper indutus ad carnem, etiam in senectute, fervido spiritu, indefessus orationibus, ac virgarum flagellationibus crebris, & longis, circulis ferreis, carnis domitor, spiritûs excitator, exemplum fuisti omnium, qui carni suæ bene æternùm volunt, dum illam hic affligunt. Fac ut amore Dei oderim carnem meam.

S. Ber-

s. Bernarde Confessor.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus nomine* s. Callistus *Pontifex eo loco, ubi oleum in taberna scaturiit, trans Tyberim templum posuit. O converte me in templum tuum, templum quietis & pacis!*

15. *Octobris. Idibus Octob.*

SAncta Teresia V. quæ etiam parvula suspirabas, *in æternum! in æternum! in æternum!* cui & spinis coronatus, & Crucifixus JESUS, & cœlum omne ostensum est, ac dictum: *Vides, quantis se bonis spolient peccatores?* Quæ matris defunctæ loco *MARIAM* elegisti Matrem: quæ id, quod perfectius esset, facturam te vovisti: cui vulneratus JESUS, *Aspice*, ajebat, *Vulnera mea: non es absque me: pertransi brevitatem vitæ hujus*; cui pro felici ad æternitatem transitu, decem millia Martyrum se comites promisêre: cujus pura præcordia ignito jaculo transverberavit Seraphinus: quæ Dei æstu extincta, Deo animam sub columbæ specie reddidisti, & postea pretiosè rutilans apparuisti. Mater sancta, omnes tecum sanctos filios, filiasque tuas, & Josephum advoca. Impetra mihi tuum illud, *aut pati, aut mori!* impetra sic sic amare! Ora, ut eligam optima, ut eligar, inter electos futurus tecum, & cum JESU, MARIA, Joseph in æternum. Amen.

s. Fortunate, M.

s. Agilee, M.

Sancti treceenti Martyres.

s. Antioche Episc.

s. Bruno Episc. manibus pedibusque præcisis capite truncate M.

s. Severe Episc.

s. Aurelia V.

s. Thecla Abbatissa.

s. Hedvvigis, Princeps Poloniæ, prophetiæ, ac orationis sp ritu, & ecstasibus inclyta, cilicio, duro lecto, Sanctorum æmula, miserorum ancilla, & mater; miraculis etiam admirabilis, inter orandum elevata; quæ sanctimoniales te ægram sine Superiorũ permissu invisentes non admittens, dixisti: *Nihil sanctum esse, quod cum obedientiá majorum susceptum non esset*, quæ duabus monialibus visum, duobus mortuis vitam reddidisti: cui benedicens Crucifixus, *Exaudita est* dixit, *oratio tua, impetrabis ea, quæ petiisti*, Cur Sanctos jejuniis toties coleres? rogata, respondisti: *Sunt nobis necessarii, ut nobis subveniant, & in morte assistant*; quæ ante mortem, à sanctis *Magdalena*, Catharina, Tecla, Ursula. & aliis visitata, illam, qua mira patràras, *MARIÆ* imaginem moriens, & sepulta, retinuisti, miraculum sanctitatis!

s. Osvvalde Episc. contra dæmones vi singulari, & benignitate in pauperes laudatissime: cui anima à te è purgatorio liberata adfuit, gratias tibi agens, nuntiavitque, quam Deo ob illud & alia beneficia debeas esse gratus: qui pane à te benedicto febres à quodam dispulisti: cui prædestinatorum gloriam promisit Deus: ad quam te disponens, lotis pauperum pedibus, dum Psalmis, qui canebantur, *Gloria Patri* subjungeres, ibi coram illis expirasti: cujus corpus cum Litaniis circa Vigorniensem Urbem

pié

piè portatum, horrendam pestem repentè compescuit. Compesce omnem animæ meæ pestem: fac, ut sim gratus, & benè utar beneficiis Dei mei.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quæ* S. Teresiæ *tua collo monile pretiosum appendisti, &, ut* S. *Josephum tuum flagrantissimè coleret, monuisti. Fac, ut ita te cum Iosepho Sponso tuo colam, prout coluit* S. Teresia; *& illa experiar, quæ illi experti sunt, qui vos verè colunt, & solidè.*

S. MARIA, prope Sortinum, quæ tuos ibi à fluminis inundatione mirè servâsti. Serva me, Domina, nunc, & in hora mortis meæ; ne me demergat tempestas aquæ, ne obruat me profundum!

16. *Octobris.* 17. *Kal. Nov.*

SAncte Galle, vir miraculorum! à quo se undique ex hominibus, & locis diversis pelli lamentati sunt dæmones, qui serpentes fugasti, & feras alias, sed & carnem triduanis jejuniis, ciliciis, cruentis catenis æris domuisti; cujus etiam ad miracula potēs oratio clavis aurea fuit ad thesauros Dei; cui s. Columbani magistri tui, mors; & in paradiso gloria revelata est; cujus vitam, & mortem, & sepulchrum cœlesti perfusum luce, miraculis gloriosum reddidit Deus! Doce me domare carnem meam, & elevare ad cœlum; ne illa indomita detrahat blandientem & conniventem sibi animam in infernum. Pelle à me & ipsos dæmones, & homines, qui dæmonis funguntur officio, dum me in infernum trahunt colloquiis vel exemplis. *Eripiat* meritis & pre-

precibus tuis *animam meam de morte, & pedes meos á lapsu* Jesus; *ut placeam coram Deo in lumine viventium* sociorum bonorum, non verò malorum in tenebris morientium, in æternum, Amen.

s. Michael Archangele, qui hodie super montem Tumba apparuisti, & periclitantes in mari liberâsti.

Sancti ducenti septuaginta Martyres Africani. ¶

Sancti Martiniane, & Saturiane, unà cum duobus fratribus vestris, nodosis fustibus ad ossa usque laniati, & divinitus curati semper, & conversus in exilio plurimis, v nctis pedibus à currentibus quadrigis per spinosa loca raptati.

S. *Maxima*, superatis durissimis agonibus, multarum postea Virginum sacrarum magistra.

Ss. Saturnine, Nerce, & alii trecenti sexaginta quinque MM.

S. Eliph. M. qui simulacris confractis, ante mortem pro interfectoribus, & pro temetipso pulcherrimè orâsti, & resectum gladio caput tuum utrâque manu ad montem usque, ibi sepeliendus, deportasti.

s. Berchari, cujus ad nutum obedientiam miraculo laudavit, & visionibus erudivit, mortem verò, ac sepulchrum salutari morbis oleo inde manante, magnificavit Deus.

s. Ambrosi Episcope.

s. Lulle Episc. Apostolice, post mortem incorrupte.

s. Florentine Ep.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 185.

S. MARIA, Regina Virginum. cui Insulensis Magistratus templum pro Societate Jesu *erexit, hodie sub Immaculata tua Conceptionis titulo dedicatum. O Regina, pelle quicquid tibi adversatur in corde meo. Fiat cor meum immaculatum per te!*

17. *Octobris.* 16. *Kal. Novemb.*

SAncte *Andrea* M. qui corde ad Deum aspirante ajebas. *Domine serva! Domine dirige!* & in pericula media irruisti mortem quærens; sacras imagines doctè & sanctè propugnasti; deinde flagellatus, ac boum nervis sæpiùs cæsus, gratias Deo agens, ligatis pedibus raptatus, pede altero amputato cœlum ingressus es; factus postea dæmoniacis, & infirmis refugium sanctum. Ora & pro me, & dic Domino pro me, & vivente & moriente; *Domine serva! Domine, dirige!* Sciam colere in imaginibus Deum, & amicos Dei! *Adsint* mihi morienti Sancti omnes, quorum unquam vel imagines, vel reliquias honoravi! Servent me, dirigant me in viam æternæ pacis! ne ligatis pedibus *projiciar* in tenebras, Amen.

s. Heron, s. Ignatii M. discipule, qui pro grege tuo felicem animam posuisti.

ss. Victor, *Alexander*, & Mariane Martyres.

s. Mamelta M. Angelo monente conversa, lapidata pro Christo, & in lacum demersa.

s. Florentine Episc. virtutibus multis clare.

s. Victor Episc. eruditissime, atque sanctissime.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, quæ Cordubensi tuo clienti hoc die in agone unà cum S. Vrsula, adfuisti admirabilis consolatrix: Adsis & mihi unà cum S. Vrsula, & Virgineo illo exercitu; ut moriar dulcissimæ ac solidissimæ spei plenus!

18. *Octobris.* 15. *Kal. Novemb.*

SAncte Luca medice, Evangelista Mariane; Jesu, & Mariæ pictor; cujus Marianæ imagines, quasi cœlesti manu adumbratæ, miraculis illustres, tot, ac tanta in sanctis cordibus faciunt incendia, & fecerunt. Per omnia ad illas imagines à Deo per Mariam impetrata fluenta gratiarum, impetra mihi à Jesu, & Maria felicem illam coronidem omnium gratiarum, felicem mortem; ut illos non jam pictos à te, sed de facie ad faciem videam in templo sancto gloriæ in æternum lætus. Amen.

s. Asclepiades Ep. Martyr.

s. Juste, novennis parvule, prophetiæ, ac eleemosinæ spiritu plene; qui præcisum Christi causa tuum caput ipse elevans, & per Patrem, ac fratrem matri mittens, ajebas: *ut amoris erga se mei hoc pignus habent. Quod si mei tenetur desiderio, studeat sequi me in paradiso jam degentem, ubi animæ Sanctorum feliciter quiescunt.*

s. Athenodore Ep. M. s. Gregorii Thaumaturgi frater.

s. Juliane Eremita.

s. Tryphonia, quondam Decii Cæsariis uxor.

s. Monon, Angelis familiaris, à sicariis occise.

B. Pe-

B. Petre de Alcantara, divini amoris, ac orandi atque corporis affligendi magister & artifex: qui sexdecim annos natus, ad religiosum s. Francisci tyrocinium per calcatum sicco pede fluvium appulisti, sanctitatis candidatus; qui angusto sepulchro potius quàm cubiculo, veste unica, unica intra triduum refectione mirabilis, inediam in octavum usque diem aliquando extendisti, non nisi pane, aquâ, herbis, & his etiam cinere aspersis, vesci solitus; idque ita, ut levares tantùm famem ac sitim, nunquã extingueres: cum aliàs quoque corpus aridum flagris, ad sanguinem usque, inclementer inflictis, & aspero perpetuoque cilicio macerares, vix duarum horarum somno illi concesso: quem etiam nonnisi sedens, vel stans, aut nixus genibus admisisti; quasi tunc quoque corde vigili adorans Deum. Cujus oculos ita claudebat divinus amor velut clave modestiæ; ut eos non nisi inevitabilis necessitas aperiret, adeò ut non fœminas tantùm, sed ne illos quidem, quibuscum vivebas, aut Novitios, aut Religiosos ferè nôsses aliter, quàm de voce. Qui attento semper animo à præsentis tibi Dei vultu pendens, pernoctabas in oratione Dei; sæpe in altum, cùm in divino sacrificio, tum aliàs orans, etiam corpore elevatus, Qui divinum Officium coram cruce sæpius expansis in crucẽ manibus recitabas; qui aliàs quoque in horto coram cruce expansis brachiis preces fundens, corpore sublimis in aere conspectus es caput tuum tegente nube lucidâ, & illustri radio è tuis oculis emicante in Crucem. Cui divinum sacrificium celebranti, sancti, Franciscus & Antonius adstare conspecti sunt à s. Teresia: quæ etiam vidit

Chri-

Christum tibi cibos ac potum ministrantem, & præbentem aquam ac linteum, ad manus lavandas atque tergendas, qui pretiosam animam, præsente Christo, Deiparâ, s. Joanne Apostolo, ac aliis, reddidisti hodie, anno 1562. cubiculum verò tuum cœlesti splendore perfusum est, cùm autem corpus portaretur ad tumulum, cessavit pluvia; & nullus è cereis, sæviente licet vento, extinctus est, corpus verò tuum, post annos quadraginta, integrum & fragrans repertum est. Beatissime Petre, ô Martyr amoris Dei, impetra mihi spiritum veri amoris Dei, qui corpus meum mortificatione assidua, & animam oratione perpetuâ Deo sacrificet.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185

S. *MARIA, quæ* B. Petro *tuo, hoc die, in agone, unà cum* s. *Joanne Evangelista, apparuisti, & eum de felici æternitate adeundâ certiorem reddidisti. Juva me nunc, unà cum Joanne, & tunc, modo summo & optimo, quo potes; & fac, ut id à te conor omnibus obsequiis impetrare!*

19. *Octobris*, 14. *Kal. Novemb.*

SAncte Vare miles, loris cæse. tuorum precibus divinitùs firmate, ungulis discerpte; qui disciсso novaculis ventre, effusis visceribus, fortissimè obiisti; cui extructo templo magnifico, & amisso postea filio, amarissimè conquesta matrona, devota tibi; te coronatum, & pulcherrimè splendentem, ac cœlesti coronâ in dulci tuo sinu radiantem filium suum non semel vidit; & intellexit, hanc mortem fuisse illud optimum, quod illa à Deo per te

pro

pro ſuo filio poſtulârat. Miſerere & mei; ac unum illud optimum mihi quoque impetra: cumque me videris jam cum morte luctantem, amplectere, & in tuum ſinum, velut in ſacrum aſylum, me accipe. Amen.

s. Ptolemæe, ob converſum ab impudicitia ad Chriſtum Ethnicam, & prædicatum Chriſti magiſterium, ſqualore carceris macerate, & unà cum Lucio, ac alio tertio morte mulctate *M.*

Ss. Beronice, Pelagia V. & alii quadraginta novem MM.

Sancti ſeptem monachi, à s. Varo in carcere viſitati, & ſæviſſima paſſi.

s. Aquiline Ep. pudiciſſime, qui corpus fame, ſiti, vigiliis, lecto duro, lectione, oratione, lacrymis atterens, vigilantiſſimus ſenſuum cuſtos, à Deo cæcitatem corporis impetraſti.

s. Verane Ep.

s. Euſteri Ep.

s. Ethbine, qui dum Chriſtum ſub ſpecie pauperis ignotum elevas, aperto cœlo obvios Chriſto Angelos, & abeuntem è tuis manibus Chriſtum, una cum tuo ſocio vides, audiſque dicentem: *Non vos puduit mei in anguſtiis meis; nec me veſtri pudebit in regno meo. Hereditas veſtra apud me eſt, & iis, pro quibus petieritis, ſalus in regno meo.*

s. Fredelvvinda Virgo.

s. Amabilis Presb. cui Sanctorum reliquias per Angelum mittens pro itineris tui ſolatio, Jesus, prædeſtinatum eſſe te tibi nuntiavit. *Noveris,* inquit, *te in cœlis Angelorum conſortem fore*; cujus vita martyrium ſanctũ fuit in jejuniis, & corporis

doloribus; qui cilicio cinerique immoriens, ad te venientes cives cœlestis civitatis aspexisti, & Christi munitus viatico cum illis abiisti!

B. Ludovice Bertrande, qui duobus panibus quadraginta homines refecisti; pudicitia & orandi arte inclyte, ac illustris. Doce artem illam cor meum.

s. Desideri, cui paucis ante obitum diebus s. Joannes Baptista cum s. Paulo apparuit, & splendidam cœlestibus gemmis coronam tibi ostendens, te ad æternitatis gaudia invitavit. Invita, & præpara me illi gloriæ cum Sanctis, à quibus ad illam es invitatus.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

s. MARIA, *cujus Cantico* Magnificat *novies recitato, amissam magni momenti rem Prorex invenit, quam artem illum docuit* B. Ludovicus Bertrandus, *Effice; ne me perdam. Quære servum tuum. Doce animam meam, ut magnificet Dominum in æternum!*

20. *Octobris*, 13. *Kal Nov.*

SAncta Fides, Virgo tenera, quæ priùs quàm pro Christo capite plecteteris, super candentem craticulam lento igne assata es. Offer Deo JESU pro ultimo lectulo meo aliquid de meritis igneæ craticulæ tuæ. Roga cœlestem illam columbam tuam, quæ ignes tuos cœlesti rore rorulentis alis aspersit, ac te coronâ cœlestis pretii coronavit, ut mihi morienti rorem æternæ suæ benedictionis infundat, meumque caput illi æternitatis coronæ paret. Amen.

s. Ma-

s. Maxime, qui martyrium quærens, tentanti te tyranno ajebas: *Animam meam lucrabor. Me ipsum offero sacrificium Deo meo vivo & vero. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum!* & post equuleum ac fustes, è sublimi loco præceps dejectus, devota Deo altissimo victima cecidisti.

s. Artemi, Dux Augustalis, qui post magnos militiæ honores, post atrocissimos pro Christo cruciatus, promissa tibi à Christo æternitate, ab eodem statim sanatus; antequam gladio percutereris, orans hæc è cœlo, hisque plura audisti: *Audivit Dominus tuas preces; ô Artemi; festina consummare cursum; accipe bravium paratum Sanctis omnibus.*

s. Caprasi, & omnes Sancti, Sanctæ fidei exemplo, ad martyrium animati Mm.

Sanctæ Martha & Saula, Virgines, & sociæ Martyres.

s. Feliciane Episc. Martyr.

s. Irene V. M. cujus corpus in profluentem abjectum, reconditum est in sepulchro ab Angelis præparato, cujus natali die quotannis Tagi fluminis aquæ in modum fornicis olim assurgebant in arcum, & iter præbebant populis, ad sepulchrum tuum sicco pede visendum. Fac, ut ita Deum amem & colam, ut corpori meo locum parent Angeli lucis, non Angeli tenebrarum.

Sancti Georgi & Aurelia Mm.

s. Sindulphe Conf.

Omnes Sancti, &c. *pag. 185.*

S. *MARIA*, *per cujus nomen rogatus hodiernus* Alexander ab Ales, *religioso Ordini se addixit; ne aliquid negaret, quod tuo nomine petebatur. Fac, ut*

nihil negem, quod tibi gratum esse intellexero. Fac me obedientem inspirationibus divinis!

21. *Octobris.* 12. *Kal. Nov.*

SAncta Ursula, Regia Virgo *Martyr*, quæ dum datas tibi miro divinæ providentiæ ductu socias tuas *in divini amoris observantiâ*, *piis exhortationibus erudires*, illæ *corda cum manibus in cœlum levantes* te audiebant. Erudi & cor meum, & doce opere quoque hoc agere, quod monet amor Dei. Quæ monitu Angeli, tibi futura ex vero prædicentis, Romam peregrina, inde Coloniam redux, ab Hunnis ethnicis illam obsidione prementibus, cum admirabili undecim millium *Martyrum* sodalium tuarum exercitu, Christi causa interempta, unâ sagittâ in brachio, alterâ in corde saucia cecidisti; visis adesse triumpho tuo Seraphinis, Cherubinis, & s. Joanne, qui animam tuam Deo, & *Matri* Virgini offerebat. Impetra cordi meo sagittam divini amoris, cor tuum, & totum brachium possidentem. Cujus sepulchrum, & corpus s. Cunibertus Episcopus, divinitùs monitus, indicio columbæ invenit. Quæ tempore prælii, ad Nancæum, visa es cum candidato Virginum tuarum sodalium choro, per dilectæ illius Urbis tuæ murorum ambitum constitisse. Cujus, ac sociarum ope, constat felicem rerum difficillimarum exitum à Deo impetratum. Cujus nonnullæ sociæ alibi sepultæ, queri auditæ de tepore illorum, apud quos erant conditæ, ad te Coloniam, desertis illis tepidis, redire sunt visæ. Cujus sanguis apud Amalphitanos conspectus est non se-

semel, hoc tuo die aniversario, ebullire. Fuga à corde meo teporem noxium: ne merear deseri, fac, ut bulliat cor meum calore ignis amoris Dei. Tuo nomine templum erexit Clematius, *divinis, & flammeis visionibus frequenter admonitus.* Admone cor meum *flammeis* monitis, ut expergiscar, & ardeam. Quæ cum glorioso tuo agmine s. Elisabethæ Schonaugiensi, ac deinde pluribus clientibus tuis, quotidiano penso tibi persanctè persoluto constanter addictis, animam agentibus, pulcherrimo spectaculo, dulci solatio, & præsentissimo auxilio adfuisti; compluribus, ut è purgatorio citiùs expiati liberarentur, adjutis; earum unâ animâ etiam ad corpus tantisper postea reversâ, & iterum hinc se migraturam dicente; ac eos, qui aderant, monente, se suæ erga te in vita pietatis pretium hoc tulisse, ut è pœnis purgatorii ope tuâ citiùs evolaret. Unde omnes pro sancto felicis mortis, & purgatorii compendio, ad te ac socias tuas dignè colendas enixé cohortata migravit. Fac, ut ita te, ac socias tuas dignis colam obsequiis, ut sic optimè consulam agoni, & purgatorio meo. Quæ, unà cum s. Catharina V. M. cuidam, pro nobili ægra oranti, ac ipsi etiam ægra conspecta, dixisti; eam *à Deo S. Ignatii Societatis* Jesu *parentis, precibus, mox valetudini restituendam*, id quod factum. E cujus comitatu duæ Virgines cuidam à dæmone tentatæ, illi s. Ignatii imaginem reddidêre, quam ill:, dæmone id agente, amiserat; & dixêre: *Ecce tibi sublatam iconem: sed cave, ne quando te otio torpentem & non occupatam reperiat hominum hostis.* Quæ oranti, & deinde sopito clienti tuo conspecta es cum nobili supplica-

tione sanctarũ tuarum Virginum, è rubris rosis serta gestantium; ac illum rosâ donatum odore mirabili recreasti, & ad religiosam vitam ineundam pertraxisti. In cujus templo alius quoq; religiosæ vitæ amplectendæ studio incensus est, auditâ istic musicâ cœlestium musicorum. Quæ dæmonis sanctæ animæ specie, plures decipientis insidias, tuis conspecta detexisti, & profligasti, tuos clientes pro felici morte Deum, Deiparam, Sanctos orare docuisti; ex eorum domibus pestem, ac morbos alios depulisti: in cujus *aurea camera*, seu sanctuario, Coloniæ orantes plures, divina instigatione, ad excelsam virtutem igneo quodam desiderio sunt accensi. S. Ursula, fac me dignum, quem & viventem ita incendas, & morientem: ut sim dignus catalogo à te adjutorum in pretiosa morte, quam tot tuis feliciter procurasti. Experiár id ego, ô fidelis tuorum patrona Virgo, vosque advocatæ meæ omnes, & numero, & virtute, & voluntate, ad juvandum agonem meum, fortissimæ! Vallate me morientem, protegite; & cum tot, tantæque coram Deo sponso sitis, unam singulæ pro me sanguinis vestri guttam offerte; ne me perire permittite; sed facta quasi contra hostes meos manu, me in illa, in qua estis, æternitate collocate. Amen.

s. Hilarion, qui miraculis, virtutibusque inclytus, omnem è decimo quinto anno ætatem æternitati sanctæ consecrasti; & tamen in agone horrore æternitatis percussus, *Egredere*, ajebas, *quid times: Egredere, anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis servivisti Christo, & mortem times?*

s. Asteri Presb. Martyr.

ss. Dasi, Zoetice, Cai, & alii duodecim millites, post diversa tormenta in mare demersi.

s. Malche, mirabilem divinæ providentiæ benignitatem in variis, & perplexis casibus experte.

s. Viator, sancti Justi Episcopi minister sancte.

s. Cilinia, s. Remigii Ep. mater.

s. Wolfe, abstinentia, zelo, & oratione conspicue, cujus sacra ossa, nec ab imbre, nec ab igne, Deo illa custodiente, tacta sunt.

s. Berholde, qui è sutore sanctus asceta, à s. *Alexandro* Papa per quietem Sanctorum reliquias jussus invisere, cœco pauperi panem simul dedisti, & oculos reddidisti; cujus mortem splendor in cubiculo, & campanæ sponte sonantes illustrârunt.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quæ totam* s. Ursulæ *historiam Beato tuo Hermanno narrasti: cujus* instinctu & exhortatione *historia illa Virginum conscripta: qua* fida & fidelis *earundem ductrix fuisti ac gubernatrix; & Virginibus omnibus hæc audituris nuntiasti, ut illas in castitate ac sanctitate immitentur. Fac me ita legere, ut etiam imiter acta sanctorum. Quæ pudicissimam clientem tuam se tibi, ac* s. Ursulæ, *contra magicas impudici adolescentis artes, committentem, timore omni repentè absterso tranquillasti; audito etiam ab eâ, licèt non conspecto, magno quopiam agmine, per orantis conclave transeunte: cùm & conclave admirabili odoris fragrantia, & ipsam incredibili victoria tunc parta dulcedine implevisses. Doce me vincere, Domina: trahe me! ut curram in odorem tuum victor!*

S. MARIA, *quæ ab iis, qui Coloniam obsidione premebant, conspecta es velut Imperatrix prima* s. Ursulam *& sodalium ejus, ac sanctorum militum, Coloniensis Urbis custodum, exercitum cum face ardente, præcedere; ac in longâ illa* s. Ursulæ, *sociarum, & militum supplicatione, singulis singulas faces accensas dare: quo admirabili spectaculo arcta illa obsidio est soluta. Accende, ac porrige mihi quoque accensam facem amoris Dei nunc, & potissimùm in extremo discrimine, in supremo articulo mortis meæ: ut moriar morte illorum, qui ardentes veri erga Deum ac te, amoris faces, & corde, & manibus, id est, operibus gestaverunt usque in finem!*

22. *Octobris. 11. Kal. Nov.*

SAncta Cordula V. quæ cum occulta lateres noctu, candidati s. Ursulæ ac sociarum tuarum cæsarum agminis aspectu è cœlo incitata, postridie ultrò te pro Christo ad mortem obtulisti, & Virgo Martyr victima cecidisti, postea fragrante odore admirabili, & quatuor facibus divinitus in quondã loco ardere conspectis, corpus tuum repertum est. Tu verò non semel variis apparuisti; phreneticos persanasti; obsessos à dæmone liberasti; cæcis oculorum lumen, ægris pluribus, moribundis, valetudinem integram, cuidam etiam formæ venustatẽ, reddidisti, Accende in me igniculos gloriæ Dei, & amoris: ut tuo & Cœlitum omnium exemplo accensus ardeam, veterno excusso, amor timorem omnem, torporemque meum foras mittat, & me undequaque possideat, Amen.

B. Joan-

B. Joannes Bone, qui adactis sub digitos arundinum frustis, dolore prope exanimis, triduum jacuisti, & recreatus è cœlo, carnem rebellem spiritui, unà hac victoria adeò domuisti, ut nunquam amplius impuro igne caluerit. Ora pro me Crucifixum, qui te ad dulcissima suorum Vulnerum oscula sæpiùs invitavit, ut me bene amare, bene odisse, bene desiderare, bene aversari, bene prosequi, bene fugere doceat illa, quæ ille amat, vel odit. Mediter, & exosculer illum vulneratum, & morientem pro me, ut ille morienti mihi è suis Vulneribus, & morte propinet vitam, in qua nemo est nisi bonus.

s. Marce, clarissime atque doctissime Episc. Martyr.

Ss. Philippe Ep. Severe, Eusebi, & Hermes, post flagella incendio cremati.

Ss. Alexander Episc. Heracli miles, & socii Martyres.

s. Philippe Episc. Martyr.

s. Alodia V. quæ cum capite plexæ sororis tuæ Nunilonis Virginis animam cœlos penetrantem videres, dixisti: *Præstolare me parumper soror*; & flexo genu cervicem sanctam gladio præbuisti.*

s. Alberci Ep. magnanimitate, miraculis, oratione, zelo Dei, dictis, & scriptis, eleemosyna conspicue.

s. Melani Ep.

s. Donate Ep.

s. Moderamne Ep. qui amissas Sanctorum reliquias, ad te ultro ex alto adventantes, in templo post Missæ sacrificium accepisti.

s. Verecunde Ep.

s. Maria Salome,

OMNES SANCTI, &c. pag. 185.

S. MARIA hodie festo culta in Agathryso promontorio, ob allatam cœlitus hoc die illuc à S. Canone tuam imaginem, pluribus ægris persanatis ubique beneficam, quæ cùm à loco, quem delegeras, ad alium translata fuisset, per totos octo dies durans horridus terræ motus non priùs cessavit, quàm eò ubi coli volebas, reportaretur. Fac, ut eo modo, & loco te colam, qui omnium maximè tibi placet!

S. MARIA, quæ hoc die in Cælitum album relatam tuam sanctam Catharinam Senensem *felix magistra docuisti; lacte tuo recreasti, bonos panes ut è farina fœtida pinseret, adjuvisti, Christo annulo desponsasti: illamq; amantes amat. Doce me illam in te amanda, colenda optimè imitari!*

23. *Octobris.* 10. *Kal. Novemb.*

SAncte Severine Boëti, Poëta, Philosophe, Consul in capitolio æternitatis, qui resectum sacrum tuum caput ipsemet usque ad templum delatum, aræ imposuisti, & à quo percussus esses? interrogatus, *ab impiis*, respondisti; ibique Martyr expirasti. Ora quæso, unà cum dilecto amico tuo Symmacho, ut ingratum hoc tantis Dei beneficiis meum caput æternis illius aris æternæ gloriæ sit seriò semperque devotum; ut ita caput hoc Deo, devotionique solidæ devoveam, ut non sim infelix ignis æterni victima, sed holocaustum ignis mei Dei. Amen.

Ss. Servande, & Germane, verberibus, fame, siti, longo

longo & carcere, & itinere macerati, ſcæſis cervicibus Martyres.

s. Theodore Presb. equuleo, aliiſque multis, ac diris cruciatibus exercite, lampadibus inflammate, occiſione gladii Martyr.

s. Ignati Ep. ob veritatem Cæſari uxorem repudianti dictam, injuriis multis affecte, demum exul.

s. Severine Episc. qui abſens s. Martini obitum divinitus cognoviſti, & pſallentium Angelorum concentus audiviſti.

s. Romane Ep.

s. Vere Ep.

s. Domiti Presb.

s. Benedicte.

s. Oda Vidua, quæ, in ultima licet neceſſitate poſita, tamen Chriſtum benignè in paupere recepiſti; & ſtipem illam æterna mercede coronandam audiſti.

s. Macari, poſt vitam diu auſteram, & miracula, & obedientes tibi feras, à dæmone fœminam induto turpiter cogitatione impura decepte; à Raphaële tamen Angelo edocte, longis lacrymis, atque jejuniis pœnitens, luce antro infuſa, à gaudentibus Angelis, & Chriſto ipſo viſitate, omnium, qui ſtant, ut in timore, & tremore operentur ſalutem ſuam, & videant ne cadant, exemplum ingens.

Beate Joannes Capiſtrane, eruditione & vitæ ſanitate clariſſime; qui innumeros Gentiles, Judæos, hæreticos, atque ſchiſmaticos ad fidem Catholicam reduxiſti, & maximis pro Dei Eccleſia perfunctus laboribus, hodie in Domino

quievisti. miraculis in vita & post mortem celeberrime.

OMNES SANCTI, &c. pag. 185.

S. MARIA, *de qua concionantis* B. Joannis Capistrani *caput stella illustravit: illumina me de te loquentem, scribentem, legentem, audientem, cogitantem, ac immortaliter tibi accende!*

24. *Octobris.* 9. *Kal. Nov.*

BEate Joannes Angele, fidelis, & prudens MARIÆ serve, inter precandum non corde tantùm, sed toto etiam corpore sursum elevate; cui ægro in venæ sectione Angeli lumen, & omnia ministrarunt, ipsi sanguinem exceperunt, aliàs etiam familiares tibi, è cujus corpore migrans anima vix carnis aliquid, sed ossa ferè tantùm, pellemq; reliquit, campanis mortem tuam sanctam sponte sua, nullo mortalium trahente, sonantibus: O sim servus MARIÆ! Ora, ut orem bene, MARIAM & Angelos colam bene, carnem spiritui subigam bene, deniq; moriar bene, & Angelos in sanitate, in morbo, in morte, post mortem, unà tecum habeam conservos in eadem Dei aula æternùm. Amen.

S. Felix Ep. qui fame, siti, aliisque ærumnis afflictus, & jam gladio cædendus, conversa tunc in sanguinem etiam luna, elevatis in cœlum oculis devotissimè ajebas: *Deus gratias tibi! quinquaginta, & sex annos habeo in hoc sæculo: virginitatem custodivi, Evangelia servavi, fidem & veritatem prædicavi. Domine Deus cœli & terræ,* JESU *Christe, tibi cervicem meam ad victimam flecto, qui permanes in æternum!*

Ss. Au-

Ss. Audacte, Januari, Fortunate, Septime; *Martyres* decollati.

Sancte senex *Areta*, cum trecentis quadraginta sociis, M.

Sancta duodecim annorum parvula, quæ in tyranni faciem generosè spuisti, unà cum sorore postea interfecta. Sancta mater, quæ harum tuarum filiarum innocentem sanguinem lambens, illic occisa pro Christo, illis immortua es.

S. Matrona Christiana, cujus quinquennis filiolus Christum balbutiens, nec minis, nec blanditiis detineri potuit, sed ad te pro Christo in igne ardentem convolans, tecum se Deo immolavit.

S. Evergisle Ep. Martyr, qui teneram ætatem tuam lectioni, orationi, ac jejuniis assuefecisti, & illam Angelorum, quà s. Martinus post mortem ad cœlum deducebatur, melodiam audivisti.

s. Procle Episc.

s. Martine Abba.

s. Maglori Ep. Virgo. qui somno brevissimo, frequentibus jejuniis carnem affligens, quartâ & sextâ feriâ nil edebas; qui sæpè ab Angelis visitatus, ab eorum uno audisti: *Sancte Maglori, age quod agis; operare quod operaris: nec dubites nomen tuum scriptum in libro cœlestis militiæ.*

S. Marce admirabilis, & catenis tuis, patientià, oratione, ac infinitis propè reportatis de dæmone victoriis inclyte Eremita.

S. Gerarde Episcope M. Ungariæ Apostole Mariane.

S. Enoch Abba, qui eleëmosynis captivos redemisti; ac abstinentia, & oratione potens, cæcos,

con-

contractos, a serpentibus infectos, curâsti.

OMNES SANTI &c. pag. 185

S. MARIA, *cujus nominis ancilla, sub Sancto Gerardo, tuâ Hungaria, tua aula, tua familia nomen obtinuit. Fac me talem, quales tibi in ulla aula & familia tua quàm maximè placuerunt!*

25. *Octobris*. 8. *Kal. Nov.*

SAncte Chrysanthe, qui ad paucula Evangelii verba lecta, manus Christo dedisti, & superatis paternis deliciis, inter tormenta effusâ è cœlo luce recreatus es. sancta Daria, sancti Chrysanthi Virginis Virgo conjux, in prostibulo à leone defensa, & unà cum s. Chrisantho viva terra, & lapidibus obruta, & sepulta, Aperite mihi castissimis vestris precibus oculos, & cor ad illa legenda, quæ me; legere, & agere vult Deus. Impetrate mihi è cœlo lucem sanctam, cor mundum; ut *emissa* è cœlo *lux ipsa me* morientem *deducat, & adducat in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua*, ô Deus Amen.

sancti quadraginta sex milites decollati, Martyres.

sancti Theodosi, Luci, *Marce*, Petre, & alii centum septemdecim Martyres.

sancti Crispine & Crispiane, Romani nobiles; qui artem sutrinam, utpote contemplationi, & sacris de Christo colloquiis aptam dedicistis, ut occasione illâ plures per colloquia traheretis ad Christum; & posteà fustibus cæsi, à defixis inter digitorum, ungues, & carnem acutis sudibus à molari lapide, cum quo in flumen injecti estis, à liquato plumbo

plumbo illæsi, liberati, ab Angelo ex igne extracti, capite cæsi, miraculis coruscâstis.

S. Minias miles, in quem immissus pardus, & deinde leo expiravit: cui in igne Angelus, *Visitavit*, inquit, *te Dominus mittens me ad te, ut possis in tormentis non deficere; & ipse te hodie induet coronâ justitiæ*: & cùm ex equuleo depositus, verubus præacutis sub ungues infixis cruciareris, Angelum semper consolantem habuisti; denique infuso in aures plumbo, capite truncatus es.

Ss. Prote & Januarii, Mm.

Sancti Martyri & Marciane, gladio cæsi, Martyres.

S. Bonifaci Papa.

S. Fronto Episc.

S. Gaudenti Episc.

S. Hilari Episc.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S, *MARIA, cujus cultu, ac apud Indos Apostolatu, & Corona, ad preces ac miracula patranda mirabili (quæ nunc Coloniæ piè colitur) gloriosus Sanctus tuus* Franciscus Xaverius *anno* 1619. *hoc die in Beatorum catalogum est relatus, Fac me Nominis tui servum!*

26. *Octobris.* 7. *Kal. Nov.*

SAncte Demetri miles, proconsul Græciæ, in carcere ab Angelo coronate; qui S. Nestorem adolescentulum, contra Lyæum superbum tot victoriis gigantem Cruce armâsti, & victorem vidisti, an tandem Nestor cæsus gladio, tu lanceis confossus es.

Arma

Arma & me oratione, & Cruce tuâ in agone pro cælesti æternitate pugnantem, ut me ex hoc carcere in libertatem suorum eductum coronet is, qui & victorias nobis, & coronas dat, & sua in nobis beneficia æternitate coronat Deus omnium coronarum. Amen.

S. Evariste Papa M.

S. Rustice Ep.

Sancte Rogatiane, gloriose senex, & Felicissime, Martyres.

Ss. Luciane, Flori, & socii MM.

S. Quodvultdee Ep. qui unà cum Clero ab hæreticis in naves fractas, absque remigiis, & velis impositus, Neapolim appulisti, ibi exul.

S. Gaudiose Episc.

S. Fulce, è pauperrimo studioso Episcope; qui tuæ mensæ quinque pauperes studiosos unà cum suo magistro quotidie adhibuisti, & septem nobiles pauperes aluisti.

S. Quadragesime Subdiacone, qui mortuum suscitâsti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus septem dolorum Sodalitas hodie approbata est, & confirmata; doce me ita compati doloribus tuis, ut me dolores illi pati doceant, & præparent ad gaudia, in quibus de tua gloria tibi gratuler in æternum!*

S. MARIA, *cujus amori & honori addictissimus* B. Benedicti Ordo *hoc die celebrat vivam memoriam suæ erga te obligationis, ac obsequiorum tibi præstitorum ab Ordine universo; ne unquam elanguescat in solido erga te amore posteritas, recogitatis Marianis ante-*

antecessorum exemplis accensa. Incende me ut immortaliter ardeam optimis, & maximis eorum ignibus, qui te unquam uspiam summo amore ac honore sunt prosecuti!

27. *Octobris*, 6. *Kal. Nov.*

SAncte Elesbaan, Rex Æthiopiæ, cui pugnanti, & s. Gabrielis nomen ter invocanti, Gabrielem misit Deus; cujus ope Victor, coronam Hierosolymã pro gratiarum actione misisti, posteàque te asperrimo vitæ genere ad mortem suavissimam præparasti, Adesto ultimæ pugnæ meæ, cum Gabriele, quem ter invoco, s. Gabriel agonizantium protector, s. Gabriel victoriarum præses, s. Gabriel Archangele, ac Orator Mariane! Adesto morienti huic MARIÆ ac tuo servulo; qui tuam coram Virgine orationem toties, frigidè licet, perorans petiit, ut illa me nunc, & in hora mortis meæ protegeret. Non pro regno Æthiopiæ, sed pro æterno regno cælorum hic agitur, s. MARIA s. Gabriel, s. Elesbaan Rex, vos agite, ut exeam hinc ad vos vincens, & partam hic vestrâ ope coronam ad pedes Agni Dei deponam in cœlo. *Amen*.

S. Vincenti adolescens, qui impresso in silicem pedis vestigio carnifices convertisti; & deinde unà cum sororibus tuis Sabina & Christeta, membratim tres in equuleo divaricati, ac concisi estis; impositis super lapides capitibus, vectibus validis ad cerebri usque effusionem contusi, martyrium consummastis.

s, Florenti Martyr.

S. Fru-

s. Frumenti Episc.

s. Capitolina, & s. Erothei, illius ancilla, Martyres.

s. Ivo, pauperum advocate, globo igneo inter sacra mysteria è cælo veniente illustrissime.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus laudes unà cum Clero, palàm cecinit omni humano respectu contempto* Albertus II, *Imperator hoc die, anno* 1439. *extinctus. Vince in me omnes humanos respectus; ne me pudeat meliorem semper fieri quàm sim!*

28. *Octobris.* 5. *Kal. Nov.*

SAnctissimi Mesopotamiæ, ac Persarum Apostoli, Simon & Juda Thadæe s. *Simon* zelotes, accende in me zelum gloriæ Dei; ut zelo, ferrâ, doloribus, & laboribus tuis inflamer sanctè. S. Thaddæe, qui allatâ ad Abagarum Regem Jesu imagine, cælestem simul lucem in cubiculum regium, & Regi sanitatem attulisti animi, corporisque. Animate spem meam virtutibus, ô Sancti mei; ut vivens & moriens verâ spe plenus, experiar in me id verum esse, quod Rex ille Abagarus illi Christi imagini aureo charactere subscripsit: *Spes nulli unquam imponit, quam quis in te Christe, ponit*, *Amen.*

s. Cyrilla V. Sanctæ Tryphoniæ filia, pro Christo jugulata.

s. Anastasia senior V. quæ igni prona imposita, & flagellata, rotà cruciata, sed orando curata divinitùs, ferreis ungulis laniata, convulso toto pectore, Deum pro felici martyrii consummatione, & pro

his

iis ægris, à quibus aliquando invocanda esses, precata, vocem è cœlo audisti dicentem, te petita omnia impetrâsse, tùm amputatâ linguâ, dentibusque excussis, decollata es, & felix tua mors magistræ tuæ per Angelum est revelata.

S. Cyrille, qui s. Anastasiæ aquam inter martyrii dolores petenti porrigens, pro mercede martyrium accepisti.

s. Fidelis miles, pro Christo decollate.

s. Ferruti, longâ cruciate inediâ, M.

s. Faro, in aula regia aulice, Deo & hominibus amabilis; deinde Episcope, miraculis clare.

s. Gaudiose Episcope.

s. Honorate Ep. qui ad s. Ambrosium in agone positum Dei voce tertiò monitus advolâsti, & illum æternitatis viatico munivisti.

OMNES SANCTI &c. pag. 185.

S. MARIA, de monte Serrato, cui hodie facta sunt gratiæ, ob hominem, ab hostibus saucium, fugatis hostibus, & vulneribus persanatis, à te protectum, Libera, sana, protege me, etiam ab occultis hostibus, atque vulneribus!

29. *Octobris. Kal. Nov.*

SAncta Ermelindis V. cujus puritatem Angelus Custos custodivit; quæ carnem teneram in loco ab Angelo præscripto, inediâ, herbis agrestibus, aliisque modis crucians, tandem accinentibus Angelorum choris mortua, ab iisdem sepulta es; cujus tumulum plurimis posteà annis cælesti luce illustrissimum, resonante musicorum cælestium harmonia

monia, mundo revelavit Deus. Feliciſſima Virgo! audi me pro me moribundo orantem te, & Deum per te! Impetra mihi ſanctam, ac teneram erga Cuſtodem meum Angelum reverentiam, & cultum. Adſis mihi unà cum illis Angelis tuis omnibus, & juva deſolatum: juva ſe tunc juvare non potentem; juva nunc id petentem, ut hujus, quâ te invoco, orationis meæ fructum uberem, tuamque opem tunc felix experiar. Amen.

Sancti Hyacinthe, Quincte, Feliciane & Luci MM.

s. Zenobi Presbyter.

s. Valentine Epiſc. zelo laborioſo glorioſe, qui poſt ſanctas lacrymas, eleemoſynas, vexationes, jejunia, à Deo horam, quá ad repoſita tibi æterna præmia evocandus eſſes, didiciſti.

s. Maximiliane Ep. Martyr.

s. Euſebia V. Martyr.

s. Narciſſe Epiſc. centum & ſexdecim annorum ſenex, cujus calumniatores tres conjurati, perjurique, alius igne, alius fœdâ corporis totius tabe, tertius cæcitate, ita ut ipſi ſibi imprecati fuerant, puniti ſunt.

s. Joannes Epiſc.

s. Donate.

s. Theodore, ſeu Theuderi.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus templo condendo locum Deus ipſe hodierno ſancto* Theodoro *oſtendit. Ora, ut locus pro te ſit cor meum. Tu illud occupa; & fac, ut in nulla ejus parte locum tuus hoſtis inveniat, qua idolum alicujus amoris ponat!*

30. *Octobris, Kal. Nov.*

SAncti Zenobi Ep. & Zenobia, ejus soror, quos in ferreo super ignem lectulo pluviâ recreavit cælum; quibus in fornace inter flammas tripudiantibus acclamabant spectatores Superi, *ut de cælesti gloria certi essetis.* Ah! quàm tremenda est hora illa mortis, ducentis ad æternitatem! Ora tunc, felix frater, & soror; ut ne me disperdat Deus! Exaudi, Domine Jesu, Zenobium & Zenobiam pro me tibi supplices; ut morienti mihi felix, ad te æternum videndum, amandum, laudandum, oculos, cor, labia, aperiat æternitas. Amen.

Sancti ducenti viginti Martyres Africani.

S. Marcelle centurio, capite abscisso Martyr.

Sancti tredecim Martyres, cum Sanctis Juliano, Euno, Marcario, passi.

s. Eutropia, Martyres visitans, Martyr facta.

s. Saturnine capite truncate martyr.

s. Maxime martyr.

Ss. Claudi, Luperce, & Victori, filii S. *Marcelli* centurionis, decollati.

s. Thoneste Ep. M.

s. Lucane martyr.

s. Serapion, eruditissime Episc.

s. Germane Episc. à quo Paschasius in thermis pro se purgatorii suppliciis eximendo sacrificium postulavit; cujus animam, pulchri globi ignei specie, in tui obitus hora ab Angelis in cœlum ferri s. Benedictus aspexit.

s. Gerarde Episc.

s. Felix

s. Felix Episc. M. post ferreæ craticulæ tormentum capite plexe, cùm tibi duo circumvolantes Angeli adfuissent: cujus corpus inter odores cantusque Angelicos est humatum.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus ope hoc die, parvâ manu, supra ducenta Maurorum millia vicêre Hispani, Christianis desideratis non pluribus quàm viginti. Victoriam mihi de me, deque tuis hostibus victoriam impetra hodie, & quotidie; ut ego tibi reddam gratias in æterno die!*

31. *Octob. Prid.* Kal. *Nov.*

SAncte Wolfgange Comes, & Episc. quem paritura mater stellam sibi parere visa est; cujus felix ingenium gratis, in excolendis Dei gloriæ juventutis ingeniis, insudabat: cujus vita jejunium, oratio, visiones, prophetiæ, lectio, zelus gloriæ maximi Dei; & Episcoporum, ac Monachorum sancta lux! O stella sancta, dum nascereris! illucesce mihi morienti! Ora, ut tempus omne ita impendam, prout placet Domino temporis mei Jesu! in manibus illius sunt tempora mea, & æternitas mea! Ora, ut tempora finiam feliciter, æternitatem inchoem feliciter, & felicia faciam omnia momenta mei temporis, usque ad ultimum momentum mortis, applicando illa sanctis obsequiis felicis æternitatis. Amen.

Ss. Nemesi, & Lucilla V. ejus filia, decollati.

Sancti Ampliate, Urbane, Narcisse, Martyres.

s. Quinctine Romane, ordinis senatorii, qui pro flagel-

flagellis gratias Deo teneras agens, ab Angelo confirmatus, conversis multis, testibus ferreis cæsus, oleo, pice, adipe ferventi perfusus, facibus cruciatus es; & amara omnia tibi dulcia esse dixisti. Denique sudibus ferreis transfixus, decem clavis in decem digitorum ungues adactis, invictus, orans capite cæsus es; & anima tua columbæ instar è collo tuo exire, ac cælũ penetrare visa est, voxq; simul cælestis insonuit: *Quinctine famule meus, veni, & coronam accipe quam tibi pro tuis meritis præparavi.*

s. Stachy Ep.

s. Antonine Episc.

s. Natali Presb. qui pecuniâ inductus, hæreticorum factus Episcopus, è cœlo admonitus, & ab Angelis per integram noctem cæsus, in cilicio, accipere supplex, & lacrymans, inflictas ab Angelis plagas Pontifici, & aliis ostendisti, nec vitam prius quam pœnitentiam finivisti.

s. Epimache, in Crucem sublate, ac ferreis unguibus, deinde præacutis lapidibus lacerate, post miracula, & pretiosas voces, capite plexe. Martyr.

s. Noitburgis V. ad cujus cadaver duo luminaria divinitus ardere conspecta sunt; & mortuus, vitæ se tuis meritis redditum dixit.

s. Nicolae puer M. Alcmeonis Saracenorum Regis fili, qui patris tui jussu columnæ alligatus pro Christo, unà cum Nicolao & Leonardo, tuis in Christi fide magistris, lapidatus es, & combustus. Incita & me exemplo tuo, ac precibus juva; ut lubens patiar pro Christo meo, tanta pro me perpesso.

S. Francisca Romana, quæ hac omnium Sanctorum

ctorum nocte, S. Mariam Magdalenam, divino amore ardentem, ac Sanctorum ordines, cum triplici, mortis cogitatæ, puritatis, & amoris Dei, vexillo videns, s. Joannem, cum s. Marco, dicentes audisti: *Nostrum vexillum est pulchrum; & inflammatum semper divino amore.* Mox librum tibi porrigens s. Joannes, *Ecce*, ajebat, *istum pulchrum librum, in quo nos legimus supernum amorem.* Fac, ut legitimè certem, & me ipsum vincam, sub *inflammato* divini amoris vexillo miles. Ora pro me, ut omnis mea lectio ducat me ad supernum amorem: legam illum oculo & corde Augustini, Antonii, ac Bernardi, è volumine creaturarum, quæ omnes sunt vivi characteres amoris Dei.

S. Mechtildis quæ hoc die, Christi monitu, singulas Sanctorum turmas rogâsti, ut sua Deo merita pro te offerrent; & Reginam Sanctorum omniũ, cum cælesti Republica universâ, pro te supplicem vidisti. Duc me ad Reginam tuam, & illam regiam civium supernorum: ac tua, & illorum merita pro me offer; ut omnium exemplis, velut vivis beatæ illius fornacis carbonibus, tandem accendar.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus cor, hac omnium Sanctorum nocte vidente id* S. Mechtilde *triplex aureus funiculus, è corde* JESU *egressus, ita illigabat, ut se ad Seraphinos & Angelos omnes, ad Sanctarum Virginum & Sanctorum omnium corda variè porrigeret, sono suavissimo quasi è canentibus omnium cordibus exaudito, quo Deus delectatur. Doce cor meum aureo amoris erga Sss. Trinitatem accensi funiculo, qui nunquam rumpatur illigari, doce illud musicam, qua delectet cor Dei!*

S. MA-

S. MARIA; quæ tuum clientem hodiernum Alphonsum *examen conscientiæ facere jussisti, orare docuisti, ac ut precum suarum catalogum conscriberet monuisti. Doce me orandi, ac te colendi artem quam optimam: tunc Deo & tibi sciam quàm optimè gratias agere in æternum!*

ANNI CÆLESTIS.

NOVEMBER.

I. Novembris. Kal. Nov.

OMnes Sancti, & Sanctæ Dei selecti, prædestinati, libro vitæ inscripti, æternæ felicitatis filii, in complexu æternitatis gloriosæ malis omnibus carituri æternum, bonis omnibus fruituri æternum, Deum videntes semper, amantes, & amati, atque amandi à Deo æternum. O universa cælestis curia triumphantium in Deo filiorum, & hæredum Dei! Gratulor æternitati vestræ, Deoque pro illa æternas gratias agere desidero. O vos omnes Sancti, qui ulli morientium opem tulistis unquam, ferte & mihi! Atque tu inprimis, Augustissima sanctorum omnium Regina, Dei Mater, ac vos omnes, qui singulari cordis affectu MARIAM hic amästis, quique singulare illius auxilium in agone estis experti? Amem & ego! experiar & ego! Adeste ope vestra mihi omnes & singuli, Non mereor salvari, sed meretur id mihi JESUS! Insculpite cordi meo hunc titulum *sanctorum*

omnium; ut ſub hoc nomine, ita omnes uno cordis complexu amem, ac ſi amarem ſingulos; omnes invocem, & omnes moriens habeam protectores. Offerte pro me veſtra merita, preces, lacrymas, ſanguinem, mortem. Orate, impetrate, ut unà vobiſcum legar in albo libro vitæ; & æternis amoribus, æternis laboribus, æterno *Alleluja* unà vobiſcum, Deum in plenitudine illius gloriæ amem, laudem, ô omnes Angeli, & omnes Sancti, & Sanctæ Dei.

S. Benigne, cujus plagas abſterſit Angelus, quem ſanavit, & à canibus defendit, pane quoque tibi porrecto: qui demum ferreo vecte lanceaque occiſus es, animâ tuâ, niveæ columbæ ſpecie, viſà in cælum volatu ſuaviſſimo proficiſci. Juva & meam; ut eò evolet.

S. Cæſari, ad cujus preces templum idolorum corruit; qui unà cum S. Juliano ſacco incluſus, mari es merſus, & Luxurius proconſul eo die à colubro (ita ut tu prædixeras) ad cor uſque penetrante corroſus, dum animam ageret; vidit tuum, ac Juliani corpus à pſallentibus Angelis è mari efferri. Proſterne in me precibus tuis, ſi quod idolũ eſt in me, id eſt, quicquid eſt contra Deum; & defende me, ne quid committam, ob quod vermis conſcientiæ me rodat, & cruciet.

S. Marcelle Ep. qui aquam in balſamum convertiſti, vocem muto Epiſcopo reddidiſti, immanem ſerpentem cadaver adulteræ depaſcentem vinxiſti, atque fugaſti.

S. Genivera V. Martyr, matre nobili cum octo ſororibus eodem partu nata, & unà cum illis pro Chriſto

Christo capta, sed ab Angelo liberata, demum capite truncata.

S. Maria ancilla, per equuleum, & ungularum lacerationem Martyr.

Sancti Cæsari, Daci, & alii quinque Martyres.

Ss. Joannes & Jacobe Mm.

Sanctæ Cyrenia & Juliana, Martyres.

S. Austremoni Episc.

S. Vigor Ep.

Ss, Severine & Maturine.

S. Francisca Romana, quæ hoc die vidisti è quinque Christi vulneribus, potissimum verò ab aperto ejus latere, vibratis radiis, totum cœlum, & Cœlites illustrari, aliis pedum, aliis manuum Jesu splendore perfusis; cùm illi, qui in hac vita fuêre charitate insignes, lucerent à radiis è corde Jesu splendentibus, ac in eos egressis; voce quoque audita: *Ego sum Amor fidelis.* Elice è pedibus, manibus, & corde Jesu splendidos gratiæ ac amoris radios, etiam in pedes, manus, & cor meum; ut amem corde, amem & opere. Aliàs hoc die infirma, in cœlo altare, plurimis ardentibus facibus illustre, ac agnum, librumque vidisti: & à S. Joanne Baptista propiùs adducta, Sanctos, dignis pœnitentiæ fructibus olim illustres, sub nigro vexillo: alios, propter puritatem, sub albo; alios denique, *divino amore magis accensos*, sub rubro conspexisti. Fac, ut sub his vexillis vita mea sit militia supra terram.

S. Mechtildis, cui, hoc die, roganti Christum, quid laudes exhibere posses. Deo in honorem Sanctorum? respondit ille: *Lauda me; quòd sim omnium Sanctorum corona*, & Deiparam, ac Sanctos

omnes coronatos vidiſt. Doce me ita laudare Jesum Regem, ac Reginam Sanctorum omnium, & omnes Sanctos, ſicuti tu didiciſti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA. Regina Sanctorum omnium, hodie in dedicato olim diis omnibus templo, dicto Pantheon, cum Sanctis omnibus celebrata. Rogo te per omnes Sanctos & Sanctas Dei; & omnes Sanctos, ac Sanctas Dei rogo per te, facite vos omnes, quod ego unus non poſſum. Juvate me ſeriò ut ſalvus fiam!

S. MARIA, cujus iconcula, quam s. Franciſcus *olim geſtare ſolebat in pectore cum aliis Cælitum reliquiis, Meſſanam in pyxide allata eſt, quæ pyxis, aliàs ſemper clauſa, cùm recitarentur Sanctorum omnium Litaniæ, aperiebatur: & illis abſolutis, ultrò à ſe ipſa claudebatur. Pone vivam virtutum tuarum imaginem, velut ſignaculum, in cor meum, ſerva illud clauſum tibi, ac Sanctis tuis, quorum Regina es!*

S. MARIA, quæ hoc die S. Franciſcæ *cum* Jesu, *ac S. Mariâ Magdalenâ apparuiſti, quæ illi tuo juſſu dixit; animas quæ Deo ſe dedicant, debere in humilitate ac* Dei amore *fundari, corde mundo puris manibus, generoſa in Deum fiduciâ manſuetudine, obedientiâ; inſtar ſagittæ ab arcu miſſæ, ac non aliò, ſed eò evolantis, quò directa eſt, & expedita. Fac me ſagittam electam Dei, ut illuc, & illac ferar ejus amore, quò, & quà ille vult!*

2. *Novembris.* 4. *Non. Nov.*

O Vos beatæ in æternum animæ, quæcunq; per ignem illum horrendum ad quietis æternita-

Hanc orationem composuit Ioannes Papa XXII. [co]ncedens cuilibet Cemeterium sive transeunti et eandem dicenti tot Dierum Indulgentiarum quot Christifidelium Corpora ibi sepulta sunt:

Avete omnes Fideles, det vobis Requiem ille, qui est vera Requies JESUS Christus Filius DEI vivi, qui natus est de Immaculata Virgine Maria pro Nostra omnium umque salute, et vos redemit suo pretioso sanguine. Benedicat vos, et à poenis liberet, faciatque vos resurgere in die Resurrectionis, et Angelis suis associare! ac in coelis secum, sine fine gaudere. —————— Amen.

te abiiftis
a lio effe
l & indef
h expiant
u à facie
g , & fanc
m MAR
x ba,mihi
il expiant
v am pro
fi cum ill
S. Victor
S. Iuſte M
Ss. Carter
Mm.
Ss. Acind
empediſt
i e cruciat
e afperge
O ſancti
c us Ange
n operâ
tibus in
s ex illar
co, quod
Sancti Pa
is.
Sancta E
rmenta in
S. Theod
ne.

tem abiistis purgatæ! quæ singulari agonizantibus auxilio esse consuevistis! Subvenite mihi, ut singulari, & indefesso studio animas illas juvem, quæ adhuc expiantur in flammis, amicæ Dei, sed adhuc exules à facie Dei; ut & ipse, & illarum custodes Angeli, & sancti patroni cælites, & vos omnes, ac demum MARIA, animarum purgatorii advocata maxima, mihi & agonizanti & hic maculas meas igne illo expianti, adsint fideles; neque prius cessent divinam pro me misericordiam implorare, quàm sim cum illis in æternitate Sanctorum. Amen.

S. Victorine Ep. scriptis clarissime, Martyr.

S. Juste Martyr.

Ss. Carteri, Styriace, Tobia, Eudoxi, Agapi, & socii, MM.

Ss. Acindine, Pegasi, Aphthoni, Elpidephore, Anempodiste, & plurimi socii Martyres, virgis & igne cruciati; quibus Christus apparuit, & ignem rore aspergens vos in cruciatibus recreavit.

O sancti Martyres, quibus orantibus adfuit exercitus Angelorum, infidelibus humi collapsis: quorum operâ conversos & baptizatos Angeli candidis vestibus induêre, bestias virgis ferreis abegêre, ac vos ex illarum fossâ liberos expuêre. Liberate me ab eo, quod potest me abducere à Deo meo?

Sancti Pauli, Victor, Hermes, & Papia, Martyres.

Sancta Eustochium V. Martyr, quæ post dira tormenta in oratione spiritum reddidisti.

S. Theodore Episc. & verbis, & rebus vir sanctissime.

S. Georgi Episc.

S. Ambrosi Abba.

S Marciane.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, animarum in purgatorio Mater provida, misericordiæ Mater. Fac me filium misericordiæ tuæ; ut illam erga illas imiter nunc, & experiar tunc, cùm illis ero!

3. *Novembris.* 3. *Kal. Nov.*

SAncte Pegasi Martyr, qui à tormentis aliis in ignem raptus, cecinisti moriturus: *Quoniam apud te est fons vitæ*; è cujus morientis rogo suavissimus odor erupit. Ora, ut sciam æstimare, quàm pretiosus æternitatis thesaurus sit, libenter & hilariter pro Deo, sive id, quod Deus me ferre vult, pati! Præstat nunc, præstat hic, quàm vel in purgatorii flammis ad tempus, vel in æternitatis incendio æternum pati. Ergò me libenter, & cum tenera, lætaque gratiarum actione pati doce, & mori morte libenter patientium; ut laboribus pro Deo hîc susceptis fessus, & Dei sitiens, non in puteum abyssi ad aquas mortis detrudar: sed ad illum curram lætus, *apud quem est fons vitæ. Amen.*

S. Quarte Apostolorum discipule.

Ss. Germane, Theophile, Cæsari & Vitalis Martyres.

Omnes sancti innumerabiles Martyres, Cæsaraugustæ pro Christo mirabiliter occumbentes, quorum combustorum cineres nive candidiores mansêre; ideoque *massa candida* vocati sunt.

Ss. Va-

ss. Valentine & Hilari, cum ſaxo in Tyberim præcipites dati, indè ab Angelo liberati, abſciſſis deindè cervicibus Martyres.

s. Wenefrida V. M. quæ ab impuriſſimo Regis filio, quòd virginitatis jacturam facere nolles, decollata; ubi cecidiſti, ibi fons ægris ſalutaris erupit; & impurus ille juvenis repentè mortuus corruit, atque totus diſparuit, abreptus à dæmone, domino impurorum. Tu verò Beunoi precibus ſuſcitata, magiſtra virginum facta, miraculorum, ac virtutum plena, JESUM inter orandum vidiſti, & propediem te è corpore diſceſſuram didiciſti.

s. Papule Martyr, capite obtruncato manibus inter Angelos portato celebrate.

s. Huberte, cui tùm adhuc ethnico & venanti, Chriſtus inter cornua cervi apparuit, & ut s. Lambertum adires admonuit; cui afflicto Angelus per quietem dixit: *In tribulatione invocaſti me, & liberavi, & exaudivi te*, ſimulque paratam tibi cæleſtem aulam oſtendit, & prædixit te illam anno uno elapſo auditurum; verbis quoque illis adjectis: *Eripiam te, & magnificabis me*: & eo anno eò ardentius divinis incumbens, ſub extremum vitæ, Pſalmum, *Qui habitat*, expendebas, morti accinctus; doce me habitare in adjutorio Altiſſimi dum vivo, & in protectione cæli commorari dum moriar, cujus è ſtola divinitus accepta licèt ſæpè aliquid decerpatur, tamen nihil minuitur.

s Domine Ep.

s. Primine Ep.

s. Malachia Ep. cui ſoror mortua, velut inediâ confecta apparuit, ac ſacrificiis tuis pro ea celebrari

refecta. Cælitibus adſcripta eſt; de quo dæmon ægro dixit: ne tibi quicquam crederet, nec pareret: cui obtrectantis lingua computruit, vermibus ex ea ore toto fluentibus, quos per ſeptem dies vomēs miſer interit: fœmina verò, quæ te calvum hypocritam, & hæreditatis alienæ invaſorem dixerat, mente mota, ſeq; à te ſuffocari clamans expiravit: à quo viſitatus vir dives in extremo agone, ac jam mutus, & necdum confeſſus, mox loqui cœpit, & Sacramentis expiatus felix deceſſit: qui mulierem abſque unctionis extremæ Sacramento mortuam excitâſti, & ſanâſti, aliam irâ præfervidam, & omnibus odioſam oratione tuâ & pœnitentiæ Sacramento, mirabili manſuetudine tranquillâſti, ita ut nullis potuerit injuriis irritari. Impetra & mihi cor manſuetum, linguam plenam charitatis.

S. Joannici, qui cùm puer ſubulcus eſſes, gregem crucis ſigno continuiſti, ut orationi ſecurus incumberes: flumen ſicco pede tranſiviſti; templum S. Joannis ultrò tibi apertum intraſti; puellam à fœdis tentationibus liberaſti; & te invadentibus, te draconi, ne illis delectareris, objeciſti: quo mortuo, tu quoque ab omnib⁹ id genus ſordibus liber, draconem alium ſigno Crucis & precibus occidiſti; inſulam à ſerpentibus, ægros à morbis liberaſti, inter orandum corpore quoque in altum ſublatus, & ſæpè à nemine, niſi cùm ipſe velles, videri potuiſti. qui Conſuli Conſtantino, viro iræ ſuæ impotenti, dixiſti: *Ceſſa ab ira, & vince animum*, eumque mirè ſubegiſti; urſam obedientem habuiſti: orans abſentis & morientis Petri cujuſdam animam in cœlos in gloria ferri vidiſti. Pelle & à me, quicquid mihi

oranti

oranti modestum esse potest: impetra mihi, ut me vincam.

S. Hermengaudi Episc.

S. Sylvia, s. Gregorii Papæ mater piissima.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, quæ hodie morienti Tezelino, *religioso clienti tuo, in Clara Valle, cum beatorum mentium agmine, obviam venisti. Veni tunc maximè; vitam præsta puram; mortem fac securam: iter para tutum!*

4. *Novembris. Prid. Non. Nov.*

SAncte Carole Cardinalis, qui Dei Matris Officium recitâsti flexis genibus quotidie, tibiq; in ultimo cordis tui agone ab illa succurri petiisti; qui à sceleratis globo exploso ictus, nec læsus es; qui toto quadragesimæ tempore pro lectulo non nisi asseres admisisti: S. Ignatii Exercitia pro thesauro & pretioso Bibliothecæ tuæ compendio habuisti, & bis quotannis obivisti; qui aliquando integras octo horas genibus nixus, nec ulli fulcro innixus, orando duxisti in pauperes tua stragula, pannos cubiculi, cortinas, vestesq; ipsas, & uno die quadraginta, alio verò viginti aureorum millia liberaliter erogâsti. In peste ipse Sacramentis supremis oves tuas refecisti, inserto in collum fune nudipes pro illis Crucē bajulâsti supplex: qui carnem pudicissimam ciliciis, cruentis flagellis, crebris rigidisq; jejuniis atterebas, animā verò lectione, oratione, perpetuâ dolorum morientis JESU meditatione, MARIÆ ac Angeli

Custodis cultu, cordis per confessionem quotidianam munditie, lacrymis, recreabas; qui diœcesim per synodos, preces, scripta, & miras laboriosasque industrias restauràsti; multa fundasti; & dæmum respectuum humanorum sanctissimè gloriosissimus proculcator, cinere ac cilicio coopertus, hodie dilecto Crucifixo immortuus es, qui Francisco Adorno è Societate Jesu, Confessario tuo post mortem pulcherrimus appartuisti, & dixisti: *Benè meœum agitur: tu quoque brevi accersêris*; eique mortem imminentem prædixisti. Sanctissimi Carole, appone etiam erga me plenum illud misericordiæ ac amoris cor, & quæ à Deo, quæ à MARIA, per Angelum tuum pro felici morte petiisti, illa mihi, mihi de ope tua speranti, de morte solicito, benignus impetra, meque inter illos repone, quos æternitati sanctæ lucratus es, Amen.

S. Vitalis, qui cum toto corpore ingens vulnus haberes à tormentis, in orando generosam animam expirasti.

S. Agricola, qui cum S. Vitale servo tuo sancto captus, omnibus amabilis, tandem plurimis clavis crucifixus es.

Ss. Philologe & Patroba, discipuli S. Pauli.

S. Procule M.

S. Clare M.

S. Mile Ep.

S. Porphyri M.

Ss. Nicander Ep. & Herma, Martyres.

S. Pieri Presb. vita purissime docendo, & scribendo in Philosophia Christiana florentissime.

Beate Amanti Ep.

s. Emerice, s. Stephani Regis fili, virgo conjux, hodie vita functe.

S. Modesta V.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 185.

S. *MARIA, cujus imaginem* S Carolus *ab omnibus etiam militibus, portari semper secumque haberi optabat. Imprime te memoriâ meæ, cordi meo; & excita memoriâ tui cor meum, ut sine intermissione oret per te & nunquam deficiat!*

5. Novembris. Nonis Nov.

SAncte Emerice, s. Stephani Ungariæ Regis fili, Ungariæ prime Dux, qui quodnam gratissimum Deo munus offere posses, dum Deum consuleres, cælesti luce perfusus, audisti è cælo vocem: *Præclara res est Virginitas*; & illam etiam cum sponsa regia Virgine semper immaculatā servasti, ac in aliis veneratus es. Sancte juvenis, cujus noctes plenæ Psalmis, quos tunc recitabas, somni parcissimus: cujus manus plenæ eleemosynis; cujus vestibus pretiosè vestita altaria; cujus tenera ergo Mariā pietas: cujus oculi pleni lacrymis: cujus corpus virgineū attritum jejuniis, & austero vivendi genere: cujus anima Archiepiscopo spectante cælos intrare visa: cujus sepulchrum Conradi pœnitentis peregrini asylum, dum ruptis, & decidentibus ex illo catenis illius peccatis inscripta syngrapha pura; sine ulla scriptione divinitus apparuit. Ora pro me unà cum Maria, à te in Matrem electâ, cum S. Stephano patre, cum s. Henrico avunculo tuo, ut, consulto in omnibus per MARIAM Deo, agam id, quod

Deus maximè vult fieri à me, ut me salvet. Disrumpe vincula mea, ne rudentibus alliger æternitatis; aut ne nimis diu exul à facie Dei in igne detinear; sed citò post mortem unà tecum, & cum patre tuo. Deum Patrem misericordiarum, MARIAM Matrem misericordiæ, laudare incipiam inter filios Dei. Amen.

Ss. Zacharia & Elisabeth, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela, parentes S. Joannis *Baptistæ*, à Dei Matre visitati.

Ss. Felix, & Eusebi, qui quòd Martyres sepeliretis, & alios adduceretis ad Christum, pro præmio Martyres per gladium facti estis.

Ss. Galation & Epistemi, conjuges Virgines, qui ad videnda cælestia abducti, repositas capitibus vestris duas coronas vidistis, quas posteà, conciso virgis corpore, fixis sub ungues spinis, linguâ, pedibus, manibus, capite pro Christo truncati, accepistis, S. Galation, cujus matri te parituræ apparuit Crucifixus. Sancta Epistemi, quæ per quietem fœminas pennis insignes, & igne undique plenas vidisti.

Ss. Domine, Theotime, Philothee, Silvane, & socii *MM*.

S. Magne Ep.

S. Dominator Ep.

s. Fibiti, ex Abbate Ep.

s. Læte Presb.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *qua hodiernam* s. Elisabetham, *cognatam tuam visitans, illam &* s. *Ioannem gaudio replevisti. Doce me artem verè, non vanè gau-*

dendi

dendi. Visita me, ô Magistra gaudii veri, & pleni!

6. Novembris. 8. Idus Novemb.

SAncte Leonarde, vir Dei! potuisti hoc tuis in terris precibus, ut reos è carcere ad libertatem educeres, ut multis invocato tantùm tuo nomine, vincula conciderent, ut cæcis oculos redderes, aquas perennes è rupe eliceres. Ecce rea mortis (utinam non æternæ!) hæc mea anima, ex hoc carcere horret per mortem ingredi; quia carceres æternos timet! Aperi tuis apud Deum precibus animæ hujus oculos, antequam suos corpus morte claudat: elice ex illis lacrymas perennes, quibus catenas suas rumpat. Saxa precibus expugnasti; expugna suavissimum ac mollissimum Dei pectus, ut apponat erga me cor suum, ne sim inter mortuos captivus, sed inter vivos æternum liber inter æternos servos Dei. Amen.

s. Felix, pro Christo in carcere mortue.

Sancti decem Martyres Theopolitani.

s. Severe Episc. M. cujus caput clavo confossum est.

s. Attice.

s. Felix.

s. Winoce, cujus mola sua sponte divinitùs circumacta est, ut orandi otium tibi majus relinqueret, curiosus verò quidam, & molam illam, teque orantem videre volens, molâ illâ rursum sistente, cæcitate damnatus, sed à te est restitutus, qui post mortem cæco apparuisti, eumque sanasti. *Sana & me!* doce me orare; claude oculos meos, & aperi juxta id, quod Deo placet.

s. Andrea Ep. de quo in suis comitiis dæmones, quòd te sanctum virum, ad tangendum ex levitate fœminæ dorsum permoverit dæmonum quidam, illi applausére. Tu verò fœminam domo exegisti, & sanctos de dæmonibus triumphos referens, illumque tactum lacrymis, & præclaris virtutibus diluens,& Angelis gaudium peperisti.

OMNEs SANTI.&c. *pag.* 185

S.MARIA, *cujus nomine templum condidit* s. Leonardus, *& in illo habitans, multos à carceribus mirabiliter liberavit, ibidem sepultus. Solve vincla reis sensibus meis, cordi meo : & doce me tecum habitare, tecum orare ac mori.*

7. *Novembris* 7. *Idus Novemb.*

SAncte Florenti Ep. qui obsequentes tibi feras habuisti ad nutum ; & cæcam ac mutuam Regis filiam persanasti, vestemque tuam è solari radio suspendisti, Adesto mihi morienti benignus. Jacebo ego inter avidas mei feras circumdantes me, ut rapiant me! Jacebo cæcus, & mutus, quando morti vicinus, jam nec videbo mortuis oculis, nec audiam, nec sciam me mori. Fuga tu feras illas! illuminet me Sol æternus gratiæ, ac deinde gloriæ suæ radio; ut clausis hic oculis, abeat hinc anima illuc, nec erit cæca, nec muta ad videndum, laudandum Deum totius consolationis. Amen.

S. Prosdocime Ep. à s. Petro ordinate.

s. Herculane Ep. *Martyr.*

s. Amaranthe Martyr.

s. Hieron, è cœlesti visione ad mortem gloriosâ ani-

animate; post amputatam á cubito dexteram, post flagra, & virgas, capite plexe Martyr.

Ss. Nicander, Hesychi, & alii triginta s. Hieronis socii MM.

Ss. Aucte, Taurio, & Thessalonica Martyres.

Ss. Melasippe, Anton , & Carina Martyres.

s. Engelberte Archiep. qui occisus, sacrificanti Sacerdoti lætus adstitisti, teque inter Martyres Deo frui dixisti: quem in odium Ecclesiæ Dei cæsum dæmon suo consilio enectum dixit: & pereuntibus, ut prædixeras, cædis authoribus, tu cum Cœlitibus non semel visus es gloriosus, & Comiti Friderico impio horrendis postea pœnis affecto, sanctas in infami supplicio lacrymas, & mortem sanctam impetrasti.

Sancte Achilla Ep. moribus, ac eruditione spectabilis

S. Wilibrorde Episc. doctissime, Frisiæ Apostole, quem gladio feriens idololatra, correptus à dæmone tertio post die, pessimè expiravit: tu verò illæsus infectum peste sacrarum Virginum cœnobium adiisti, sacrificio Missæ peracto, aquà lustrali aspersis cubiculis, ejusdem aquæ potu sanasti omnes, & pestem propulsasti; ac moriens visus es à canentibus splendentium Angelorum exercitibus in cœlum ferri, fac me mori læta morte Sanctorum.

s. Ruffe Ep.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 185.

S. MARIA *cujus honori* s. Engelbertus *Coloniensis Episcopus qualibet hebdomada, quarta feria jejunavit, & aliquoties tua in* Rupe amatoris *limina visi-*

tavit. Fac, ut solidis obsequiis te honorem. Sint fundata omnia in rupe tui verè amatoris, & servi!

8. *Novembris. 6. Idus Novemb.*

SAncte Godefride Abba, & Episcope, pauperum serve humillime, pater liberalissime, impurorum osor acerrime, disciplinæ religiosæ fortissime zelator; cujus monita contemnentes Ambianenses tui, Deum vindicem senserunt, quando imminentibus Urbi exercitibus è cœlo igneis, lapsu è cœlo igne consumpti sunt. Aliàs verò cùm ad s. Firmini ejusdem Urbis Ep. M. sepulchrum pro grege tuo precareris, equites, & igneum armorum apparatum ad Ambianensis Urbis plenum excidium venire vidisti; tum s. Firminus annulo aureo, palmâ, & nobili è rosis ac liliis corona insignis, se ad ferendam Urbi opem paratum esse dixit; & ut tuos moneres atque increpares, admonuit. Ora pro me ad parcendum, & ad præmia magis, quàm ad supplicia pronum Deum, ne illius mihi ad cor loquentis monita contemnem unquam. Nemo corriget, quem ille despexerit. Ora, ut ne me despiciat, sed corrigat Deus meus: hic me potiùs nunc, ut filium, benignè arguat viventem, ne me in æterno furore ac irâ suâ corripiat morientem. Amen.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, quorum hodie octava est, quibus quicunque seriò devotus est, malè non moritur.

Sancti Claudi, Nicostrate, Symphoriane, Castori, & Simplici, marmora sculpendi arte insignes; qui nonnisi præmisso sanctæ Crucis signo laborantes, opera

opera faciebatis omnibus artis numeris absoluta deinde scorpionibus pro Christo cæsi, in flumen præcipites dati estis.

Sancti quatuor fratres, Severe, Severiane, Carpophore, Victorine, plumbatis ad mortem usque cæsi, martyrio coronati, quorum tunc ignota nomina, postea sancto cuidā viro revelata sunt è libro vitæ.

s. Deusdedit Papa, qui leprosum osculo à lepra sanasti.

s. Willehade Ep. fustibus cæse, vir zelo Apostolice.

s. Maure Ep.

s. Clare Presb.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185

S. MARIA, cujus imagine, ac ope, Ferdinandus II. *Imperator anno 1620. Antiphonâ* Salve Regina *ante conflictum cantatâ, contra hæreticos Pragrensem hoc die victoriam obtinuit, & victoriæ insignia Romam ad tuum templum misit. Doleo me aliquando fuisse victum ab hoste tuo: tu veniam mihi impetra, & vires, ut semper vincam!*

9. Novembris. 5. Idus. Novemb.

SAncte Theodore Tyro, miles, qui incenso matris Deorum fano, Deos in cinerem redegisti, & atrocissimè cæsus, ad carcerem famemque perpetuam damnatus es. Sed ibi Christi Jesu, & Angelorum frequentia lætus, dulcissima inter solatia corde, ac ore lætissimo exultabas; neque oblatum panem atque aquam admittens, te à Christo Jesu, ali ajebas, qui

ab

ab eodem Christo tibi conspecto audisti: *Confide, Theodore, ego enim tecum sum erit tibi vita ab interitu aliena & æterna mecum in cœlis:* postea, cum candido Angelorum exercitu psallere es auditus. Tandem ungulis toto corpore laniatus, dum costæ tibi nudarentur lætus canebas: *Benedicam Dominum in omni tempore,*! fronteque, oculis, pectore, signo crucis munitis, in igne lætum Deo spiritum tradidisti. O quàm felix & ego migrabo hinc, si tecum, si cum Angelis comitibus tuis! Ora JESUM, & illos, ut mihi tunc adesse dignentur, & nunc! Impetra mihi mortem verè lætam, ad benedicendum Deum! Nam læta mors esse non potest, quam sequitur æterna tristitia, nec tristis mors esse potest, quam æterna lætitia coronat Deus, Amen.

Christe Salvator, cujus, in Romana Basilica hodie dedicata imago populo Romano in pariete depicta apparuit.

Sancte JESU, cujus imago antiquissima à Judeis flagellata, spinis coronata, clavis crucifixa, è latere perforato sanguinem fudit morbis omnibus salutarem: da mihi salutarem mortem mihi, qui sum pretium sanguinis tui.

s. Orestes M,

s. Alexander M.

Ss. Ursine & Agrippine Ep.

Ss. Eustolia, & Sopatra, Mauririi Imperatoris filia, Virgines.

s. Aureli Ep. qui bene meritam de animarum salute animam in s. Ambrosi manibus Deo reddidisti,

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

s. MA-

S. MARIA Silvaducensis, de qua hodie quidam retulit, sibi in carcere à te visitato, ultrò vincula defluxisse ad fugam & libertatem. Rumpe vincula mea, si quæ me tenent, & commuta illa in vincula, quæ me tibi devinctum teneant in æternum!

10. *Novembris. 4. Non. Novemb.*

SAncta Theostilla V. admiranda, quæ è captivitate Arabica profuga in silvis ad templi rudera corpus triginta quinque ipsis annis famc afflixisti, animam divinis epulis recreasti; & sanctissimo Jesu viatico pasta, miraculis citra extincta es; cujus brachium à corpore amputatum, qui pietatis gratiâ auferebat, manebat in portu eodem, licèt sibi totâ eâ nocte videretur felicissimè navigasse. Intercede pro anima hac mea miseranda, quæ se adeò languidè parat ad æternitatem. Impetra mihi è tuis illis ardoribus unam constantem scintillam, quæ mihi semper vivat in corde, usque ad mortem, usque ad æternitatem. Utinam & vivens, & moriens, & in æternitate sic æternùm ardeam igne illo æterno, qui est Deus. Amen.

Ss. Tryphon & Respici, ac Nympha Virgo Mm.

Ss. Tiberi, Modeste, & Florentina, per varia tormenta Mm.

Ss. Demetri Episc. Aniane, Eustosi, & alii viginti Mm.

Ss. Monitor & Juste Episc.

s. Leo.

Sanctæ Tryphæna, & Tryphosa.

s. Probe Episc. medice animarum, & corporum:

qui

qui moriens agmen Angelorum ad te venientium vidisti.

OMNES SANCTI, &c. pag. 185.

S.MARIA, cujus templo in Paro insulâ, addicta s.Theoctistes V. seu surgeret, seu oraret, seu aliud ageret, ajebat per triginta quinque annos sola, tanquam id sibi, ut ancillæ, a te fuisse imperatum. Ora, ut sic agam singula, tanquam te præsente, docente, jubente, juvante!

11. *Novembris. 4. Idus Novemb.*

SAncte Martine Episcope, orator apud Deum potentissime, qui data in eleemosynam vestis tuæ parte, vestitum Christi vidisti, & ad Angelos suos dicentem audisti: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit*; qui dæmoni in Christi specie purpurato dixisti: *Christum ego nullum novi, nisi Crucifixum, tu facesse*; de cujus sanctificantis capite visus est globus igneus emicare: cui Regina ad mensam aliquando ministravit: quem Angeli, & Angelorum Regina, Ss. Petrus & Paulus Apostoli, ac Ss. Agnes & Thecla invisêre: qui insidentem tyranni cervicibus dæmonem abegisti: qui animam jam agens viso dæmone, *Quid*, inquiebas, *adstas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies*. Tunc animam tuam suscipiens exultans Angelorum chorus visus, & lætas Deo laudes cantare auditus est. Interpone potentissimas preces tuas pro me; ut vincere *funestum illum* semper assuescam, nequid in me unquam *bestia illa cruenta* reperiat. Sit mors mea non lætitia dæmonum; sed victoria, triumphus, exultatio Angelorum Dei. Amen.

s. Menna miles, qui diris flagellis, ferreis unguibus dilaceratus, ajebas: *Quis separabit nos à charitate Christi!* A Christo te didicisse non timere eos, qui corpus occidunt, sed Deum, qui etiam animam potest mittere in gehennam; postea lampadibus ustus, per ferreos murices humi tractus, capite plexus es.

Sancti Valentine, Feliciane, & Victorine, Martyres.

s. Athenodore M. qui igne cruciatus, cùm carnifice corruente nemo esset, qui te capite plecteret, orans spiritum exhalasti.

s. Verane Ep.

s. Menna Confessor.

s. Bartholemæe Abba.

Beata Erkantrudis V. quæ post magna patientiæ documenta moriens, Angelos audivist canentes verba illa: *Confitemini Domino; quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus!* Impetra mihi, ut sim bonus, & merear æternam Dei misericordiam inter vasa misericordiæ experiri.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quæ radians lumine majestatis, super Diensem arcem ab Indis ethnicis oppugnatam, conspecta, hostes terruisti, & hodiernam Lusitanis tuis victoriam peperisti. Terre, fuga hostes meos, qui cor meum, arcem tuam, oppugnant!*

12. *Novembris. Prid. Id. Novemb.*

SAncte Didace, seu Jacobe, qui ea panis frusta, quæ pauperibus ferebas, coram Superiore in *flores*

con-

conversa ostendisti; cibum in deserto tibi divinitùs coctum ac paratum reperisti: qui à cœlestibus deliciis ad sensus redux exclamabas: *O quàm suaves sunt illi flores paradisi!* qui moriens arrepta cruce ligneâ, sic ultimùm suspirasti ardenter: *Dulce lignum, dulces claves, dulcia ferens pondera; quæ sola fuisti digna ferre Regem cœlorum & Dominum!* & expirasti. Intervent pro me; ut mihi crucem sapidam faciat Crucifixus. Faxit id mihi morienti amarâ morte pro me moriens JESUS, ut ex amaro mortis meæ agone ad amaritudinem æternam non abeam, sed dulce illud lignum, dulces clavi, & crucis dulcissimum pondus JESUS, dulcem mihi morienti det æternitatem. Amen.

s. Martine Papa, miraculis & ærumnis clare Martyr.

Ss. Aureli & Publi Episcopi.

s. Paterne Martyr.

s. Livine Ep. qui extractâ, sed cœlitùs restitutâ tibi linguâ, obtruncatus es Martyr.

Sancti Benedicte, Joannes, Matthæe, Isaac, & Christiane, jejuniis, oratione, & curationibus magni Martyres.

s. Rufe Episc.

s. Cuniberte, Regis adoptive, humilitate, pietate ad omnia utili insignis, deinde Episcope, cœlesti columbâ tuo capiti insidente, & aliis à Deo signis honorate.

s. Æmiliane Presb. vitæ admirabilis.

s. Nile, è Præfecto Urbis cœnobita.

s. Theodore Studita, sacrarum imaginum strenue propugnator.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S *MARIA cujus ope* S. Didacus *puerum in fornace ardente incolumem servans, tua imagine multa mira patravit. Denec sum in hoc mundo, sum in furno: serva me illæsum, ne ex hoc incidam in furnum ardentis æternum inferni.*

13. *Novembris. Idibus Novemb.*

SAncte Homobone, mercator sancte, cujus eleemosynas miracula approbarunt; cui templi portas pandebant *Angeli*: qui nunc ad Christi, nunc ad Dei Matris imaginem jacebas supplex, ac tandem cùm *Gloria in excelsis Deo* caneretur, bonam animam ad Crucifixi pedes in templo moriens exhalasti. Ora pro me, ut diligens Jesu Crucifixi, diligens MARIÆ servus, utrique fideliter serviam, atque inter illos expirem medius; & omne vitæ meæ punctum, & ipsa mea mors, & post mortem immortalitas canat gloriam in excelsis Deo Amen.

Sancti Valentine, Solutor, & Victor Martyres.

B. Mitri M.

s. Nicolae Papa.

Sancti Antonine, Zebina, & Germane, capite cæsi.

s. Ennatha V. igne cremata M.

Ss. Arcadi, Paschasi, Probe, & Eutychiane, exilium, & atrocissima supplicia passi Mm.

S. Briti Episc. calumnias multas innocenter perpesse, & miraculis innocentiam testate.

s. Eugeni Ep.

s. Quinctiane Episc. pro pluvia, & contra febres advocate.

S. Floride Episc. ad quem in agone positum Laurentius Episc. hac è cœlo voce est missus: *Laurenti propera, Floridus migrat.*

Omnes Sancti ex Ordine s. Benedicti, quorum festum Pauli V. auctoritate hodie celebratur.

s. Maxellendis V. quæ ut maneres Virgo, mortua es Martyr: quam qui occidit statim excæcatus fusis ad tuum tumulum supplicibus lacrymis, est sanatus.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

MARIA de septem doloribus, *cujus miraculorum festum hoc die celebratur. Renova in me mirabilia tua: & si aliter id fieri non potest, ut me bene disponam ad mortem bonam, fac, ut per tua miracula me salvet* JESUS!

14. *Novembris*, 18. *Kal. Decemb.*

Beate Alberte Magne, Angelici Theologi Thomæ Magister, & MARIÆ alumne: qui omnem illam tuam scientiam à Matre Sapientiæ hausisti, & vel audito MARIÆ nomine dulcissimis larcymis tuum erga magistram illam amorem testatus es; ac tandem ultimo vitæ triennio, Philosohiæ ac Thologiæ repentè oblitus, meliorem Philosophiam reperisti, quando tumulum quotidie, ut speculareris, adiisti. Hoc est, quod desidero, Magistram habere MARIAM, & sanctè mori. Nunc amare sanctè, & mori sanctè; postea verò æternum amare, ac vivere in æternitate amoris, ac vitæ. Amen.

Ss. Clementine, Theodore, & Philomene, Martyres.

s. Serapion, qui solutis per supplicia omnibus membrorum juncturis, de superioribus domûs tuæ præcipitatus es *Martyr*.

s. Venerande *M*.

s. Veneranda V. *M*.

s. Hypati Episc. ab hæreticis lapidate, *Martyr*.

Plurimæ sanctæ mulieres, crudelissimè pro Christo occisæ MM.

s. Jucunde Episc.

s. Antigi Episc. qui ponderatis crebrò illis Christi verbis: *Quis putas, est fidelis servus?* lacrymans exclamabas: *Væ, væ nobis!* & orando inclyta morte mortuus, vultu toto erubuisti; atque locum tibi concedentibus Ss. Faustino, & Jovita, sepultus es.

s Laurenti Episc. de quo Beatissima Virgo dixit; velle se suum templum à te consecrari; quo orante Sacerdos à morte resurgens dixit; Novit Dominus, animam meam separatam fuisse à corpore: & disceptantibus Angelis pro ea, vidisse me Dominum meum Laurentium flexis genibus coram Deo, & gloriosa Virgine Matre ejus, pro me humiliter deprecantem; ejusque oratione flexum Dominum, animam meam corpori restitui jussisse, qui ter flagris te cædebas quotidie; triginta, vel plures longè pauperes coram te reficiebas quotidie.

s. Raymunde Non nate Cardinalis, Romæ hodie celebrate; cui coram imagine suâ oranti Beatissima V. dixit: *Ego te in filium ab hac horâ suscipio;*

quare me Matrem tuam poteris appellare, qui post galerum pauper datum, visus tibi es in horto amœno videre inter flores Reginam cœli, quæ corollam tibi texens dicebat: *Meritò his sertis coronabitur, qui pauperi amore Christi suum pileum obtulit*, qui Christo tibi coronam roseam manibus porrigente, ac dicente, ut vel spineam, quam in capite gestabat, vel roseam illam eligeres, spineam elegisti, quam ipse Christus, illico capiti tuo imposuit: quem ægrum visens Christus, divino viatico recreavit. Impetra mihi solidam Jesu imitationem, erga Mariam amorem, erga proximum charitatem.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. Maria, *quæ, una cum hodierno* s. Laurentio *Episcopo visa es pro cujusdam anima in periculo posita Deo supplicare. Ora & pro mea, ut hæc omnia, & ultimum ac maximum periculum evadat felix!*

15. *Novembris.* 17. *Kal. Decemb.*

Sancte Leopolde pie, *Austriæ* Marchio; quem Innocentius Pont. peculiarem s. Petri filium dixit; qui auream tuam dexteram in egenos, & ad fundanda Deo sancta loca, liberali corde piè explicuisti totam, tibique thesaurum in æternitate condidisti, quo frueris; cui templum Beatissimæ Virginis condere molienti, locus templi è cœlo est ostensus: quem post mortem stupenda miraculorum & multitudine, & admirabilitate honoravit Deus. Ora pro me ut sim verè, seriò, ex radice pius; sim verus s. Petri, ac totius militantis & triumphantis Eccle-

siæ

ſiæ filius; ora ne ſim parcus in obſequiis Dei mei; ſed tametſi auro non potero, pietate, virtute ſolida liberaliter me impendam, & ſuperimpendam honori Dei, cultui MARIÆ, ſanctitati, æternitati. Longa eſt æternitas; meretur liberaliſſimos labores. Impetra ergo, ut & ipſe ſim liberalis erga ea; quæ Dei ſunt, & Deum in morte, ac æternitate mea erga me experiar liberalem; utpote cui vires meas, tempuſque omne libentiſſimè expenderim, quia idipſum tu impetraſti. Amen.

s. Eugeni Ep. M. gladio confoſſe, regiis Philippi ſecundi Catholici Regis humeris in templum tranſlate.

s. Felix Ep. à decimo quinto ætatis anno miraculis clare, cum aliis triginta Martyr.

Sancti Guria & Samona, MM. quorum ope Euphemira à marito impio tumulo incluſa, incolumis reſtituta eſt matri divinitus.

s. Abibe, unguibus lacerate, in ignem conjecte, Martyr.

Sancti Secunde, Fidentiane, & Varice, Martyres.

s. Machute Ep, à tenera ætate miraculis illuſtris, cui Angelus, & què ire, & quid agere; & quò reverti, ac ubi mori debebas, dixit.

s. Luperi Ep.

s. Hypati Ep. qui ſorices, aliaſque peſtes regionem vexantes, verbo extinxiſti; noctu ambulans inſtar ſtellæ fulſiſti; à dracone theſaurum Imperatoris liberâſti, & lapidibus obrutus obiiſti Martyr.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. *MARIA, quæ templi tui Conſtantinopolitani*

architectum, quomodo columnas ingentes elevare deberet, docuisti. Juva me, & fac ut etiam quæ ingenio ac viribus meis videntur difficillima, ea tamen pro tua gloria, à te adjutus, benè, ac scitè, ita ut tibi placet, perficiam!

S. *MARIA*, *quæ hoc die* s.Paulum *sanctæ* Francis-cæ *magistrum dedisti, qui eam contra scrupulos ad amorem Dei hortatus ei suasit, ut te consultricem sequeretur. Imprime cordi meo, tuo discipulo, tua consilia, & impetra mihi amorem Dei, qui faciat, ut ea obedienter sequi possim, & perseveranter velim corde tenero, non scrupuloso!*

S.MARIA, *quæ hoc eodem die* Franciscæ, *in cubiculo oranti, & ad JEsum, ac ad te prope thronum adduci jussæ, per S.Paulum nuntiasti:* In divino amore firma persiste. Ego sum nuntius hujus Reginæ, in throno sedentis. Habe cor mundum, ac liberum. Renova te per amorem. *Deinde regulam illi tradens, etiam jejunia quædam, ex* amore Dei, *suscipienda suasisti, monerique jussisti,* animas pigras, dæmone id perurgente, contemnere honorem Dei. *Renova me in amore, Domina & confirma; qui amor animam meam tepidam, pigram esse non sinat!*

16. *Novembris.* 6. *Kal. Decemb.*

SAncte Edmunde, qui duas has voces *Ave Maria*, in annulo insculptas portasti, ut MARIAM semper ferres in oculis: cui in scholis pagellas tecum evolvens assedit puer JESUS; & foris divina meditanti, dum alii ludebant, apparuit cælesti specie pulcherrimus, JESU nomine, in fronte insignis, docuitque; ut contra repentinam mortem, Crucem semper fronti cubitum abiturus imprimeres, diceresque

rumque, Jesus *Nazarenus, Rex Judæorum!* qui semper coram eburnea Mariæ Magistræ tuæ imagine studuisti, s. Joanni Apostolo devotissimus, qui sæpe purissimum corpus reti aspero involvisti; qui à dæmone à te victo cùm quæreres, quibus rebus maximè arceretur? illum dicentem audisti: *Per virtutem Passionis Christi, & dispersionem sanguinis ejus,* qui matri tuæ per quietem ostensus est, coronam spineam gestans in capite, quæ vehementer accensa flammas vibrabat usque ad cœlum: qui puellam tuæ puritati infestam, acriter verberasti, & ab omni sordium illecebrâ in omnem vitam liberasti: qui moriens inter mille ad Mariam suspiria, inter mille oscula Crucifixi, ajebas: *Mi,* Jesu, *te testem habeo, nihil me unquam expetivisse præter te!* Ora, Edmunde mi, Jesum tuum & Mariam, ne me improvisa morte mori permittant; sed faciant, ut sim semper paratus mori. Nihil gloriæ quæram extra illos, nihil laboris fugiam pro illis. Tu id effice, ut ita sæpe tenereque Mariæ *Ave* dicam, ut & illa me morientem salutet, & dilectam hanc sibi animam hinc educens, commendet Jesu Nazareno Regi Judæorum, Amen.

Ss. Ruffine, Marce, Valeri, & socii Martyres.

s. Elpidi ordinis senatorii: Ss. Marcelle, Eustochi & socii, omnes equis indomitis alligati, raptati, deinde per ignem Martyres.

s. Eucheri, qui è senatorio quoque ordine religioni, jejuniis, ac silentio te dedisti, & postea doctrinâ, ac sanctitate admirabilis, in Episcopum, revelante Angelo, es electus.

s. Fidenti Episc.

s. Othmare Abba, contra quem conflatam calumniam, horrenda vindictâ falsam esse ostendit Deus: ad cujus sepulchrum cereus divinitùs ardere, neque consumi est visus; & inde sublata cera in lapidem est conversa; auditis illic etiam vocibus canentium Angelorum.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. *MARIA*, *cujus* S. *Joannis Evangelistæ honori*, s. Edmundus *orationem*: O intemerata, *quotidie recitabat*; *& quia semel omiserat, minaciter admonitus est à S. Joanne. Impetra mihi solidam in benè susceptis constantiam, atque flagrantiam!*

17. *Novembris*. 15. *Kal. Decemb.*

SAncte Gregori Thaumaturge, in mysteriis fidei, à s. Joanne Evangelista Theologo, MARIÆ imperio instructe; qui ut condendo templo parares locum orando, montem loco moveri, ac cedere coegisti, dæmoni silentium imposuisti; illum epistolæ tuæ obedientem habuisti; Lycum ne exundaret, baculo compescuisti; pacem inter fratres ut componeres, aquam litis caussam siccasti: cui obscœnam calumniam struens procax fœmina, à dæmone possessa est, & à te liberata. Ora illum, qui in te se verè mirabilem ostendit, Deum, ut & me mirabili sua ope protegat in æternum. Ora MARIAM, & Joannem, Magistros tuos, pro me, ut me docilem reddant Theologiæ æternitatis. Sim & ego miraculum tuum; ut mirabilis in Sanctis suis Deus, etiam in me sit mirabilis, & ego illi inter electos amabilis in æternum. Amen.

Ss. Al-

ss. Alphæe & Zachæe MM.

ss. *Acifcle* & Victoria, germani, qui è camino ignis ab Angelo exempti, exivistis psallentes; in aquam cum saxo dejecti, enatastis iterum psallentes, & vocem audistis Angelicam. *Non erunt irrita clientum nostrorum vota*; rotas igneas passi, illas orando disjectas in hostes ire vidistis; denique sagittis, & gladio Martyres occubuistis.

s. Dionysi, doctissime, & plurima passe, Episcope.

s. Aniane Episc. miraculis celebrate.

s. Hugo: qui molestas carnis tentationes orationibus, & jejuniis primò superasti; deinde illæ redulces oratione, & sancti tui mortui Magistri apparitione fugatæ sunt: postea Episcopus parvulum in sacratissimo Sacramento JESUM sæpe vidisti; & ipse post mortem apparuisti gloriosus.

s. Gregori Turonensis Episc. à D. Eligio, & à s. Martino è cœlo curate; ad orandum nocte Nati Jesu, à somno ab Angelo alapâ excitate, qui cum Gregorium Pontificem adires; & ille te corpore tam pusillo parvulum cogitaret; cogitationi illius respondisti verbis illis. *Dominus fecit nos & non ipsi nos; idem in parvis, & magnis.*

s. Eugeni, qui defunctum quendam aquâ benedictâ aspersisti, atque ut meliùs paratus moreretur, ad vitam revocasti.

s. Gertrudis V. cui cum se commendassent quædam, divinitùs monitæ ut id facerent, ab omni carnis tentatione sunt liberatæ, cujus Cor aperto lateris Jesu Vulneri admotum vidit s. Mechtildis; postquam te à tepore liberavit JESUS, quinque Vul-

Vulnerum monilibus ornatum se tibi ad spinarum sepes ostendens, & deinde Vulnera sua *Corde* tuo inscribens, ac nunc venusti parvuli, nunc sponsi, nunc crucifixi, nunc alia imagine tibi variè se exhibens in Sacro divini amoris arborem, ejusque folia & fructus tibi commonstrans; tibi *Matre* sua ostensa dicens: *Matri meæ adsta, & eam stude collaudare*, docensque te, quomodo illam debeas colere, ac salutare; se in corde tuo sepeliens; cor suum tibi ostendens, dansque pro templo; cor expurgare, orare, pati, desiderare cœlestia, festa celebrare, crucifixum amare, aspicere, imitari te docens; qualiter somnus, recreatio, cibus, & alia corpori necessaria sunt capienda, te instruens; te orante animas è purgatorio liberans; Sanctos suos tibi ostendens; animarum zelum tibi commendans; quæ in morbo extremo, per duas & viginti hebdomadas, muta jecuisti; animo semper tranquillo: quam in extremo agone invisit Jesus, cum Maria, & s. Joanne Apostolo, ac magno Cœlitum, Virginum præcipuè, comitatu; Corq́ suum apertum tibi monstravit, Angelis interea tibi canentibus: *Veni, veni, veni, quia te expectant cœli deliciæ, alleluja, alleluja!* Rogo te per omnes delicias tuas, impetra cordi meo Jesum & *MARIAM*, & verum spiritum amoris ac orationis, ut eos colam ita, prout volunt coli à me.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. Maria, *quæ* s. Gregorio *Magistrum* S. *Ioannem Evangelistam illi coram conspecta, dedisti. Doce me bene uti illis, quæ scio; doce me illa discere, ac retinere, quæ nescio!*

S. Maria, *quæ in* s. Gertrudis *corde flores plantare,*

&

& bestiolas accurrentes sub pallio protegere visa es; sit cor meum hortus tuus: admitte me, velut vile animal, sub tuum præsidium, ne peream!

18. *Novembris*. 14. *Kal. Decemb.*

SAncte Odo, qui dum sancti tui Martini sepulchrum noctu inviseres, diu comite itineris lupo es usus, dæmonibus te variè, sed nequicquam ab ea pietate deterrere conaris: qui æger vocem divinitùs Missam audisti, quæ tibi dicebat; *O sancta, & dilecta Deo anima, instat quidem tua vocatio, & ultima corporis resolutio; sed Martinus te precibus differt*; quem ut à nimia prophanorum librorum lectione deterreret Deus, tibi vas plenum serpentibus ostendit; ut ibi videres, quasi quidam libri veneno pleni essent: cui calamum D. Gregorius porrigere, & dirigere, ac ad scribenda divina hortari te visus est: qui Patri virorum, matri fœminarum cœnobium persuasisti. Adesto mihi & oranti, & legenti, & quicquid denique agenti, & præcipuè morienti, tuâ, & tuorum, Martini, atque Gregorii, patronorum ope. Absit à me, quicquid veneno suo potest me tradere morti æternæ. Auferat ab oculis meis, à lingua, ab auribus, à corde meo, quicquid à me videri, dici, audiri, cogitari non vult Deus; ut me totum quantum, & spirantem, & exspirantem vindicet sibi æternùm. Amen.

S. Petre, pro cujus honore ad Dei gloriam positurus Basilicam Constantinus Imperator, diademate posito, humi jacens vim lacrymarum profudit; ligone, ac bidente ipse terram eruit, & duodecim

Apostolorum honori, duodecim, terræ cophinos abstulit, Basilicam condidit.

s. Paule, cui idem magnificentissimam Basilicam posuit.

s. Romane, equuleo torte, qui ex ore infantium Dei laudem miraculo perfecisti; & postea igne, in quem conjectus fueras, per ignem cœlestem extincto, sine lingua Dei laudes locutus, in carcere laqueo strangulatus es Martyr.

s. Barula, puer parvule, qui à s. Romano rogatus, unumne, an plures Deos præstaret colere? dixisti, unum, & quidem illum, quem Christiani colunt, qui inter verbera sitiens, à matre animatus, & sitim pro Christo, & gladium cervice tenella passus es fortiter, & libenter.

s. Hesychi miles, in fluvium cum saxo præcipitate Martyr.

s. Oricule, qui præcisum pro Christo tuum caput in fonte lavasti, ad sepulchrum deportasti, & sanguine tuo signum Crucis in lapide descripsisti.

s. Ado Abba.

s. Maxime Episc. ob zelum orthodoxæ fidei septies per hæreticos exul, septies restitute.

s. Thoma, ob sedatam tuis precibus pestem, annuâ solemnitate culte.

s. Frigidiane Episc.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *de qua cum audisset hodiernus* s. Odo. *te moribundo cuidam ejus monacho dixisse* : Ego sum Mater misericordiæ, *illo te semper nomine appellavit. Fac, per tuam misericordiam te rogo, fac me talem, ut te verè Matrem misericordiæ merear etiam moriens experiri!*

19. No-

19. Novembris. 13. Kal. Decemb.

SAncta Elisabeth, Regis Hungariæ filia, quæ in templo coram Crucifixi spinis coronati imagine coronam auream de capite deposuisti; quòd te auro coronatam illi adesse puderet; quæ in divino sacrificio divinâ luce perfusa conspecta es: quæ cum vestem tuam pauperi dedisses, comparuisti mundo muliebri pretiosissimo, hyacynthini coloris veste, gemmis undique nobili cœlitus adornata. cui spectatus è cœlo te visens JESUS dixit: *Si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum, & nunquam volo a te separari*, quæ supplicem tibi è purgatorio matrem tuamReginam coram te per quietem vidisti, dicentem: *Dilecta filia ora pro doloribus meis, quos adhuc patior; quia negligenter vixi, potes enim.* Postea fusis pro ea precibus & lacrymis, eandem liberam vidisti dum gratias tibi agens diceret; preces tuas omnibus qui à te pro se orati petierint, profuturas. O mater pauperum, quæ juvenem quendam igne turpi seductũ ab impuro dæmone, tuis precibus divini amoris igne validissimè ad sanctæ, ac repentinæ mortis usque periculum accendisti: quæ demum cœlesti quodam dulcissimè concinnentium è cœlo, quasi avicularum, cantu recreata, inter canentes Angelos canens & ipsa spiritum reddidisti, à Christo tibi præsente hisce verbis invitata; *Veni dilecta mea in præparata tibi habitacula ab æterno!* ad cujus sepulchrum quidam à carnis sordibus, alius à superbiæ genio, alii à malis aliis liberati sunt; oleo quoque mirabili de tuis ossibus emanante. Accende me

illo, quo JESUM in Cruce, MARIAM in plenis miraculorum imaginibus amasti cœlesti igne. Plus potes in cœlis, quàm in terris potueris. Feliciter extinguar, si corde ita succensus emoriar. Sic non ardebo æternùm igne infelicis æternitatis, sed igne immortalis Dei. Si verè in igne purgante arsero, tu me eripias; sicut inde eripuisti matrem tuam. Amen.

s. Pontiane Papa, fustibus in exilio mactate Martyr.

s. Abdia Propheta,

s. Maxime Presb. Martyr.

s. *Barlaam*, qui enormi crudelitate flagellatus, dexteram tuam thure plenam, igni ea spe ab ethnicis admotam, ut igne superatam laxares, & in subjectum ignem thus demitteres, quasi Diis sacrificans; tu tamen in pugnum compressam tamdiu, dum illa absumeretur, fortissimè tenuisti.

s. Crispine Epic. capite am putato Martyr.

Ss. Severine, Exuperi, & Feliciane *Martyres*, qui post mortem etiam apparuistis gloriosi.

s. Fauste, grandæve senex, gladio Martyr.

Ss. Aza, & socii centum quinquaginta milites *Martyres*.

s. Patrocle, cui ad sublimem columnam educto Angelus Custos orbis terrarum scelera, & horibilium omnium terribilissimam inferni æternitatem ostendit.

s. Peregrine, quem de paterno regno cum fratre litigantem Angelus monuit, ut cœleste potiùs regnum peteres peregrinus; cui stipem petenti panis ab hominibus negatus, è cœlo porrectus est.

s. Fri

S. Frigidiane Ep. Scotiæ Regis fili, ad cujus preces mortui redierunt ad vitam ; & ingentis molis lapis, qui nulla vi moveri poterat, nullo negotio est translatus. Cujus corpus Lucæ, post ducentos años, divinitùs repertum est, quando mortuæ puellæ corpus tumulo tuo illatum ad vitam rediit, clamante puellâ : Tollite, tollite hinc me, quia super beatissimi Frigidiane corpus me posuistis, indignum quippe est, ut tradendum vermibus corpus sanctissimo corpori superponatur, quibus dictis iterùm obdormivit.

S. Mechtildis Virgo, vera carnis tuæ hostis, quia vera divini amoris discipula; quæ amare, ac attentè orare, à Seraphinis, à Seraphinorum Regina, à Deo didicisti : quæ consultricis *MARIÆ* consiliis obedienter paruisti: cui Christus cor suum obtulit pro felici hora mortis, in pignus felicis prædestinatorum æternitatis : quæ à Christo mira vitæ cælestis mysteria edocta, illud quoque audisti, cùm diceret feria sexta Parasceves: *Homo qui tentatur, quot tentationes in meo nomine superat, tot in meo capite gemmas ponit*, quam ultimùm ægram solata est Maria, & viaticum Angeli porrexêre. Virgo Angelica, Mariana Virgo, hæc mihi morienti solatia impetra, ut Jesum, Mariam, Angelos, unà tecum habeam protectores; & crebro, sanctoque Eucharistiæ usu, benè ad ultimum illum exitum paratos à Jesu, à Maria, ab Angelis, mihi morienti contra hostem assistentibus, reperiar ; & sicut tu moriens, à Jesu, *Veni benedicta!* dicente, invitata es, & ego inviter.

OMNES SANCTI, &c. pag. 185.

S. Ma-

S. MARIA, *quam etiam in imaginibus tenerrimè coluit Sancta tua* Elisabetha, *Regina Hungariæ: tuæque ab illa in pretio habitæ statuæ, nunc etiam in honore sunt Hallis, atque Vilvordiæ. Fac; ut te omnibus optimis & maximis modis colam, quia Dei Mater es!*

S. MARIA, *quam hodierna tua* S. Mechtildis *vidit, quòd gestares in pectore Salutationem Angelicam, literis aureis exaratam. Doce me ut sic te salutem, ut singula quæ dico, tuo cordi literis aureis inscribantur aureo flagrantissimæ charitatis!*

S. MARIA, *cujus Rosarium vesperi sub suo cervicali collocabat, cubitum iturus* Sanctus tuus Ignatius, *cujus ossa hoc die anno* 1587. *translata, à pluribus conspecta sunt divinitùs velut stellis micantibus aspersa. Illumina oculos meos, ne nunqam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum!*

20. *Novembris.* 12. *Kal. Decemb.*

SAncte Dasi, qui cum videres, quod Dorostorenses juvenem nobilissimum, atque pulcherrimum electum quotannis, ac triginta dierum deliciis saginatum, & auro coronatum Saturno sacrificarent, Christi esse, cæso capite, victima elegisti, quàm immolare, vel immolari Saturno. O victima pulcherrima, pretiosissima, electa! saginet morti æternæ suis deliciis suos mundus ad æternam famem, & sitim! Tu pro me ora, ut hic esuriam potiùs, quàm æternùm. Nolo hic illas quæ me ad amaritudinem æternam ducunt, delicias. Ora ut vivens & moriens, & in æternitate sim Dei victima solius, unius & semper, Amen.

Ss. Ampele, & Cai, Mm.

Sancti Octavi, Solutor, & Adventor, Martyres.

s. Agapi, quem (libertate donato impio sui Domini homicidâ) tyrannus urso prædam esse voluit, posteà in mare abjecit.

s. Nerla Ep. & socii, Mm.

Sanct. Eustachi, Thespesi, & Anatoli, Mm.

Ss. Basse, Dionysi, Agapite, & alii quadraginta Mm.

S. Eadmunde Rex, confosse sagittis, miraculis gloriose.

S. Gregori Decapolita, pro sacrarum imaginum cultu multa passe.

s. Benigne Ep. in magna perturbatione dexterrime Ecclesiæ tuæ gubernator.

s. Silvester, sancte senex Ep.

s. Simplici Episc.

s. Raphael Archangele.

s. Theoneste, inter duas rotas clavis gladiisque contextas suspense, Martyr.

s. Bernvvarde Ep. quo mortuo, è cœlis apertis hæ voces auditæ sunt: O felix anima Bernvvardi, cujus merita adhuc hominibus sunt incognita. Deo autem, & nobis valde nota! qui & ipse post mortem gloriosus apparuisti, ac dixisti; *Centuplum recepi, ac in jubilo vitam aternam possideo.*

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, qua horrendum, & latè serpentem cancrum, sub tertio Sacro coram tua imagine celebrato, repentè curasti. Sana me. Fac, ut non solùm non serpat in me id, quod tibi displicet; verùm etiam

ut semper in eo, quod tibi placet, plus ultrà proficiam!

21. *Novembris.* 11. *Kal. Decemb.*

O Deo, Angelis, hominibusq; amabilis Parvula, triennis MARIA, quam Joachim & Anna, parentes felicissimi, trimulam hodie in *Sanctis* sanctorum victuram Deo, præsentârunt in templo, munus præ omnibus hactenus datis majus! Offer me nunc, & in agone meo munus Sanctis sanctorum æternis! ut ita vivam, sicut illi, qui nomina sua Deo id illis ostendente, viderunt inscripta in *Sancta* sanctorum. O certè tunc ero totus tuus, si ita sacrosanctè vixero, quasi me scirem pertinere ad illa Sancta sanctorum! O templum Dei! O Sancta sanctorum! Ego me tibi præsento in servum. Ad te id jam, Domina, ad te unicè id pertinet curare, ut ita vivam, ita moriar, sicut decet tuum, & à te in templum gloriæ, in *Sancta* sanctorum præsentandum. Maternæ tuæ curæ hoc ipsum transcribo, ac me aliter, quàm tibi dedicatum, & prædestinatum decet, vivere permittas. Potes hoc; impetra hoc mihi, ô dulcissima Parvula, thesaurus electorum, amœnitatis paradisus, tenerrimi amoris perennis fons, æternitatis delicium sempiternum. Amen.

S. Rufe, primitivæ Ecclesiæ fidelis fili.

Ss. Celse & Clemens Mm.

Ss. Demetri & Honori. Mm.

S. Alberte, ob defensam libertatem Ecclesiasticam Martyr.

Sancti Honori, Eutychi, & Stephane, Martyres.

S. He-

S. Heliodore M. cujus exemplo ipsi etiam tortores conversi, mari mersi sunt.

S. Gelasi Papa, doctrinâ & sanctitate conspicue.

S. Maure Episc.

S. Joannes, Angeloptes ab Angelis visis dicte; cui mysteriis operanti Angelus calicem palàm porrexit.

S. Columbane, quem utero gerens mater, vidit per quietem, se Solem in mundo effundere; cui mirum in feras ac dæmones imperium dedit Deus; cui annona divinitùs allata, & in horreo aucta est: qui ut maximum animarum zelum imbiberes, depictum in membrana Orbem universum, tibique ab Angelo Custode ostensum vidisti, & animarum zelo ampliùs accensus es.

S. Maure M. qui vocem è cælo audisti dicentis: *Surge Maure; quia Deus, quem colis, te non despexit*; & sic horrenda ignis ac ferri tormenta vicisti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *hodie oblata Deo in templo: fac me templum gratiæ Dei: offer me templo gloriæ; ut sim ædificatio Dei, pone in corde meo altare aureum amoris Dei; ut ille me faciat vivum & electum lapidem; ac sim inter ignitos lapides in illa Vrbe amoris Dei, cujus turres gemmis ædificabuntur, id est, amoris actibus pretiosis!*

22. *Novembris.* 10. *Kal. Decemb.*

ANgelica, & læti inter organa, quæ Deo canens tangebas, ac immaculati cordis, & semper

Evangelii libro, velut fasciâ pectorali, muniti pectoris Virgo Cæcilia penes quam Valerianus Sponsus tuus vidit virginitatis tuæ Custodem Angelum, pennis flammeis, vultu scintillante, coronas duas è rosis ac liliis textas tibi ac ipsi dantem, atque dicentem: *Has coronas corde immaculato, & puro corpore custodite: nunquam marcescent à vobis! neque unquam amittent suavitatem odoris, neque poterunt unquam ab aliis aspici, nisi à castis*, quæ virginitatem, tametsi ab *Angelo* custoditam, tamen cilicio, oratione longis etiam tridui jejuniis ac lectione sacrâ custodisti,; & posteà tribus pro Christo acceptis in collo vulneribus, illibatam in tumulum intulisti, quando lætem animam deposuisti in sinum Jesu, quem terno illo castissimi tui colli vulnere vulnerâras, quæ post mortem dixisti; corpus tuum à Longobardis non fuisse repertum *gratiâ Dominæ tuæ semperque Virginis Dei Genitricis* MARIÆ, Commenda me illi; commenda me Custodi meo Angelo; & tenerum, solidumque illius oculum cordi meo persuade, ac imprime, Pete mihi, pro sancta ad mortem, & videndum Deum præparatione id, quod pro te petivisti à Deo: *Fiat Domine, cor meum & corpus meum immaculatum, ut non confundar*: idque *expansis manibus*. ac *biduanis & triduanis jejuniis* additis, postulabas, Deo *quasi apis argumentosa deserviens*. Amabas, laudabasque Tiburtium; *quia amor Dei eum fecit contemptorem idolorum*. Fac, ut omnis mei amoris fons sit unicus amor Dei: fac, ut Christus *seminator casti consilii* riget, ac ad incrementum perducat seminum fructus, quos per suas inspirationes in corde meo seminavit,

vit, & seminare non desinit in Communione, sermonibus, libris. Te in balneo comburi jussam, tota die ac nocte in igne flamma non attigit. Extingue à me aliam omnem flammam: accende illam, quâ cor tuum arsit hic, ac ibi ardes, ubi & amas, & amaris à Deo, sonent in corde meo illa tua organa, quibus amorem Dei canebas. *Amor Dei* Valerianum tibi dedit, det me Deo, ac tibi. Triduanas à Deo inducias poposcisti, ut domum tuam Ecclesiam consecrares; impetra mihi (maximè pro ultimo triduo vitæ meæ) ut cor meum, corpus meum sit consecratum amori Dei vivi & veri. *Cor tuum igne cœlesti ardebat à colloquiis divinis, & oratione.* Ardeat & meum, tu illud vivo tui cordis igne accende, qui me loqui Deo, ac de Deo doceat, & amare Deum amore actuoso. Amen.

Sancti Philemon & Apphia, verberibus cæsi, in foveam usque ad renes inclusi, lapidibus oppressi, Martyres.

s. Maure Martyr.

Ss. Marce, & Stephane Mm.

s. Pragmati Episc.

OMNES SANCTI, &c. pag. 185.

S. MARIA Silvaducensis, quæ energumenam à viginti quinque dæmonibus liberâsti, cùm votis aliis pro illa factis illa quoque promisisset, se tibi monile omnium suorum monilium charissimum oblaturam. Libera me ab omni eo, quod mihi obesse potest, & accipe cor meum, monilium omnium longè charissimum!

23. Novembris. 9. Kal. Decemb.

SAncte Clemens Papa, cui JEsus Agni specie fontem vivum elicuit; qui multis millibus ad Christum conversis, anchoræ alligatus, mari mersus es, cui templum in ipso maris fundo Cælites posuêre: ad quod euntibus Christianis, aperto aquarum sinu, mare iter præbuit, & parvulus, qui istic manserat, vivus ad corpus tuum postmodum repertus est festo tuo annuo redeunte, dicens; se à te custoditum & splendidè castum quotidie. Roga tuum illum Agnum, ut me fonte vitæ ita nunc, & morientem recreet, ne me ad æternam Epulonis sitim abjiciat, sed potet torrente voluptatis perpetuæ. Sim ego templum illius in hoc mari alto: cor meum sit ara maxima, & tabernaculum, in quo æternum sit Deus cordis mei. Amen.

S. Felicitas, quæ septem filiorum corda cœlesti amore adhortando accendisti, & ad martyrium prima venisti; sed illis præmissis octava pervenisti, decollata pro Christo.

S. Lucretia V. Martyr.

S. Sisini, gladio Martyr.

S. Clemens, Metensis Apostole, qui extincto exitiali dracone, aram erexisti, *Deo vivo, monstrorum infernalium domitori.*

S. Gregori Ep. Apostolorum Pontifici apparentium monitu in Episcopum electe; cujus divina celebrantis capiti columba visa est insidere; quem Angelus perfractis catenis tuis absolutum solatus est, & amplexus, qui de turpi facinore accusatus, obsess-

obsessam à dæmone puellam impudicam liberâsti, quæ se non tecum, sed cum illis, à quibus accusabaris, turpiter versatam palam facta est; & illi repentè colore tetro deformes horridum sui spectaculum omnibus præbuére. Fac me dignum amplexibus Angelorum.

S. Ampilochi Ep. visi ab Angelis consecrari; cui templi portæ clausæ ultrò divinitùs patuêre. Doce me in Sanctis sanctè versari.

S. Trudo Presb. cui per quietem apparens Angelus dixit: *Pax tibi, servorum Dei devotissime, inter cœlestis curiæ senatores civis jam designate. Ne deseras, quod cœpisti, propositum*, cui è cœlo lux visa est imminere; qui orando fontem è terra elicuisti, vertem efferum domuisti, Vitæ tuæ scriptorem animam jam agentem restituisti; & eos, qui te monebant, ut in corpus tuum mitior esse inciperes, amicos non benè misericordes, atque onerosos consolatores vocâsti, accende me irâ sanctâ in carnem meam.

OMNES SANCTI. &c. pag. 185.

S. MARIA, quæ Sabaudæ Principi acutissima podagra cruciatæ adfuisti, & hortata es ad illos dolores usque ad vitæ finem gratâ patientiâ tolerandos; posteà quoque eidem visa, ejus preces exauditas esse dixisti. Doce me *orare, doce pati, ita uti tu id à me fieri desideras!*

24. *Novembris.* 8. *Kal. Decemb.*

S. Firmina V. cujus puritatem miraculo defendit, & effuso è cœlo lumine laudavit, simulque centum & quinquaginta animas convertit Deus; quam amplecti volenti; juvenis manus exaruerunt;

runt; idemque à te postea persanatus, conversus, & ante te martyrio coronatus est: quæ idolum flatu dejecisti, & confregisti; quæ de capillis suspensa, & varie cruciata, post flagra, & lampades lateribus tuis admotas, innocentem spiritum è corpore lacero expirasti. Impetra mihi castissimis tuis precibus, ut semper, & omnia faciam ad lumen Dei, ad illustrissima illa effata Theologiæ Dei; cuivis actioni meæ in densa hac vitæ nocte, suum lumen in intellectu meo accendat, suo igne voluntatem meam inflammet Deus: ut ille sit mihi lumen etiam morienti; & in illius lumine videam, ac vivam etiam post mortem. Amen.

S. Chrysogone, post biennii carcerem securi percusse, & in mare abjecte Martyr.

s. Crescentiane M.

s. Alexander M.

Sanctæ Flora & Maria, post diuturnos carceres gladio interemptæ, Mm.

s. Felicissime M.

s. Protasi Episc.

s. Romane Presb. & s. Portiane Abba, uterque miraculis magne.

OMNES SANCTI, &c. *pag. 185.*

S. *MARIA, montis Serrati, cujus ope, sine lingua locutus est quidam, cui latrones linguam absciderant, Tu mihi cor, tu linguam rege; tu lingua mea silentium; tu verba impetra, fac me perfectum!*

25. *Novembris.* 7. *Kal. Decemb.*

SAncta Catharina Virgo sapientissima, quæ convictos disputando Philosophos & Oratores, cum ducen-

ducentis militibus martyres præmisisti, & Augustæ Imperatrici per te conversæ, atque ad caput pro Christo deponendum eunti teque alloquenti, dixisti: *Vade in pace æternum cum Christo regnatura.*! quæ denique contemptis Imperatoris amoribus & minis, duodecim diebus à columba in carcere pasta, ab ipso JESU ad constantiam confirmata, rotæ crudelis machinâ per Angelum dissolutâ, capite plexa, lac è corpore fudisti & sanguinem; & in monte Sinai ab Angelis sepulta es. Doce me, Virgo doctissima; converte me, ut totus ab iis, quæ Deus non amat, aversus, totus convertar ad JESUM, & ad me morientem sit conversio ejus; ne me projiciat à facie sua, sed ostendat mihi benignam faciem suam æternùm. S. Catharina Virgo Martyr. quæ hoc tuo die S. Mechtildi apparuisti, cum veste aureis rosis distinctâ, quæ aureis manibus tenebatur: eamque docuisti animam, quoties divino epulo pascitur, toties renovari. Renova me quoque, fac, ut omnia, quæ patior, patiar Dei amore, fac, ut aureæ sint meæ manus, id est, opera, è puro Dei amore suscepta. Gratulor tibi, & gratias ago Deo pro illo gaudio, quò recreata es in morte, voce, quâ te Sponsus JESUS ad se ad cælum invitabat, auditâ, quo tempore, dixisti posteà, cor tuum *tanto amore* fuisse succensum, ut omnis horror mortis ab eo sit absorptus. Commendo tibi extremum articulum vitæ meæ, habe tunc mei curam; ut magno, magno Dei amore accensus, eò abeam, ubi tu à S. Francisca Romana conspecta es, & audita cum S. Maria Magdalena canere laudes dilecti tui JESU. Fac; ut faciam id ad quod aliàs Franciscum hortata es, cùm diceres,

res,

res, eam ad amorem Dei invitans; *Respice pulchrum illum*. Doce me illum ubique respicere, ac amare. S. Catharina, quæ à s. Gertrude in throno conspecta es, quinquaginta Oratoribus, à te conversis, aurea sceptra tenentibus. Converte me quoque, ut seriò convertar; ut me aureo divini amoris sceptro regi obedienter sinam; ac aureum amoris mei sceptrum uni illi sceptro submittam. S. Catharina, quæ Joannæ Aurelianensi, mirabili Virgini, oranti non semel conspecta, ensem illi designasti: qui tuo in templo repertus, cùm totus obsitus esset rubigine, repente in manibus tractantium, abstersâ rubigine omni resplenduit. Doce manus meas ad prælium, & victoriam contra hostes animæ meæ. Absterge rubiginem pigerrimi cordis mei; ut renovatus spiritu mentis meæ, me sanctè pervincam, Amen.

S. Moyses Presb. Martyr eximie.

S. Erasme Martyr.

S. Mercuri miles, custodientis te Angeli visione monite, de Persis victor; in carcere visitate à Christo, dicente: *Mercuri quiesce; cursum consummasti, fidem servâsti; accipe coronam tuæ decertationis*: postcà pro Christo decollate; qui etiam post mortem cruentam Juliani Apostatæ, per te extincti, sanguine hastam habere visus es illi, qui coram MARIÆ Deiparæ, tuaque imagine contra infelicem Julianum oravit.

S. Jucunda Virgo Angelica, quæ tibi pro imagine ac exemplari vitam Dei Matris imitandam proposuisti, eoque retulisti omnia, quæ agebas, fac, ut te imiter.

OM-

OMNES SANCTI. &c. pag. 185.

S. MARIA, *quæ hodiernam* s. Catharinam, *sæpè comitem tecum habere visa es, cùm tuos clientes dormientes viseres, cum alium ad puritatis studium & spem animaret, & aliàs. Serva mundum, vigil modestum cor meum: Tibi dedico somnum meum, & vigiliam meam!*

26. *Novembris. 6. Kal. Decemb.*

SAncte Conrade Comes, postea Episcope, divinis cum s. Udalrico habendis colloquiis addictissime; qui geminas in Rheno animas purgatorium pati unà cum eodem vidisti, & illas factis uterque sacris Missæ sacrificiis, ex illis cruciatibus exemistis. Ora una cum sancto illo amico tuo, ut de iis, de quibus Deus vult, delectet me loqui. Sed & mortis meæ vos duos facio advocatos, ut ita sanctè purgatus hinc abeam, ut igne purgante non egeam; vel citò indè ad vos evocer ad illa gaudia, in quibus æterna nobis erunt de præsente nobis Deo, deque rebus absque ullo fastidio jucundissimis colloquia. *Amen.*

s. Petre Ep, capite obtruncate. *M.*

Ss. Fauste Presb. Didi, Ammoni, Philea, Hesychi, Pachomi, Theodore, & alii sexcenti sexaginta MM.

S. Marcelle Presb. è rupe præcipitate Martyr.

s. Belline Ep. *M.*

s. Amator Episc.

B. Sylvester, qui aperto sepulchro, visoque adolescentis ad miraculum olim formosi putidissi-

mo ad oculorum, & stomachi honorem cadavere, lacrymis, & ardentissimis suspiriis, ac verbis plenus, vale mundo, vale luxui, ac iis, quæ mundus amat, æstimatque, fecisti, qui lupum cubiculi tui custodem habuisti, saxum ingens, Crucis signo facto, facilè movisti, à dæmone præceps & saucius, à Deipara cubiculo ac sanitati es restitutus; ac ejusdem ope, divino pane pastus, miram divinarum Scripturarum peritiam es adeptus: cui oranti, lacrymanti, seque inclementer verberanti, præsepe nascentis Christi, & hortus Christi resurgentis ostensus est, qui fluentem è sacris reliquiis sanguinem vidisti; & moriens in luce mirabili ab Angelis deduci es visus ad cælum. Doce me JESUM & MARIAM tenerè solideque amare.

S. Alypi, matri antè quàm nascereris, ostense in symbolo agni, in cujus capite duo cerei collucebant, cui per quietem visa s. Euphemia V.M. te in tuam patriam invitavit: cujus vertici visa est è cælo lux imminere. Impetra capiti & cordi meo lucem Dei.

s. Basole.

s. Styliane Anachoreta.

s. Nicon.

s. Genofeva V. hodie culta in Gallia, ob beneficium *in miraculosa ardentium infirmorum* curatione, quos in verendi peccati pœnam ignis immaniter depascebatur.

s. Jacobe, sacco cilicino duobus circulis ferreis adstricto, catenis per collum, & brachia onuste, mortui excitator, dæmonum victor.

OM-

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. *MARIA, quæ* s. Sylvestrum *ad* S. *Eucharistiam invitans, dixisti* : Visne, fili mi Sylvester, corpus Filij mei Jesu Christi recipere? *& illum illâ refecisti*; *Dispone me ad illud Angelicum Sacramentum, nunc & pro viatico quàm optimè recipiendum!*

27. *Novembris.* 5. *Kal. Decemb.*

SAncte Maxime Episc. qui unico sancti tui oris halitu canem rabidum extinxisti, vulnera ab illo inflicta sanasti, virginitatem tuam continuâ oratione, ac cilicio perpetuò custodisti, & cum eodem sepeliri voluisti; post mortem odore cœlesti fragràsti, & cum Ss. Petro ac *Andrea Apostolis* visus es gloriosus. Defende me à cane illo rabido, à dæmone, à mundo, à me ipso. *Affige* cælo mentem meam; ut semper in omnibus, quæ illam distrahunt, collecta maneat, & composita ad nutum oculorum præsentis ubique Dei. Extingue & apertam, & occultam sub melle rabiem canum quærentium ad perditionem unicam animam meam: ut illa in morte à tot rabidorum dæmonum, amicorum, hostium, affectuum, tentationum morsibus integra, & pugnando ac vincendo fessa, conquiescat in sinu Dei: *Amen.*

Sancti Basilee Episc. *Auxili*, & *Saturnine*, martyres.

s. Jacobe intercise, qui optimarum primus, in Regis Persæ gratiam à Christo defecisti, & matris, ac uxoris sanctis odiis atribusque ad Christum reversus, crimen lacrymis & sanguine diluisti, quãdo

pro Christo juncturis & articulis quibusque membratim resectis, ejusdem Regis jussu capite obtruncatus es.

Innumeri vos reliqui, eodem tempore passi, Martyres.]

Sanctæ septem mulieres Mm.

s. Hirenarche, illarum constantiâ ad Christum converse.

s. Acaci, unà cum Hirenarcho securi percusse, Martyr.

Ss. Facunde & Primitive, Mm.

S. Valentiane Epis.

s. Josaphat, Regis fili, qui à Barlaamo dolo sancto, ac verâ æternitatis explicatione conversus, inter vehementes à mundo, carne, ac dæmone irruentes tentationes, visis æternitatis deliciis, ac tormentis victor, patrem Regem convertisti, & regnum cum eremo, & vitâ asperrimâ, ac morte sanctâ commutâsti; sed ante mortem, paratam tibi ac patri tuo in cœlo coronam vidisti.

s. Barlaam, qui post mortem Josaphato dilecto tuo discipulo adfuisti, eumque instruens, te in æterna Dei Urbe gaudere, ac illum eò te secuturum dixisti.

s. Severine.

s. Virgili Ep. zelo plene.

s. Bilhildis, Vidua opulenta, deinde Sanctimonialis.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quæ dubiam hodie victoriam ad Gallos inclinâsti, & gloriosam fecisti, cum unus Gallorum militum exclamâsset* : O Virgo MARIA, ora pro nobis!

nobis! *Instrue cor meum talibus suspiriis, & precibus toto corde vibratis, ut vincam!*

28. *Novembris.* 4. *Kal. Decemb.*

SAncte Stephane, Deiparæ ope nate: cujus innocentiam Deus ita defendit, ut puritatis tuæ impuram calumniatricem gemmæ in ventre proles lacerârint; qui demum sacrarum imaginum acerrimus propugnator, vitam, quam MARIÆ ope hausetas, martyrio consummâsti. Utinam & ego hanc vitam, quam habeo, totam vivam JESU, & MARIÆ: illis impendam vires, illis animam! Ora, & impetra mihi hoc unum, hoc sanctum, ut non aliter velim vivere, nec mori velim aliter, quàm, tanquam natus ad hoc, ut vivam, & moriar JESU, & MARIÆ humillimus, & ferventissimus servus, & filius. Amen.

s. Rufe cum tota tua familia, Martyr.

s. Sosthenes, è principe synagogæ, s. Pauli discipule, pro Christo acriter verberate.

Ss. Papiniane, & Mansuete Episcopi, pro fide toto corpore candentibus ferri laminis adusti, MM.

Ss. Valeriane, Urbane, Crescens, Eustachi, Cresconi, Crescentiane, Felix, Hortulane, & Florentiane, in exilio exstincti.

Ss. Basili, Petre, Andrea, & alii trecenti triginta novem Monachi, unà cum s. Stephano, pro sacrarum imaginum cultu, per varia supplicia MM.

S. Galla Placidia Augusta, quæ Sanctum tuum Joannem Evangelistam, in maris tempestate vote

voto imploratum, in tua navi omnia disponentem vidisti, & ab illo servata es, Commenda illi & me; ne naufragium patiar nunc, vel in exitu vitæ meæ.

s. Gregori Papa tertie.

s. Oda V. *Scotiæ* Regis filia, cui oculorum lumen, tuis & s. Lamberti meritis exoratus, restituit Deus; ad cujus tumulum cæleste lumen apparuit; & commune illic ægrorum fuit refugium.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, quæ s. Stephani *hodierni matri, prolem petenti apparuisti, & exauditam esse dixisti. Sis magistra orationis meæ, ut ea petam, & eo modo, quo impetrem!*

29. Novembr. 3. Kal. Decemb.

SAncte Radbode Episc. qui Sanctorum Vitas suum speculum esse ajebas; cujus precibus aqua in vinum conversa est; qui asperrimo vitæ genere carnem macerans, omni carnium, ac vini usu tibi interdixisti; qui liberalis minister pauperum, pedes illis abluisti quotidie; cui ad concionem in corda fulguranti cum Dani obstreperent, peste omnes correpti sunt; qui denique inter orandum, præsente tibi dulcissimâ JESU Matre *MARIA*, Sanctisque Agnete, ac Thecla Virginibus, tuoque cum his patrono s. *Martino*, ac Willibrordo, & Bonifacio, felicissimè expirâsti. Adesse tibi morienti se voluisse ajebat Maria; eò quòd inter orandum nunquam tibi *Mariæ* memoria excidisset. *Ah!* sim & ego illius memor semper, ut illa sit mei tunc memor vel

maximè

maximè. Componam nunc vitam meam ad ſpeculum vitæ, ac mortis JESU, Mariæ, & tuæ, ut posteâ mors mea ſit ſpeculum mortis ſanctæ. Amen.

s. Saturnine Epiſc. qui deos gentium faciebas mutos, qui alligatis ad victimarii tauri latera pedibus, illo te raptante, corpore colliſo, excuſſo cerebro, animam dediſti Martyr.

Ss. Saturnine ſenex, & Siſini, carcere, equuleo, nervis, fuſtibus ſcorpionibus, flammis, gladio Martyres.

Ss. Paramon, & ſocii trecenti ſeptuaginta quinque MM.

s. Philomene, qui igne probatus, manibus, pedibus, & capite clavis confixo, martyrium conſummâſti.

s. Spes. Ep. ſuper cujus caput columba è cælo volitans, hæc verba ſcripta reliquit: *Corona hodie ſuper caput ejus pretioſa.*

sancti Blaſi, & Demetri.

sancta Illuminata V.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. *MARIA, quam quinque Nominis tui Pſalmis quotidie veneratus* Josbertus *hodiernus, ex ore, oculis, & auribus quinque roſas poſt mortem dedit. Doce me ſic orare, ut preces meas etiam poſt meam mortem probet ſancta æternitas!*

30. Novembris. Prid. Kal. Decemb.

SAncte Andrea, crucifixe Apoſtole, quem dilexit Dominus in odorem ſuavitatis, frater Petri; Joannis & poſteà Chriſti diſcipule! qui agnum immacula-

maculatum quotidie immolabas in altari, qui manducatus integer perseverat: qui crucem tibi paratam dulcissimè salutâsti: *Salve Crux*, ajebas, *quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata! Sciunt credentes quanta in te gaudia habeas, quanta munera præparata: Securus, & gaudens venio ad te: ita & tu exultans suscipias me, discipulum ejus, qui pependit in te. O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti; diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo; ut per te me recipiat, qui per te me redemit!* ita biduo in Cruce vivus, Deo, ac hominibus de Deo loquens; magnam animarum vim traxisti ad Deum, nec indè deponi voluisti; ac tandem cælesti splendore coruscus totus, abiisti ad Magistrum JESUM; Ægeas verò tyrannus tuus obtorso collo factus est dæmonum præda. Commenda me Crucifixo magistro tuo, crucifixe Crucifixi discipule; ne fugiam, sed sciam pretiosè æstimare dolores; neque à me auferri petam crucem, insigne prædestinatorum. Timere, amare discam à Crucifixo; ne sim *filius mortis, & stipula æternis parata incendiis*; id quod Cruci dixisti, experiar moriens, *quanta intra te gaudia habeas, ô Crux, quanta munera præparata, Amen.*

Ss. Castule, & Euprepi, MM.

S. Maura V. M.

S. Justina V. M.

S. Trojane Ep. cui s. Martinus Ep. post mortem igneo globo apparuit: qui sepultus in terris, in cœlo te vivere multis virtutibus manifestas.

s. Con-

s. Constanti, ab hæreticis, quibus resistebas, multa passe.

s. Zosime, sanctitate ac miraculis nominate.

s. Nathanael, verè Israelita, in quo dolus non est, à Christo amate, atque laudate.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. *MARIA*, *quæ* S. Andream *Episcopum*, *hodie natum sterilibus parentibus dedisti*, *& illi puero mater dicebat posteà*: Non nobis, sed B. Virgini MARIÆ natus es. *Fac*, *ut non mihi*, *sed tibi*, vivam, & moriar, tanquam dedicatus tibi!

ANNI CÆLESTIS

DECEMBER.

I. *Decembris*, *Kal. Decemb.*

SAncte Eligi, aurifaber, quem utero gerens mater, visa sibi est à pulchra aquila vocari per quietem: qui deinde in sacculo jam exhausto aurum dandum pauperibus divinitùs reperiisti: qui cùm coram sanctis lipsanis reliquiarum, quas habebas, frequenter, ferventerque precareris, responsum è cœlo accepisti; *Eligi*, *exauditæ sunt orationes tuæ*; simulque odore perfusus, guttas suavissimas ex lipsano thecula tua capiti imminente in caput defluentes sensisti. Posteà Episcopus factus, corpus ciliciis attrivisti, pauperes eleemosynis instruxisti, cænobia fundâsti & auro, ac virtute dotâsti, sitientissimus animarum: qui cùm in templo quodam sacra fieri prohiberes; Sacerdos inobediens nullâ vi po-

vi potuit efficere, ut campana sonum ederet. Post mortem verò pluribus apparuisti, & cuidam extremum judicium metuenti, libertatem atque Principis gratiam ex vero promisisti, & prædixisti, qui duobus te spectandum præbens, per eos Sodalitatem sub *charitatis* nomine instituisti; è qua Sodalitate quisvis ex charitate servit peste contactis, nunquam peste ab iis, quibus servit, inficitur, quantumvis illos tractet, atque sepeliat: cujus etiam malleolo & aquâ lustrali contacti equi phrenetici persanantur. Libera me ab omni peste. Exaudiaris oro & pro me. Impetra mihi verum Dei cultum in Sanctis suis, ut illorum me vita, illorum morte, illorum æternitate dignetur Deus, ad cujus majorem gloriam referto ipsam, quam peto æternitatem. Amen.

s. Nahum Propheta.

s. Anania Martyr.

Ss. Diodore & Mariane Mm.

Sancti Luci, Rogate, Cassiane, & Candida, Martyres.

s. Ansane M. capite truncate.

s. Olympiades, vir consularis, à B. Firmina converse, postea equuleo torte Martyr.

s. Procule Ep. decollate. M.

s. Exasi Ep. martyr.

s. Castritiane Ep.

s. Ursicine Ep.

s. Agerice Ep. in templa, & pauperes liberalissime, divinorum scientissime, omnibus omnia.

S. Natalia, s. Hadriani M. conjux, ancilla martyrum, ac mater humillima, & liberalissima.

s. Philarete, qui è rustico in egenos liberali ad

summa

summa evectus, etiam in consulatu mores nonnisi in melius mutâsti, ut magis te abjiceres, & esses thesaurus pauperum: cujus morientis ultima vox, ultima concio, testamentum fuit: *Estote misericordes.*

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus hadogetria, seu via monstratrix imago, in recuperatam ope tuâ. Vrbem Constantinopolitanam, per portam auream hodie ingressa est. Sis mihi via monstratrix ad Vrbem æternam!*

2. Decembris. 4. Non. Decem.

SAncta Bibiana V, S. Flaviani præfecti, & Dafrosæ martyrum filia, bonis spoliata, contra famem è cælo protecta; quæ sororem tuam Demetriam, passionum tuarum sociam, pie collabentem, & placidè, sancteque repentè morientem ad pedes tuos vidisti, & illam feliciter secuta es; quando vinctis manibus columnæ alligata, tam diù plumbatis cæsa es, donec innocentem animam efflares. Impetra mihi per acerbissima flagella & dolores tuos te, rogo; impetra mihi spiritum mortificationis, vero Dei amore profectæ, usque ad mortem sanctam. Amen.

S. Francisce Xaveri, hoc die mortue; cujus natalis diei celebritas in diem crastinū est translata: qui ægrum Indum Christianum, sed tepidum, è throno lucis (in quo peregrini instar sedebas) allocutus, per quietem ei dixisti: *Esne confessus?* & fatentem se non esse confessum, odore miro recreâsti, ac manu amanter tetigisti, quo tempore ille tactus,

dolore cordis intrinsecùs, a te confiteri peccata jussus est, & experrectus se sanum reperit, ac tibi admirabili corporis & animæ suæ medico obtemperavit. Admove cordi meo potentem illam tuam manũ, ut illud sanans perpurges, expies, & accẽdas.

S. Aniane, è viro nobili ac divite, ob naufragium deinde pauper, & calceorum sutor, qui cùm in consuendo s. Marci Evangelistæ calceo, te subulâ vulnerasses, ab eodem in Jesu nomine repentè, sanatus & conversus, factus es mag ster veritatis. Pentapoli posteâ, cùm aliquando fœminas prætereuntes aspexisses minore quam par erat oculorum modestiâ, in pœnam illius licentiæ, dextrum oculum tibi subulâ vulnerâsti: exin prædicationem tuam miraculis confirmans, montem etiam de loco uno ad alium transtulisti, ac Regem convertisti. Denique à s. Marco in dextro oculo persanatus, eidem Alexandriæ successisti, & Ægyptum Evangelio atque miraculis illustrâsti.

Ss. Eusebi Presb. Marcelle, Hippolyte, Maxime, Adria, Pauline, Neon, Maria, Martana, & Aurelia, Martyres.

Ss. Pontiane, & alii quatuor, MM.

S. Myrops V. quæ in carcere, apparente tibi sancto tuo Patrono Isidoro M. & Angelorum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* canentium, choro, illâ cælestis musicæ suavitate sopita obiisti.

Ss. Severe, Secure, Januari, & victorine, Martyres.

s. Chromati, spectatissimæ sanctitatis, eruditionis, & charitatis Ep.

s. Petre Chrysologe Episc, aureâ eloquentiâ trahend

hendis ad Deum cordibus felicissime.

Ss. Lupe, & Silvane Ep.

s. Noane Episc. cujus lacrymis, precibusque conversa S. Pelagia pœnitens, felici verè pœnitentium morte decessit.

s. Evasi Episc.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 185.

S, *MARIA. sancti tui* Xaverii, *hodie mortui, ductrix, mater, magistra, contra dæmones advocata; cujus Corona* MARIANA, *quâ ille te honorabat, in Coloniensi Societatis* JESU *templo publicæ nunc venerationi exposita mira patravit. Da, ut sim talis, qualis ille fuit erga te, & tu sis talis erga me, qualis fuisti erga tuum* Xaverium!

3. *Decembris.* 3. *Non. Decemb.*

SAncte Francisce Xaveri, Indiarum Apostole MARIANE, magnum S. P. Ignatii miraculum, de quo jam olim juvene prædictum fuerat, te novi orbis fore Apostolum, cui s. Hieronymus apparuit, teque solatus est; qui septem dies integros sine cibo duxisti; conscientiam confessione quotidie (si Confessarius adesset) expiasti, & bis quotidie repetito examine introspexisti; quem à nocturnis, coram Dei Matris imagine, in templo precibus nec terriculamenta, nec flagra dæmonum avertere potuerunt; qui eodem tempore in navi, & in scapha procul ab invicem dissitis, mirabiliter adesse conspectus es, magnitudine animi, perpetua virginei corporis afflictatione, arcanis multorum cogitationibus introspectis, oppidis vel pagis integris aliquando in dies sin-

singulos baptizatis : multis à calculo, multis à dæmone vexatis liberatis ; cæcis, surdis , claudis ac ægris aliis persanatis , plus quam viginti quinque mortuis suscitatis; corpore inter divina in altum divinitus elevato, inclyte atque mirabilis : qui & victorias Christianis, ac alia, & Petro Vellio , in pauperes liberali , mortem felicem ex vero prædixisti; mare tranquillasti; cruci affixi Christi simulachrũ, quod tecum gestabas , mari fortè haustum , ab emergente de mari cancro tibi porrectum recepisti: in cujus natalis domûs sacello lignea Crucifixi effigies toties sudore fluebat , quoties tu in India gravius aliquid patiebaris ; & anno 1552. (quo feria sexta persanctè diem obiisti). idem Crucifixus feriis sextis omnibus sudavit sanguine, mortis tuæ index; cujus corpus in calce viva per menses plures sepultum, integrum est erutum , & per annos plus quàm centum incorruptum, sine tabe ac labe ulla cœlitus conservatum : denique qui in oriente tot millibus hominum felicem mortem , æternitatem felicem tuis laboribus, exemplis , miraculis, precibus, apparitionibus procurasti, & hodie adhuc non desinis procurare! Thaumaturge zeli gloriæ Dei & animarum ! qui patiendi sitientissimus , *Amplius Domine, amplius* , ajebas, dum propositas tibi cruces videres; at cœlestibus desideriis, ac solatiis toto pectore plenus ; *Satis est*, dicebas *Domine satis est!* O genuine Ignatii fili, animarum Pater ! cujus cor vas electionis; cujus lingua cœlestis, cujus vita & mors, animarum lucrum. Lucrare etiam hanc animam. Adesto mihi ægro, & morienti ope tua, qui Mastrillo tuo, & plurimis aliis morientibus adfuisti! Com-

mendã

menda me Crucifixo tuo Jesu, & Mariæ, ad quos suspirans expirasti; & impetra mihi sanctum illud *Satis est*, felicis, quæ sola corsatiat, æternitatis, Amen.

s. Galgane, qui noctu à Michaele Archangelo excitatus resipuisti; cui ad visendam Sponsam tuam eunti, is cui insidebas equus in via dixit, se ab Angelo ne pergeret prohiberi: qui deinde ibi Deo soli vixisti solus, & sponsæ, ac matri te invisentibus, ut Deo se penitùs consecrarent persuasisti; ac tandem orationum, jejuniorum, & vitæ durissimæ finem jam adesse divinitùs intellexisti; & vocem è cælo audisti: *Satis est, quod laborasti, metes nunc, quod seminasti*; Roga S. Michaelem, & Angelum meum, ut me seriò excitent ad verè vigilandum; ad orationem ferventem, ad sancta jejunia, ad laborandum in fervore; ut moriens, ad messem sanctam evocer in exultatione in horreum æternitatis, ubi est frumentum electorum.

s. Sophonia Propheta.

s. Claudi tribune, in flumen præceps date.

Ss. Jason & Maure, ejus filii.

Sancti septuaginta ejusdem milites, omnes capitali sententia cæsi, martyres.

s. Hilaria, s. Claudii uxor, quæ ad Martyrum filiorum sepulchrum orans, paulò post à paganis tenta migrasti felix.

s. Cassiane martyr.

Ss. Claudi, Crispine, Magina, Joannes, & Stephane MM.

s. Agricola, in Pannonia martyr.

Ss. Ambice, Victor, & Juli, MM.

s. Mi-

s. Mirocles Episcope.

s. Birine Episc. cæcâ, & surdâ sanitâ, converso Rege, felix, qui ut oblivione relictam in littore maris thecam Eucharisticam reciperes, mare sicco pede calcasti; & ad navem reversus, illam immotam in alto mari, teque expectantem reperisti.

s. Eloqui Abba, qui ægro eleemosynam petenti, sanitatem à Deo, & mortuo vitam impetrasti.

s. Luci Rex, qui Martyrum exemplis ad fidem conversus, Christi fidem ipse etiam prædicasti; & pro eadem verbera, lapidesque perpessus, in puteum dejectus es.

s. Sola Abba, solitudine sancta, & miraculis venerande.

s. Theodule, ex aulæ Imperatoriæ Præfecto, Edessenæ columnæ Stylites; qui quinquaginta quinque millia philippeorum in miseros dispersisti, cum Angelis postea cœlesti cibo pastus.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. *MARIA, quam colunt aliqui hoc die* s. Josepho *desponsatam. Commenda me* Josepho *tuo; ut sub tuo, ac illius præsidio, sim in vita vobis verè addictus, in morte verè securus!*

S. *MARIA, quæ* s. Galgano *tuo, ad seriam pœnitentiam converso in medio Apostolorum apparuisti, eique librum porrexisti. Converte me seriò, doce me facere id, quod lego, quod scribo, pro gloria tua!*

4. *Decembris. Prid. Non. Decemb.*

SAncta Barbara V. M. quæ Ss. Trinitatis honori tres fenestras in balneo fabrefieri curasti; saxo

fig-

ſignum Crucis, veluti ceræ molli, digito impreſſiſti: Dioſcorum Patrem tuum, in te fidei odio ſævientem fugiens, aperiente ſe tibi petra, evaſiſti; quæ flagris, teſtulis, cilicio, ferreis pectinibus, tædis igneis cruciata, caput malleo verberata, toto innocentiſſimo pectore lacerata, Chriſtum in carcere hæc tibi dicentem audiſti; *Ego ſum tecum, ſub mearum alarum umbra ſervaberis*, & toto corpore persanata, cœleſtibus voluptatibus perfuſa es: quæ cum nuda ad ignominiam raptareris, orans, mirabili è cœlo luce, veluti ſtola, contegi impetraſti; quæ unà cum s. Juliana ſociâ tuâ morti proxima, vocem audiſti, qua invitabaris ad cœlum, & qua id, quod pro tuis clientibus petebas, tibi pollicebatur fidelis Deus, quæ à Patre tuo (fulmine mox interempto) capite truncata, illam à ſponſo Jesu morientis gratiam accepiſti, ut ſine ſanctiſſimo pœnitentiæ, ac viatici ſacramento non morerentur clientes tui; id quod in Henrico, totâ carne exuſto, & pluribus aliis, etiam novis exemplis, ad magnum clientum tuorum ſolatium, oſtendit Deus. Numera me inter devotos tibi clientes, ô benigniſſima patrona! Augeam & ego numerum exemplorum illorum mea morte; ut beatiſſimæ Trinitatis, MARIÆ, ac tuus ſingularis cliens, ſanctâ devotorum tibi ſervorum morte moriar, & vivam. Amen.

s. Thophanes, & ſocii MM.

s. Meleti Ep. eruditione, ac ſinceritate præcipue.

Ss. Felix & Oſmunde Epiſcopi,

s. Anno, è milite Colonienſis Epiſcope, lacrymarum, & dicendi gratia, ſumma in egenos uſque ad ulti-

ultimum nummum liberalitate, fundationibus sanctis, humanorum respectuum victoriâ, oratione contra hostes, miraculis eximie; qui divino sacrificio intentus, globum igneum calici tuo sensim illabentem vidisti: qui ob non restitutum (qui diu jam intermissus fuerat) trecentorum sexaginta Martyrum Coloniæ cultum, ab iis tibi visus es judicari, & flagellari; qui Clerici in orando præcipitis, eoque *Gloria Patri, & Spiritui sancto*, præproperè (omissâ Filii personâ) pronuntiantis negligentiâ divinitùs monitus, seriò correxisti, qui per iter è curru cælum apertum contuitus, tam horrenda divinæ iræ in eo signa vidisti, ut sæpius gemens diceres: *Va misero mundo! va Episcopis, quibus nomen, non vita sacerdotum est! va cunctis humana sortis angulis, ab illis qui dicuntur Episcopi!* qui S. Ewaldum Martyrem in veste pulcherrima cœlo receptū vidisti, qui mortem à te cælitus prævisam obiturus, in longo agone ajebas, manibus in altum sublatis: *S. MARIA, succurre miseris, succurre Coloniæ, succurre Civitati jam jam perituræ! O Domina, per singularem misericordiam tuam te obsecro, ut mihi janua fias, per quam hinc emigrem! O amici omnes summi Regis, subvenite Coloniæ!* & expirasti. Commenda me quoque illi Reginæ, ac toti cælo.

S. *Marutha* Ep.

S. *Bernarde* Cardinalis Ep.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 185.

S. MARIA, cui ter quotidie salutanda, pulsum instituit, hoc die, anno 1334. *mortuus* Joannes XXII. *Pontifex. Fac, ut & in illo terno pulsu, & alias, te non ex frigida consuetudine, sed sanctè salutem; ut te præ-*

sen-

sentissimum auxilium habeam nunc, & in hora mortis meæ!

5. *Decembris. Nonis Decemb.*

SAncte Saba, qui fornacis ignem Cruce extinxisti; dæmonem à Christo ipso armatus vicisti: qui Angelo familiariter usus, ipso Imperatore spectante, coronâ cœlesti coronari es visus, qui Cælitum canentium has voces audisti: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. In voce exultationis & confessionis soni; ejus qui festum celebrant*, qui in hospitis gratiam acetum in vinum mutâsti, atq; auxisti: è leonis pede læso spinam exemisti, & illum tibi tanquam promptum ad officia famulum habuisti, cui ad Imperatorem ingredienti Angelus præire conspectus est: qui ab Imperatore statim ac orandi tempus advenit, abiisti, quem morientem sancti Martyres invisêre, atque ad gloriam abduxêre; post mortem quoque multis visse, ac iis opitulate. Accende me desiderio benè orandi, ac sanctæ æternitatis. Extingue ignem purgatorii mei, aut extingue potiùs in me, quicquid vel inferni, vel purgatorii ignem potest accendere. Impetra mihi à Jesu, ut ipse nunc, & morientem amet me; ut non inermis, nec victus, sed victor moriar. Vivat in me, & vincat, & triumphet gloriosissimus Jesus; vincatur, confundatur, fremat victus à Jesu dæmon; & ego in Jesu vincam, & vivam. Amen.

S. Crispina, decollata Martyr.

Ss. Juli, Potamia, Crispine, Felix, Grate, & alii septem MM.

s. Basse Ep. M, qui post equuleum, laminas ardentes, fustes, scorpiones, ab igne illæsus, duobus clavis confixis expirasti.

s. Dalmati Ep. Martyr.

s. Peline Ep. qui cum oratione tua Matris templum prostravisses, dirissimè cæsus, atque octoginta quinque vulneribus confossus es, Martyr.

s. Niceti Ep.

s. Anastasi Martyr.

s. Joannes Ep. imaginum propugnator sancte, à sanctitatis, ac miraculorum gloriâ dicte Thaumaturge,

s. Consolata V. super cujus tum adhuc infantis caput igneus radius apparuit; quæ ab apiculis refecta quotidie, à septimo ætatis anno cilicino sacculo induta, in morte odoribus, choris Angelicis, & miraculis es honorata.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, cujus tot Congregationum Princeps & mater Sodalitas hoc die anni 1584. *in Collegio Romano à* Gregorio XIII. *sub Annuntiationis tua titulo, est erecta, fac me sodalem tuum dignum iis in vita & morte beneficiis, quibus Sodales tuos toties prosecuta!*

6. *Decembris.* 8. *Idus Decemb.*

SAncte Nicolae Ep. qui, etiam infans, quarta, & sexta feria constanter servasti morem sanctum, ut ne lac quidem gustares, fœminas tunc etiam aversans: qui noctu clam dotem pro tribus puellis in domum earum injecisti, ut eas a perdendæ pudi-

citiæ periculo liberares: qui, tum adhuc vivus, & absens, Imperatori apparuisti, & innocentes quosdam clientes tuos à morte & carcere liberasti; de cujus vultu lumen mirabile promicabat: qui oratione tua tempestatem sedasti, nautam mortuum suscitasti; & cælesti voce iterum monitus, ad homines prodiisti, Dei gloriæ propagandæ causa. Tandem divino judicio Myrensis factus Episcopꝰ, semel tantùm cibo tecum refectus quotidie, legendi, orandi, animarumq; cupientissimus, docta, & sancta spiritûs libertate animosus, etiam vivus te invocantibus apparuisti: moriens consolatores Angelos obvios habuisti: è cujus mortui corpore manat liquor contra morbos magnopere salutaris. Ora, ne patiar naufragium æternum in portu mortis meæ! Veni mihi cum Angelis tuis obvius, non honoris mei causa, sed securitatis. Doce me constanter tenere proposita sancta, & paratum esse ad quævis repentinæ mortis pericula; ut morte sanctâ ad patriam securitatis perveniam, victurus illic sine ullo timore moriendi, & cum æternitate vivendi. Amen.

Ss Dativa, Leontia, Terti, Æmiliane medice, Bonifaci, & alii tres, pro Christo varia, & crudelia perpessi.

s. Dionysia, quæ virgis toto corpore concisa, cum *Majoricum* tenerum tuum filium, trepidum ad tormenta videre, *Memento*, ajebas, *fili mi, quia in nomine Trinitatis baptizati sumus: non perdamus indumentum nostræ salutis. Illa pœna timenda est, quæ nunquam finitur, illa desideranda vita, quæ semper habetur.*

s. Majorice, fili s. Dionysiæ, puer matris exhorta-

ratione, nutibus, exemplo, ad ferendum fortissimè martyrium animare, ad cujus sepulchrum pia mater frequenter orare consuevit.

s. Polychroni Presb. ad aram, dum sacris operareris, ab hæreticis jugulate.

s. *Asella*, ab ipso matris utero benedicta, & in vitri nitentis phiala ostensa Virgo; quæ in flectendi frequentia callum in teneris genibus habuisti; & corpus innocens aspero dominatu, durissimo lecto, brevi somno, & cibo raro, & parcè, semper tamen sana, tractasti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

s. MARIA, *qua* Walterum *tuum* de Birbach, (*quem amicum tuum vocasti, & cui munus misisti*) *hoc die à naufragio liberasti. Fac me servum, fac amicum, fac filium tuum: fac, ut ne cadam, sed evadam de mundi naufragio!*

7. *Decembris* 7. *Idus Decemb.*

S. *Ambrosi*, in cujus infantis ore apes mellificarunt; qui miraculo creatus Episcopus, *Augustinum* convertisti, & unà cum illo *Te Deum laudamus*, cecinisti Deo; qui nullo humano, sed divino respectu plenus, pro Ecclesiastica libertate Principibus restitisti, excommunicasti, in templum non nisi pœnitentem Imperatorem Theodosium admisisti, nil armatas minas, & preces moratus: qui cum post cruentum certamen Catholicos inter ac hæreticos, Mediolani Deum rogares, ut Catholicorum cadavera discernere posses ab hæreticorum cadaveribus, conspecta sunt repentè Catholicorum

cor-

corpora vi divina moveri, & obvertere sese supina in cœlum; Arianorum verò cadavera obversis in terram vultibus prona jacêre: quem S. Dionysii, Mediolanensis olim Episcopi, reliquias, cùm è Cappadocia Mediolanum deportarentur, salutantem S. Dionysius ita est allocutus: *Ave frater Ambrosi!* at toto, à ripa fluminis ad templum usque, itinere, multis tecum colloqui auditus est de fide Catholica, & de divinitate Christi, populo id stupente. Doce me cor & oculos ad cœlum elevare, doce scitè ac sancte colloqui de fide, spe, charitate, ut illo, quo tu ardebas, Dei amore accendar. Cui ad concionem dicenti Angelus in aurem loquebatur. Tandem æger, ut vitam tibi à Deo produci peteres rogatus: *Non ita*, inquiebas *inter vos vixi, ut vixisse me pudeat, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus*: cui ante mortem sanctum viaticum S. Honoratus è cœlo monitus, dedit; cui morienti spectabilis Christus astitit. Ora pro me, & impetra mihi aliud, quod solus Deus dare potest omnibus humanis respectibus majus cor: ora, ut me morientem nec vixisse pudeat, nec mori timeam: ora ut non tremendo, sed amabili vultu mihi arridens, me morientem, ac tribunali adstantem suo aspiciat Deus Jesus, Amen.

S. Agathon militaris vir, qui cum impios, ne cadaveribus Martyrum illuderet, prohiberes, tentus, & in fide Christi constans, pietatis, & constantiæ præmium martyrium accepisti.

Sancti Polycarpe & Theodore Martyres.

S. Serve, fustibus trochleis, & lapidibus acutis cruciate M.

s. Urbane Episc.

s. Phara, illustrissimi sanguinis, & sanctitatis Virgo.

s. Paule obsequens, cujus humilitatem, ac obediæntiam miraculis honoravit Deus: qui etiam tùm vivens a sociis tuis in paradiso amœnitatis fructus in alios dispertiri, & valedicere visus es.

s. Martine Abba, ad cujus sepulchrum pedes, manus curatæ, febres pulsæ: cujus sepulchrum ne à multis quidem moveri potuit, donec, ope tuâ imploratâ, Episcopus cum quinque Abbatibus illud & movit, & Arbitratu suo composuit.

s. Athenodore, qui inter duas columnas extensus facibusque ex uncinis ferreis in nares infixis cruciatus, aliaque tormenta perpessus, cùm ad te capite plectendum nemo auderet accedere, eò quòd carnifici manus cum gladio excidisset, ac ipse quoque mortuus concidisset, orans animam expirasti.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, in via, *cujus templum hoc die mortuus* Innocentius IV. *jam olim Roma condiderat, imagine tua, & miraculis celebratum. Ne me deseras in via, usque dum me Deo felicem sistas in patria, ubi te amabo æternum, & unà tecum Deum!*

8. *Decembris*, 6. *Idus Decemb.*

AB æterno in æternum immaculata, sine macula concepta, nata, concipiens, pariens, moriens Dei Mater, augustissima MARIA; Fiat cor meum immaculatum; ut plus amet te, honoret te, apud omnes extollat te, plus quàm ulla unquam creatura pos-

possit inhonorata sua vita offendere te! Tu inchoasti, ora ut ego finiam, vitam sine macula. Per immaculatam conceptionem nativitatem, & mortem, ac æternitatem tuam te obsecro, impetra cordi meo illam, quæ ad bene videndum Deum requiritur munditiem. Habeam cor, quod cordis tui sancti amores omnes offerat pro se filio tuo, Deo Jesu! cor tuum, ô Maria! Omnes amores habent maculas suas, & ipsi sunt macula. Doceat me cor tuum amores immaculatos æternos! Non sum dignus amare, laudare te! sed tu dignare, Amen.

s. Eutychiane Papa, qui per diversa loca trecentos quadraginta duos Martyres sepelivisti, & ipse deinde Martyr.

s. Macari, qui vivus pro Christo exustus es.

s. Euchari Ep. Beati Petri Apostoli discipule.

s. Sophroni Ep. pupillorum, viduarum defensor mirifice, pauperum, ac oppressorum adjutor.

s. Romarice Comes, qui regia in aula primarius, contempto mundo, trigiuta tecum socios ad vitæ religiosæ institutum exemplo traxisti, sanctis fundationibus in Deum liberalissimus; qui jam Religiosus, à seditioso quodam venatore contra Superiores commotus, errorem illum postea pœnitentiâ seriâ & amarâ es detestatus: cui S. Arnulphus moriens dixit; *Bone vir, & Deo amabilis, ora Christum pro me, jam enim adest dies, in quo Judici meo præsentabor.*

S. Patapi Eremita.

S. Zeno Episc.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, cujus hodierno Immaculatæ Conceptionis mysterio devoti, certum contra impura phantasmata præsidium invenerunt, Serva cor meum immaculatum tibi!

S. MARIA quæ tuo Petro Villariensi *hodie adfuisti, ac dixisti;* Hodie, fili, est festum meum; unde magis præ ceteris diebus hac die laudibꝰ instare convenit. *quem etiam Christus hortatus est, ut in te honoranda constans persisteret; ostenditq; se honore tibi exhibito delectari. Da, ut solidus meus erga te amor delectet* IESUM *tuum!*

9. Decembris. 5. Idus Decemb.

SAncte Syre, qui pro veritatis testimonio mortuum excitasti, & gloriosus postea inter Martyres visus es triumphare. Triumphet in me, tanquam in vivo suæ misericordiæ theatro, Deus; & ego vincam, ac triumphem in Deo. Ora, ut morte tali moriar, quam non æternum Væ, sed æternus triumphus in cœlo excipiat, & tota triumphans Ecclesia me in agendis æternùm gratiis juvet pro illis, quæ ab æterno Deo accepi, bonis; quorum omnium bonorum felix auctarium ut mihi sit felix mors, & felix æternitas, tu ora, tu impetra, Amen.

s. Leocadia V. quæ dirâ carceris custodiâ macerata, cùm gravissimos Beatæ Eulaliæ, & Martyrum reliquorum cruciatus audisses, genibus in oratione positus, impollutum spiritum reddidisti, deinde verò ad s. Ildephonsum unà cum Rege ac populo supplicē è sepulchro prodiisti, ac dixisti, Ildephonse de Beatissimâ Virgine scripta laudans: *O Ildephonse,*

per-

per te vivit Domina mea, quæ cœli culmina tenet:

s. Restitute Ep. Martyr.

Ss. Petre, Successe, Bassiane, Primitive, & alii viginti MM.

s. Valeria V. Martyr.

s. Procule Ep.

B. Juliane Ep.

s. Cypriane Abba.

s. Gorgonia, s. Gregorii Theologi soror, effusæ in templa liberalitatis, in te verò duritiæ, silentii, pudicitiæ studiosa: quæ curru everso collisa, nullo medico accersito, divinitùs es persanata.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quæ hodiernum* Amaranthum *moribundum, Angelis stipata, ad cœlum invitasti. Domina timeo illam horam; sed tu pro materno tuo ingenio, invenias modum me tunc quàm optimè consolandi, tuendi, suscipiendi!*

10. *Decembris.* 4. *Idus Decemb.*

S. Eulalia, duodecim annos nata Virguncula, quæ ad certamen abiisti Angelis comitata; in tyranni faciem inspuisti, simulacra conculcasti; postea ungulis in pectore, ac toto corpore lacerata, cum te unguibus quoque avulsis, totam videres in vulneribus, & sanguine, exultabas: & igni injecta, totum caput depascentes flammas ore avido bibere velle visa es; & ecce nivea ex ore tuo columbâ evolante in cœlum, expirasti felicissima; corpore tuo cœlesti nive contecto, & flosculis ad sepulchrum

tuum, die tuo anniversario quotannis enatis. O ætatem virtute supergressa Virgo! Ardeam & ego! Propulsa è tepido hoc pectore pigrum, & semivolens nolensque cor! Impetra mihi cor igneum, cor ab igneo Dei Corde candens totum, & semper. Timeo evomi! Sed nec ideo sim fervens, ne evomar; sed quia omnes omnium cordium amores meretur Deus. Ego & tuos & omnes omnium sancte morientium cordium amores Deo offero per MARIAM, ut generoso, & Dei amore pleno corde sim semper; sed præcipuè in illa hora decretoria æternitatis meæ. Amen.

s. Melchiades Papa.

Ss. Carpophore & abundi, fustibus crudelissimè cæsi, carcere, fame, siti, equuleo cruciati, gladio percussi. MM.

s. Julia V. M. sanctæ Eulalilæ exemplo permota, & illius individua usque ad mortem comes.

S. Menna, vir dignitate præcipuè, qui Hermogenis jussu excoriatis pedum plantis, præcisa lingua, convulsis oculis, retrusus in carcerem, illic resplendente à cœlesti luce carcere, Christi & Angelorum præsentia sanatus Hermogenem convertisti, & unà cum illo capite plexus, ab Angelis Byzantium navi devectus es.

s. Hermogenes, cujus manus, & pedes truncati, & combusti sunt; deinde desciso ventre, & capite amputato M.

s. Eugraphe, sancti Mennæ minister, ab ipso Imperatore gladio confosse.

s. Mercuri, & socii milites, gladio percussi.

s. Gemelle, post dira tormenta, crucis supplicio.

s. Sin-

s. Sindulphe. Ep.
s. Deus dedit Ep.
s. Sole Abba, à quo in nomine Domini jussus asinus lupum occidit: aliis quoque miraculis gloriose.
OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.
S. *MARIA, cujus Nazarethana Domus, anno* 1294. *hoc die in Piceno consedit, Para in me locum aptum tibi: mane in me, ut in domo tua munda & sancta!*

11. *Decembris.* 3. *Idus Decemb.*

DAniel, Stylita sancte! cui s. Simeon Stylita, felix ad pia hortator apparuit; qui terrere te volentes dæmones contemptu fugasti: qui mente ad cœlestia abreptus, & s. Simeonem in excelsa columna stantem videns, vocem audisti: Huc ad me ascende, Daniel: cumque te id posse negares; à duobus Angelis in columnæ apice collocatus, & Simeonem amplexus, ab illo te in cœlum tollente hæc percepisti; *Esto fortis*, Daniel; *te strenuum, ac robustum prabe; & sta pulchrè, ac generosè* qui post stupendam annorum trigința in columna stationem, post multa exemplorum & miraculorum prodigia, ultimo vitæ tuæ triduo à sanctis cœli civibus amicè visitatus, è columna in cœlum abiisti beatus! Stem & ego constans; & vide, ac juva ne cadam, ô S. Daniel! Fac mihi amicos sanctos illos visitatores tuos. Accende me ad ferventem omnium Sanctorum cultum: non ut honor ille in me illos honorantem redeat; sed ut me illi secum abducant, ideò ut uno plures fint in illa æternitate, in quibus sibi æternùm complaceat Deus. Amen.

S. Damase Papa docte, & sancte.

Sancti Thraso, Pontiane, & Prætextate, Martyres,

Ss. Victorice & Fusciane, quibus nares, & aures sudibus ferreis cruciatæ, clavis ardentibus transfixa tempora, evulsi oculi, & qui jaculis tandem expositi, amputato capite Martyres unà cum Gentiano vestro hospite facti estis.

S. Barsaba Martyr.

S. Eutychi M.

S. Sabine Ep.

B. France, è liberiori vita ad severiorem seriò converse, peregrine sancte, qui cruento in cruce se tibi ostendente, tibique locuto, admirabilem corporis afflictationem accensus es. Accende & me.

B. Uguline Cortonensis, verè magne tui s. Augustini discipule; cujus corpus in tumulo post plures annos, cum geminis ex illo enatis *liliis*, integrum est repertum, qui cæcæ cuidam noctu apparuisti, eamque inciso recenti *lilio* illuminandam ex vero prædixisti: cujus ope ægri calculo, à morbo gutturis, è febribus, à sanguinis profluvio, ac morbis aliis convaluere; qui infanti sine baptismo extincto vitam impetrasti.

OMNES SANCTI, &c. pag. 185.

S. MARIA *de monte Serrato, quæ in equi raptatione hominem ab evidenti vitæ periculo liberasti statim, atq; es ab eo invitata. Ego nec pericula mea satis video; libera me quæso, ab apertis periculis & occultis!*

S. MARIA, *quæ* Idæ *Virgini hodie mortua* JESUM *tuum porrigens, dixisti:* Accipe eum, & collocans in gremio tuo: desideratis amplexibus & osculis diem fe-

festum age cum eo. *Fac, ut bene tractem* JESUM *tuum!*

S. *MARIA, quæ* B. Franco *hodierno, ad sanctiorem vitam converso inter Angelos apparuisti, ei porrigens arbusculum, cujus flores aurei nummi erant, eique dixisti, ut bene agere pergeret; coronandum in cœlo. Et iterum eidem de dæmone fœminea specie induto victori conspecta in throno cum Sanctis, eum ad floridam in cœlo coronam invitasti: eundemque sabbato aliàs invisens, dixisti, peccata illius esse dimissa, & preces exauditas, ac deinceps etiam exaudiendas. Ora pro me, ut benè orem!*

12. Decembris. Prid. Idus Decemb.

SAncte Spiridion Episc. vir misericordiarum, cu-
jus misericordi in pauperes animo, cum natura,
& opes non sufficerent; per miracula supplevisti;
serpentem in aurum, & vicissim aurum in serpen-
tem orando in horto vertisti; triticum, & pecuniam
per prodigia procurasti: puellam mortuam vitæ
tantisper reddidisti, dum aurum quo loco posuis-
set, ediceret; tandem suscitatis mortuis pluribus,
cum in messe æstuares, cœlesti rore super te effuso
monitus es beatæ mortis. Sis etiam in me, vir mise-
ricordiarum, ac à Matre misericordiæ pro me in
agone miserrimo æternam misericordiam impe-
tra; ut me morientem misericorditer ponat in fas-
ciculo viventium æternùm, non in fasce æternùm
morientium. Amen.

S. Synesi gladio percusse M.

Ss. Epimache & Alexander, novaculis, ac flagel-

lis laniati, & circumjectis flammis consumpti.

S. *Ammonaria* Virgo, quæ superatis & blandientis, & per minas, ac tormenta sævientis tyranni conatibus, capite cæsa es Martyr.

Sanctæ *Mercuria*, Dionysia, & altera Ammonaria, quas capite statim plecti Judex curavit, ne & à vobis, sicut à S. Ammonaria Virgine, vinceretur.

Ss. *Hermogenes*, Donate, & alii viginti duo Martyres.

Ss. Maxenti, Constanti, Crescenti, Justine, & socii MM.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quæ hoc die anno* 1627. Heraclito *Imperatori, contra Chosroen & Persas, victoriam sabbato impetrasti, ex* Heracliti *parte vix decem desideratis. O plena victoriarum, fac, ut ope tua vincens vivam, & moriar!*

13. *Decembris. Idus Decemb.*

SAncta Lucia V. lectissima, quæ ad S. Agathæ sepulchrum orans, per quietem S. Agatham in medio *Angelorum* gemmis coruscam vidisti; & matrem tuam jam sanatam, teque per martyrium Syracusanæ tuæ Urbis gloriam fore audisti, postea dote tua in pauperes erogata, prudenti zelo semper constanter impio Judici respondisti; cumque nulla humana vi ad locum infamem pertrahi posses, pice, resinâ, ac oleo ferventi profusa, ab igne circa te succenso illæsa, JESUM loquebaris; & gladio tandem transfixa, acceptis vivificis Sacramentis, prædictis multis, orans Deo spiritum reddidisti. Quàm me pu-

pudet mei corporis, ô Dei amore inflammatissima Dei Virgo! Per tuos illos ignes, per illum tuum Jesum, ora pro me unà cum s. Agatha, & Angelis, ut nunquam dicam, *Sufficit*, in iis quæ Dei sunt; ut infinitâ æternæ pulchritudinis bonitate amabilissimum Deum amem tandem, & amer ab illo æternùm. Amen.

S. Eustrati, qui amplo officio posito repentè Christianus, in aërē sublatus funibus, pectus igne, corpus reliquum virgis, flagrisque, aceto, acutis testis laniatus, repentè fusus apparuisti; deinde crepidis acutarum fibularum plenis indutus, & tractus, doctissimè è Philosophis philosophatus, exemplo & verbo multos, & primæ notæ viros convertisti; & condito sancto de amplissimis opibus testamento, æternitatis viatico munitus, fornacem ardentem psallens ingressus, ibi ab igne ne in pilo quidem læsus, orans occubuisti.

s. Auxenti Presb. gladio M.

s. Mardari, sanctæ simplicitatis vir, qui ab Eustratio instructus, trajectis per tenebratos pedum tuorum calcaneos funibus in rota suspensus, nil aliud loquebaris, quàm, *Christianus sum, sum Christi servus*; & candentibus subulis ad mortem usque cruciatus es M.

s. Eugeni, excisa lingua, truncatis manibus, tibiis baculo confractis M.

s. Orestes, miles gloriose, qui ex aurea, quam è collo gestabas, Cruce agnitus, in candenti craticula prostratus, mortuus es inter has voces: *Domine JEsu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum*.

s. Antioche Martyr.

s. Autberte Ep. cujus precibus Deus Angelum monitorem dedit Landelino, adolescenti pravâ societate decepto, & illum visâ mali sui socii ad inferos abrepti morte, ad meliora traduxit; quem Deus Angelicis, ac aliis è cœlo mirabilibus recreavit.

s. Judoce, proles regia, qui regno contempto, Christo ipsi eleemosynam dedisti, miraculis magnus; qui etiam auditâ è cœlo voce: *Pro contemptis opibus, & honoribus immortalem in cœlis recipies coronam*; majore adhuc vitæ asperitate totum te Deo, totum animabus, ac æternitati, omni studio impendisti,

s. Othilia V. Princeps, quæ cæca, ideoque à Patre necari jussa, sed Christi jussu baptizata, & Othilia vocata, visum, & Patris gratiam accepisti; & facta virtutis in cœnobio magistra, per vitam longè asperrimam te ad mortem longè sanctissimam comparasti.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 185.

S. MARIA *de monte Serrato, quæ hominem a latronibus, jugulo perfosso, pro mortuo relictum, invocata servasti, & præterea persanasti. Sana me, serva me, ne ipse mihi sim prædo, ne quid in me possit infernus!*

14. *Decembris.* 19. *Kal. Jan.*

SAncte Nicasi Ep, qui peccatis nostris iram Dei accendi, & hostes amari dicens, multa prædixisti horrenda; & ipse pro Christo, ac vocibus libenter animam ponens, dum oras: *Adhæsit pavimento anima mea*; repentè capite truncatus, versum etiam re-

resecto capite complevisti, dicens: *Vivifica me secundum verbum tuum*, Secuta te soror s. Eutropia, & socii Martyres; & vestra corpora cœlesti luce, visis in cœlo exercitibus, Angelicâ custodiâ, & harmonia à Deo honorata sunt. Orate pro me vos omnes ut nè iram Dei in me armem, sed pœnitentia vera placatum reddam; ut moriens talis inveniar, qualibus felix est promissa æternitas; & vestris meritis Jesus vivificet me morientem secundum verbum suum. Amen.

S. Heron, Arseni, & Isidore; primùm acerbissimis verberibus, deinde rogo traditi, MM.

s. Dioscore, puer prudentissime, & constantissime, multa pro Christo perpesse.

Sancti Druse, Zosime, & Theodore Martyres.

Sancti Juste, & Abundi, ad quos in ignem conjectos, & illæsos, gladioque cædendos vox è cœlo venit: *Venite ad regna cœlorum: ascendite & accipite coronas. Ecce aperti sunt vobis cœli. Introite, servi Dei, in habitaculum Patris vestri. Relinquite corpora super terram*, & capite cæsi estis.

s. Spiridion Ep. qui è Christianis pro fide, oculo dextro effosso, succiso sinistro poplite, ad metalla damnatis, unus fuisti.

s. Viator Episc. qui crebrâ, & attentâ æternarum rerum meditatione accensus es ad vitam sanctam.

s. Agnelle Abba, cujus matri MARIAM pro prole oranti, imago respondit: *Joanna gignes filium nobis charissimum, cui Agnellus nomen erit*, & post vitam eleemosynis, propheriis, oratione sanctam

mortem tuam prædixisti, & obsessum Neapolim sæpe visus es crucis vexillo ac hostibus liberare.

s. Matroniane Eremita.

s. Philemon, qui cum sagittis undique impetereris pro Christo, te *muro adamantino* munitum esse dixisti; & te orante omnia tela irrita concidebant, pharetris jam jam exhaustis, te verò illæso: de cujus sepulchri pulvere curatus est oculus Præsidiis, qui te occidit; idemque postea conversus pro Christo Martyr occubuit.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus honori S.* Nicasius, *ut Basilicam fundaret, voce divina est monitus. Fac me obedientem loquenti mihi in cor voci Dei; ut ita te colam prout id a me fieri vult Deus!*

15. Decembris. 18. Kal. Ian.

SAncta Christina ancilla Ibera, in cujus lectulo reposita Regina, sanata, etiam Regi Christum suasit; sed moras trahenti non priùs persuasit, quàm illum inter venandum Christus præsenti mortis periculo eripuit. Tum conversis tuâ operâ cum Rege, ac Reginâ plurimis, in templo à Rege condito columnam in aëre tuis precibus suspendisti, & omnium illic ad Christum corda traxisti. Ora pro me; ut sim bonus, prudens, fidelis, impiger servus Domini mei JESU, & MARIÆ ancillæ, ac Matris Dei: ut anima mea serviat illis in vita, & morte & æternitate: ut nullam illorum negligam voluntatem: & in morte, ancilla JESU & MARIÆ hæc anima sit in manibus Dominæ suæ. Amen.

S. Eusebi Ep. M.

Ss. Irenæe, Antoni, Theodore, Saturnine, Victor. & aliiseptemdecim Martyres.

Ss. Faustine, Luci, Candide, Cæliane, Marce, Januari, Fortunate, & socii Martyres.

S. Susanna, Joannes dicta, cum virum veste simulares; quæ lautâ hæreditate in pauperes distributâ viginti ipsos annos inter Religiosos vixisti, usque dum à lasciva fœmina ad scelus fœdum invitata, cum id nolles, ideoque ab illa turpiter accusareris, ad famam cœnobii tuendam quænam esses modestissimè fassa, fœminæ impudentiam prodidisti, posteà miraculis celebris, pectore laniato, hausto plumbo liquato, mortem per martyrium obiisti.

S. Raynalde Comes, deinde Episcope, qui nunquam ridere visus es, vel tristari; quem qui percusserunt, loco se commovere non potuere fixi divinitùs, donec tu pro illis oràsti, & ut abire possent impetrâsti; qui pro veste tua pauperi data, visus es ab Angelo in brachiis auro argentoque vestiri.

S. Valeriane Ep. qui cùm esses annorum plus octoginta, quod Ecclesiæ utensilia ethnicis tradere nolueris, solus expulsus cumque præceptum esset, ut nemo te in domo, neme in agro habitare permitteret; diu in viis publicis sub dio jacens, in constanti fidei Catholicæ defensione beatus expiràsti.

S. Maximene Ep.

OMNES SANCTI, &c. pag. 185

S. MARIA, *de monte Serrato quæ in auxilium vocata, paralyticum, à medicis desperatum, repentè sanasti. Sana omnem paralysim cordis mei, omnem socordiam, ne me ob illam evomat Deus meus!*

16. Decembris. 17. Kal. Jan.

SAncti Anania, Azaria, & Misael, pueri gloriosi, cum quibus, pro veri Dei cultu in fornacem ardentem immissis, descendens Angelus, excussit flammam ignis, & fecit medium fornacis tanquam ventum roris flantem, & non tetigit vos omninò ignis, sed Chaldæos juxta fornacem incendit, qui omnem omnium rerum creatarum universitatem glorioso cantico ad benedicendum Domino invitâstis: *quia salvos fecit vos de manu mortis; quia in omnia sæcula misericordia ejus.* Orate pro me; ut semper mori malim, quam Dei legem offendere; ut *benedicant omnia opera mea Domino*; ne mittar in fornacem æternitatis, sed in hora mortis meæ salvum me faciat de manu æternæ mortis, ut sit super me in omnia sæcula misericordia ejus. Amen.

S. Valentine, magister militum, qui multis ad Christum adductis, unà cum S. Concordio filio tuo; & Sanctis Navale & Agricola, necati estis.

s. Albina V. Martyr.

B. Ado Episcope.

Omnes sanctæ, eæque plurimæ Virgines, per suspendia, pondera, laminasque ignitas, Martyres.

s. Beane Episc.

s. Irenion Ep.

s. Matroniane, qui pane in solitudine victitabas, quem tibi Angelus afferebat.

s. Plato, è regii ærari præfecto, Religiose, patiendi fame ac siti plene ac multa perpesse.

s. Adelheidis, post captivitatis ærumnas Imperatrix,

trix, Ottonis primi uxor, secundi mater; cujus meritis aucta est pecunia pauperibus destinata; ad cujus sepulchrum, præter plures alios, persanatus est etiam is, qui quia in templo temerè garriebat, à dæmone correptus, totusque horrendum in modum distortus & mutus, exemplo atque terrori fuit omnibus, ne quid in templo auderent, quod loci sanctitatem non deceat.

Beata Thophania Augusta.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quæ hodiernam* B. Theophaniam, *deinde Imperatricem, à Deo è conjugio sterili impetrasti. aufer sterilitatem animæ meæ. Fac, ut sint efficaces apud te orationes meæ!*

17. *Decembris.* 16. *Kal. Ian.*

SAncte Lazare, de quo loquens Jesus, *Lazarus*, inquit, *amicus noster*, quem sanctarum Marthæ & Mariæ sororum lacrymis exoratus, jam quatriduanum invisit in sepulchro, & in cœlum suspirans, lacrymatus est, ac dixit; *Lazare veni foras*, simulque iterum ad vitam sanctam revocavit, flendo testatus, quomodò te amasset. *Veni*, Lazare, ad me in morte jacentem; & me, unà cum sanctis sororibus tuis, juva, ut *amicus* Jesu moriar, qui pro me flevit, Sanguinem sudavit, flagellatus, coronatus, crucifixus, mortuus est. Ora, ut quando è meo tumulo *foras* ad judicium evocatus resurgam, inveniar amicus Jesu, & post *carnis resurrectionem* habeam *vitam æternam. Amen.*

Ss. Floriane, Calanice, & socii quinquaginta octo Mm.

S. Vi-

s. Vivina V. quæ juveni te in sponsam petenti eremum persuasisti, & sanctarum Virginum in virtute religiosa magistra, virtutibus ac miraculis coruscasti.

s. Olympia Vidua.

B. Begga Vidua, S. Gertrudis soror, nobilitate illustrissima; reliquiarum, & attrahentium ad Christum animarum avidissima.

s. Ignati Ep. M. hodie translate, & à s. Joanne Chrysostomo concione laudate.

s. Joannes de Matha, Fundator Ordinis Ss. Trinitatis pro redemptione captivorum: qui cùm sacris initiareris, ignea columba visa est tuo capiti imminere; & Angelus, ac posteà cervus, Ordinis tui Cruce insignes tibi conspecti sunt; cui Deipara non semel tantum auri suppeditavit, quantum necessarium erat ad captivos ab infidelium tyrannide redimendos: qui moriens ea, quibus os atque oculos claudere solebas, instrumenta, seu feras; item cilicium, catenas, flagra, manicas, pedicas, & alia, quibus corpus tuum afflictabas, circa lectulum collocari jussisti, & supremis verbis tuos allocutus: *Filii*, ajebas, *en hæreditas, quam vobis testamento relinquo*. Impetra mihi sanctam illam in corpus meum tyrannidem; ut amore Dei me oderim.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA. *cujus hodie beneficentia celebrata est in monte Serrato ob innocentem, catenâ ad tuum nomen invocatum sponte dissiliente liberatum. Libera me, ne merear æternum carcerem à Dei facie ad tenebras projectorum!*

S. MARIA, *quæ* Henrico *Canonico* (*exin Cistercienfi*

ciensi Religioso) *coram tua imagine* Ave Maria! *recitanti respondisti* : Ut quid me salutas? Homo perditus es; & nisi vitam tuam emendaveris, citiùs peribis *& ille deinde ager* ; *conversus est. Fac, ut sim dignus, qui te salutem corde mundo, atque ardente!*

18. *Decembris.* 15. *Kal. Ian.*

SAncte Modeste; super cujus in baptismo caput columnam radiantem è cœlo descendere vidit Episcopus, qui à tuis cohæredibus in Ægyptum venditus, & ibi septem annis servus, Dominum convertisti: posteà in Palæstina Patriarcha miraculis inclytus, venditores olim tuos lautè habuisti, novus Joseph; dæmonem in specie canis latrantem, aliasque, fugâsti. Ora, ut mihi sit columna ignea Deus; cujus ductu ex hoc vitæ deserto educar in terram viventium. Latrantem contra me dæmonem tu compesce; & impetra, ut de manu canis illius eruat unicam animam meam Deus. Amen.

Ss. Rufe & Zosime. MM.

Ss. Theotime & Basiliane. MM.

Ss. Quinctine, Simplici, & alii *Martyres.*

S. Moysis Martyr.

Ss. Victure, Victor, Victorine, *A*djutor, Quarte, & alii triginta Martyres.

s. Auxenti, è milite Episcope,

s. Gratiane, miraculis eximie Episcope.

s. Sturmio Abba, s. Bonifacii discipule; cujus Religiosi communi consensione decreverunt, ut à

vino,

vino,& quicquid inebriare potest,abstinerent: post mortem miraculis clare.

S. Wunebalde, proles regia, cujus corpus totum templum suavi odorum fragrantiâ replevit,candelis è cœlo ultrò accensis, campano ære sponte suâ sonum edente: ad cujus sepulchrum adduci petens vinctus quidam supplicio addicendus, à vinculis divinitùs est absolutus. Absolve & me ab occultis vinculis cordis mei, quæ me illigatum tenent, ut corde libero evolem ad Deum meum.

OMNES SANCTI &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus Annuntiationis festum, hoc die, prisco more in Hispania celebratur, nunc eo in* Exspectationis partûs *festum commutato. Sint mihi festa tua omnia, & singula annuntiatio, exspectatio, præparatio festi æterni.*

19. *Decembris.* 14. *Kal. Jan.*

SAncte Megengor Comes, Dux militum, qui mortuo in bello filii tui aspectu commotus,vale mundo dixisti, mortem ac æternitatem ferens in oculis semper. Mortuus verò filiæ cœnobii à te fundati præfectæ apparens,dixisti: *Ecce moritur justus; & nemo recogitat*; & alteri religiolæ Virgini visus, dicebas tibi Megengoris nomen in Megengaudii commutatum. S. Comes Megengaudi, impetra mihi magistram Æternitatem;ut & à mala malorum, & à bona bonorum morte, benè mori, benè æternare me doceat hausta corde toto æternitas! A.

S. Nemesi, pro Christo combuste Martyr.

Ss. Dari,Zosime, Paule, & Secunde Martyres.

Ss. Cy-

Ss. Cyriace, Paulille, Secunde, Anastasi, Syndimi, & socii MM.

S. Timothee per ignem M.

Sancti Mauri, & Thæa.

S. Gregori Episc.

s. Adjute Abba, prophetiæ spiritu à Deo donate.

s. Fausta, s. Anastasiæ mater, nobilitate, ac pietate spectabilis.

Omnes Sancti, &c. *pag. 185.*

S. Mar a, *cujus consilio, per S. Brigittam nuntiato, quia, hoc die posteà mortuus* Urbanus V. *Pontifex, tui aliàs amantissimus circa suam ex Urbe profectionem non paruit, brevè ut prædixerat, extinctus est. Da, ut & intelligam, & sequar consilia tua, & vivam in æternum!*

20. *Decembris.* 13. *Kal. Jan.*

Sancti Ammon, Zeno, & Ptolomæe, milites, qui tertium s. Genesii Martyris combusti supplicio militem, ore, oculis, nutu, manibus, lacrymis, voce denique palam animâstis, & ipsi posteà Martyres facti. Plus jam valebit auxilium vestrum pro me in agone tremente; invenite modos omni ope, ac operâ; providete de mediis, adinvenite sanctas industrias, ut plus vos mihi morienti animi addere, ac prodesse possitis, quàm ulla creatura obesse: ut me denique felici æternitati. Amen.

Ss. Liberate, & Bajule, Mm.

Ss. Ingen & Theophile, milites, s. Ammonis socii Mm.

s. Jli Martyr.

Ss. Eugeni, & *Macari*, Presbyteri, plagis affecti, in eremum relegati, gladio cæsi.

S. Philogoni, è causidico ad Episcopatum Dei nutu accersite, Catholicæ fidei inter primos propugnator eximie.

s. Dominice Ep.

s. Dominice *Abba*.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus imitatione hodierna* s. Martina *virginitatem vovit, & fortissimo martyrio coronavit. Impetra mihi armatam contra hostes, & dolorum patientem puritatem; ut sim eò magis amicus tuus, quò ero magis corporis mei hostis!*

S. *MARIA, quam quia castè ac tenerè coluit hodiernus tuus* S. Dominicus *Abbas, corona illi divinitùs missa est pro præmio. Fac, ut te colam, & seriò, religiosè, tenerè colam; atque hac arte plures mecum ad cœlum traham!*

21. *Decembris*. 12. *Kal. Ian.*

SAncte Thoma, Indorum Apostole, ante Crucem sagittis, & hastà occise *Martyr*, per sanctos tuos labores, per illos Crucifixi pretiosam tuam mortem prodigio testantis sanguineos sudores, obtestor te, dic ad cor JESU, cui felix digitos per vulnus lateris propè admovisti, ut me morientem adjuvet *Dominus meus, & Deus meus*! Ut sim bonus *Domini mei* servus, & bonum *Dei mei* honorandi instrumentum. Ut quæ nunc *credo* de gloria æternitatis, illic omne id lætus *videam*, & experiar. A.

Ss. Joannes & Feste, MM.

S. Themiſtocles M. pro S. Dioſcoro (quia ad necem quærebatur) te offerens, equuleo torte, raptate, fuſtibus cæſe.

s. Glyceri Presbyter, Martyr per ignem.

s. Anaſtaſi Ep. à Judæis ſæviſſimè necate.

s. Severine Ep.

s. Pardulphe, cui S. Michael Archangelus apparuit, & oſtenſa tibi ſcala, in cujus apice Deus viſebatur, te ut eò aſcenderes, ac imponendam tibi ab eo ceram acciperes, invitavit.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quam quia ſæpè ac ſanctè ſalutabat hodiernus* Joannes, *in Gallia, cliens tuus ex ejuſdem ore poſt mortem lilium candiſſimum prodiit, cui prima ſalutationis Angelicæ verba erant aureo charactere inſcripta. Perfice mihi cor & linguam, ut te corde aureo, aureâ linguâ, & aureâ ſalutatione ſalutem!*

22. *Decembris.* 11. Kal. *Ian.*

SAncta Anaſtaſia, s. Chryſogoni filia, quæ unà cum aliis navi perforatæ impoſita, ut perires, ſanctam Theodoram in velis gubernatricem habuiſti è cælo, & in portu tribus palis alligata, exuſta es. Advoca s. Theodoram una tecum in auxilium mihi; ne malâ navi navigem, ne patiar naufragium æternum in immenſo æternitatis mari. A.

Sancti triginta Martyres.

S. Flaviane Expræfecte, qui pro Chriſto exul, orans Deo ſpiritum reddiſti.

Sancti Demetri, Honorate, & Flore, Martyres.

s. Ischirion M. præacutâ sude, per media viscera transverberate.

Sancti Chæremon Ep. & alii plurimi Martyres, qui in persecutione fuga dilapsi, in solitudinibus errantes, alii à bestiis interempti, alii fame, frigore, languore consumpti estis.

s. Zeno miles, maxillis confractis, dentibusque excussis, capite truncate, M.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *cujus cum* S. Josepho *connubium hoc die passim in Gallia celebratur. Gratulor tua, ac tui* s. Josephi *gloriæ. Per illam te rogo, fac me erga te, & illum talem, ut merear te, & illum erga me talem experiri, qualem tot clientes experti sunt!*

25. *Decembris.* 10. *Kal. Jan.*

SAncte Servule, qui membris omnibus miseranda paralysi dissolutis, gratias Deo semper agens, & Psalmis canendis, ac lectioni sacræ semper audiendæ intentus; acceptis eleemosynis, etiam alios pauperes alebas. Cui morituro præsentes fuerunt è cœlo symphoniaci, quibus audiendis dum silentium inter circumstantes imperas, totasque aures, ac animum colligis, abis ad præparatam doloribus tuis æternæ lætitiæ patriam: ad quam ut omnes dolores meos, vitam, & mortem meam præpares rogo; ut libenter omnia, ideò quia Deo ita placet, patiar; & læta denique post mortem tecum fruar æternitate. Amen.

S. Victoria V. Martyr, quæ cùm nec nubere, nec diis sacrificare velles, post multa facta miracula.

qui-

quibus Virgines Deo multas aggregaveras, gladio in corde percussa es.

Sancti viginti Martyres, tormentis gravissimis cruciati.

Sancti Migdoni, & Mardoni Martyres, alter igne cremate, alter in fossam projecte.

Sancte Anonyme, s. Anthini Episcopi Diacone, lapidate, M.

Sancti Theodule, Saturnine, Eupore, Gelasi, Eunicianе, Zetize, Cleomenes, Agathope, Basilides, & Evariste, qui crudelia passi omnes exclamabatis; *Sumus Christiani, Christi hostia, Christi victima*; *etiamsi millies mori oporteat, libenter moriemur*, & capite cæsi estis.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *Regina puritatis, cujus nomini, unà cum* JESU *nomine, junctum hodiernæ* s. Victoriæ *nomen ignea inimici tela extinguit.* JESU. MARIA, VICTORIA, *servate me corde, oculis, lingua, undequaque ac semper mundum!*

24. *Decembris.* 9. *Jan.*

SAncta Tharsilla, sacra Virgo, s. Gregorii Magni amita, oratione, gravitate vitæ, abstinentiâ sanctissima: cui s. Felix apparens, *Veni*, inquiebat, *quia in hac te lucis mansione recipiam.* Et moriens, viso JESU, *Recedite*, ajebas, *recedite.* JESUS *venit*, & relictâ in corpore mirâ odorum fragrantiâ, & duro à nimia flectendi frequentia, & diuturnitate callo in genibus, abiisti felicissima. Impetra mihi spiritus verè flectendi, verè orandi. Recedite respe-

ctus

ctus humani, recedite omnia, dum Jesus venit aspirans mihi. Invita Jesum ad me agonizantem! ut ab illo æternum *Veni*, non æternum I. audiam; & me hinc abeuntem ille in illa, in qua tu es, *lucis mansione recipiat. Amen.*

Ss. *Adam*, & Eva, primi parentes nostri, primi peccatores, & primi pœnitentes, respicite me hic exulem filium vestrum, & perducite ad paradisum voluptatis æternæ.

Sancti quadraginta Virgines Martyres.

S. Gregori Presb. contusis maxillis, toto corpore nodosis fustibus dilacerate; quo super craticulam & ignem posito, exortus terræ motus quadringentos quinquaginta ethnicos oppressit; & apparens tibi posteà in carcere Angelus Dei, vinculis, ac tenebris dissipatis, pacem tibi & constantiam precatus est; ac tu demùm carduis ferreis in utroque genu percussus, & lampadibus totus exustus, ac decollatus, etiam post mortē feris venerationi fuisti.

Ss. Luciane, Metrobi, Paule, Zenobi, Theotime, & Druse. MM.

S. Euthyme, qui cùm multos tibi ad felix martyrium præmisisses, & ipse secutus, & Martyrense transfixus es.

S. Delphine Episc.

S. Irmina V. Regis filia.

S. Nicolae, miles castissime; cui *Angelus* victoriam de hostibus gloriosam prædixit, eò quòd ter ad scelus invitatus, immaculatus permanseris, vincendus aliàs, cum toto tuo milite, & ipse in conflictu occidendus, ni tunc tentantem te puellam, & dæmonem superâsses.

S. Petre

S. Petre Nolasce, Ordinis B. MARIÆ de Mercede, redemptionis captivorum Fundator, hac nocte Christi nascentis extincte, cui in cunis infanti apes favum mellis in dextera construxerunt: cui conspecta Beatissima Virgo dixit; *Filio suo, sibique acceptissimum* fore Ordinem, pro captivis ab infidelium tyrannide liberandis id quod præstitisti, ac præstas, maximo solatio afflictorum. Quem Angelus custos & Deipara Virgo frequenti apparitione recreârunt. Ora pro me, ut non ore tantùm, id est suavibus verbis, verùm & manu, hoc est, factis dulcissimâ charitate plenis, mel cæleste exhibeam. Assere me in libertatem filiorum Dei, & Matris Dei; ne quid me illiget. Fac, ut Angeli mei custodis, ac Matris Dei, consilia sequar, & faciam semper id, quod *acceptissimum* Deo fore putavero.

Divine infans JESU, qui hac nocte in sinu sanctæ tuæ Franciscæ Romanæ positus, eamque ut te ac Matrem tuam verè amaret, suique oblivisceretur, docens inter alia dixisti; *Anima sursum elevata, ego te renovavi in charitate, tanquam parvulum dedi tibi me, in quem Seraphini defigunt oculos. Lætare, & respice Matrem meam dulcissimam. Aspice illam cum amore, quæ te tantum dilexit, & sursum direxit, noli ac te ipsa esse solicita.* Doce me in te, speculum & exemplar meum, oculos cum Seraphinis toto amore defigere: doce me diligere Matrem tuam: renova me tibi in amore, ut aurum in igne.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quæ Sanctis tuis* Bernardo, Gertrudi, *& aliis hodie, ad excipiendum, quem hac nocte*

paritura eras, IEsum corda præparantibus cœlestes delicias exhibuisti, & quidem Bernardo *tuo suavissimum recens ex te nati JEsu mysterium ostendisti: de qua hodie disserens idem* Bernardus *dixit; quòd cum indigni essemus, quibus aliquid donaretur, datum sit tibi, ut per te acciperemus, quicquid haberemus: quia nihil nos Deus habere voluit, quod per tuas manus non transiret. Exosculor illas manus tuas, & in illis depone cor meum; ut illud evacues & impleas ita ut vis, ut sit semper juxta cor JEsu, & cor tuum, fidele mancipium utriusque.*

25. Decembris. 8. *Kal. Ian.*

O DEus amoris æterni! à Maria Virgine nate, æternitate amoris amabilis Deus infans! humilitatis & amoris magister! Deus lacrymans; Deus nascens in stabulo, ut pro me moriaris in cruce! Concessisti te misero nostro tempori ad mortem, ut me dares æternitati tuæ ad vitam! O Rex, & pretium æternitatis meæ sanctæ! ô optimarum deliciarum omnium delibate flos, fili Dei, & Virginis, omnium Pater; Venisti, ut me abduceres tecum. Quomodo amabo te, Amoris Rex? Primam gratiam, Deus mi Rex Jesu, peto à te, ut morientem suscipias me; ut vivens & moriens, & posteà, æterno amplexu complectar te; ut Francisci tui lacrymis alloquar te? Ignatii tui silentio amem te! Catharinæ tuæ Senensis, & B. Mariæ Florentinæ oculis desiderem te? Bernardi, Gertrudis, Mechtildis ore osculer te? Josephi tui affirmatione admirer te? MARIÆ dulcissimæ Matris tuæ corde sancto hauriam te? omni-

omnibus Angelorum obsequiis mihi adstringam te? omnibus tibi, puer mi Jesu, & dulcissimæ Virginis Matris tuæ cordi devotis cordibus diligam te? & in ipso humillimi, ac tenerrimè sublimis, atque acuti, solidique erga te amoris actu emoriar tuus? Ultima sit hæc, & deindè æterna, pigri hujus mei cordis occupatio, amare te, ô unice, ac summe cordium, & amoris æterni Rex. Imperator, Monarcha, Deus Jesu? Christe Jesu, qui hoc tuo natali die, s. Mechtildi ostensus es in symbolo arboris, in altari, ad cælum usque porrectæ, latæ per Orbem universum, ac plenæ fructibus, & foliis, quibus aureo charactere inscripta erant mysteria vitæ, ac mortis tuæ: Christus incarnatus. natus, circumcisus, adoratus, præsentatus, baptizatus, crucifixus. Inscribe cordi meo, arbori tuæ, ac linguæ meæ, aureo amoris tui charactere, omnia actuosi tui amoris mysteria: ut sim arbor tua fructibus optimis plena. Tibi hoc die, audiente sancta tua Francisca, auditi sunt canere *Seraphini*: Tu solus es Deus, tu solus Dominus, tibi subjiciuntur Dominationes. Tu verò in ejus brachia te deponens, ei dixisti: *Ego sum amor., si amas Deum, & Dei Matrem, noli oblivisci donorum, quæ accepisti.* Doce cor meum, & fac, ut audiat & intelligat, quod canunt Seraphini, magistri veri amoris tui: & vivam ac moriar in amore tuo, gratus tibi, qui venisti, ut esses magister amoris. Venisti, (ut dicebat Beatus Aloysius tuus) ut nos doceres *ædificare civitatem amoris Dei*: doce me, ego omnes ingenii, corporis, animi mei vires illi labori dedico, te architecto. Venisti, (ut tu dicebas) *vocare peccatores*: voca me

quoque,ita ut ſim inter vocatos,obedientes, & electos. Veniſti *gladium mittere* contra hoſtes Dei: da, ut aureo tui amoris gladio vincam ubique ac ſemper. Veniſti *quærere & ſalvum facere, quod perierat*: erravi,ſicut ovis,quæ periit:quære,inveni, ac ad dexteram tuam colloca ſervum tuum. Veniſti, *non ut miniſtraretur tibi,ſed ut miniſtrares, & dares animam tuam in redemptionem pro nobis*: accipe animam meam;& fac illam tuæ diſcipulam,atque ancillam. Veniſti, ut *Veniam poſt te, & abnegem me ipſum, & tollam crucem meam quotidie, & ſequar te*: fac, ut amore tui portem crucem *quotidie*, ſicut tu illam mei amore portâſti. Veniſti *ignem mittere in terram & quid vis, niſi ut accendatur*? Accende illum in me! ut ab illo concalcat intra me cor meum, & in meditatione mea exardeſcat ignis. Veniſti, *ut habeamus*, & abundantiùs habeamus: ut mediocribus non contentus, *abundantiùs* velim ſemper tibi vivere ac ſervire. Veniſti, *lux in mundum*; *ut omnis, qui credit in te, in tenebris non maneat*: credo in te, & ſpero, ac amo. Veniſti, *non ſolvere legem, ſed adimplere*: fac,ut omnia faciam accuratè ad aureas leges amoris tui. Veniſti, *ut facias voluntatem Patris tui, qui in cœlis eſt*: fac,ut illam ita faciam, ſicut vis; ut ſim ſecundùm cor tuum. Veniſti *ut dum viſibiliter Deum in te cognoſcimus*, per te *in inviſibilium amorem aperiamur*. Avelle me, Domine, ab omni amore, quem non amas;& rape me in amorem illum, qui te delectat. Tu enim unicus cordium ignis es, & magiſter. Amen.

S. Anaſtaſia, impii mariti ſancta & patientiſſima conjux; vivorum,& mortuorum Martyrum obſe-

quiis

quiis devotissima; quæ martyrii avidissima, triduanâ inediâ macerata, manibus & pedibus ad palos alligata, conversis pluribus, in igne martyrio coronata es: quam S. Theodora M. ante te occisa, tui certaminis socia, singulis antè quàm tu quoque occideretis noctibus è cælo visitavit, & ad gloriam præparavit. Præpara tu me!

S. Theodora, quæ *E*vodium filium tuum æternarum commemoratione coronarum ad fortiter pro Christo patiendum, & moriendum exhortata, unâ cum tribus filiis in fornace ardenti lætam Christo animam reddidisti.

Sancti ducenti viri, & septuaginta fœminæ, cum S. Anastasia exules, & per diversa tormentorum genera Martyres.

S. Eugenia, admirabilis vitæ V. quæ lectione Epistolarum S. Pauli conversa, & clarissimos honoribus parentes, & plurimos alios convertisti; & hodie JEsu parvulo martyr victima cecidisti; matriq; deinde, ineffabili splendore, ac cælestium Virginum choro cincta, apparuisti, & illam pluribus consolata, felicem illi brevi mortem prædixisti:

O vos multa sanctorum Martyrum millia, qui pro nascente hodie JEsu, unà cum illo, in quo ad natalem JEsu diem sanctificandum conveneratis templo mori vos malle, quam Christum deserere clamantes, omnes combusti estis.

OMNES SANCTI. &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *Dei, hoc die nati Mater Virgo! Per omnes illas quas hac nocte, vel aliàs*, Francisco, Bernardo, Stanislao, Franciscæ, Gertrudi, Mechtildi, *&* *aliis*

aliis plurimis, ostenso, vel etiam porrecto in sinum par-vulo Infante IEsu fecisti delicias, te obsecro age, ac feli-citer perage cum illo totum negotium salutis meæ; ut il-lum, ac te videam, & amem in æternum in cœlis: & il-luc me suscipiat ad se, exortatus à te is, qui huc ad m-descendit per te Filius tuus JEsus!

S. *MARIA, quæ hoc die, à* S. Francisca Roma-*visa es, cum JEsu Filio tuo parvulo, rubram Crucem habente in pectore, & S. Josepho Angelisque, ac San-ctis canentibus tribus coronis coronata: quarum un-erat è rosis candidis atque recentibus; altera è liliis, i-quibus stellæ duodecim collucebant; tertia è duodecim pretiosissimis lapillis varias tuas virtutes notantibus quas inter ardebat in carbunculo* amor Dei. *Audi-tunc sunt* Seraphini *canentes tibi:* Semper tibi laus ô gloriosa Domina, quæ pulcherrimas habe-in capite, de rosis albis, & stellis, & lapillis preci-sis: quibus redimita es à Deo, quia semper amore-illius respexisti: *& plagam, quam* Francisca *habeb-in pectore persanasti. Sana plagas cordis mei: ut sanu-& purus, ac amoris Dei plenus, laudem te cum Sera-phinis, quorum Regem peperisti, & quem aliàs* Fra-ciscæ *in sinum dedisti: ac illi S. Paulum, S. Maria-Magdalenam, & S. Benedictum, à quibus regulam a-sceret, assignasti. Aliàs verò, hoc item die. JESUM in-fantem à te petenti* Franciscæ *dixisti: Non poteris eu-sustinere, propter immensum pondus ipsius. Sed con-cessisti tandem cùm illa diceret: Ipsemet tenebit, & por-tabit, quo à te accepto, illa in suavissimas Dei laud-canendas erupit: ô Domina, da mihi JEsum, qui port-me, ut amorem illius laborem, ac portem pondus diei e-æstûs.*

26. D

26. Decembris-7. Kal. Ian.

SAncte Stephane, vultu Angelice, disputando doctissime; plene gratiâ, & Spiritu sancto protomartyr, cui dulces fuerunt pro Christo lapides, *quem sequuntur omnes animæ justæ*, qui lapidatus pro Christo & jam moriturus, *Ecce*, ajebas *video cælos apertos, & IESVM stantem à dextris virtutis Dei*: qui positis genibus, pro iis, qui te lapidabant, orans dixisti: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*: & obdormivisti in Domino, *Sequatur te* etiam *anima mea*, ô *Angele* Martyr; ut odia omnia in dulci unius Dei amore absorbeat: dulcia sint illi pro JEsu, amara omnia: in omnibus dulcibus, & amaris cor in cælum ad JEsuM stantem elevare assuescat, ut in sua à corpore separatione, *videat* non inferos, ut diviti epuloni ad sepeliendum aperti sunt, sed *cælos apertos* sibi: *videat & introeat. Amen.*

Sancti trecenti sexaginta sex *Martyres*, inter orandum cæsi.

s. Marine, senatorie adolescens, qui equuleo, & ungulis pro Christo servili more cruciatus; in lartaginem deinde conjectus, & igne in rorem converso liberatus, serrâ ligneâ secandus gaudebas; & postquam in crate super ignem jacuisses, etiam a plumbo liquato nil læsus, mansuetum divinitùs ad pedes manus, collum, pardum, tigridem, leonem vidisti; ad fornacem ardentem inter *Angelos* abiisti, totoque illic biduo illæsus mansisti; & gladio tandem cæsus es. M.

s. Dionysi Papa.

S. Zosime Papa.

S. Archelae Ep.

S. Zeno Ep.

S. Theodore, cui pro exhibita in templi cura, diligentia s. Petrus apparuit.

S. Constantine castissime, qui dum Crucifixi osculareris pedes Christi amplexu beatus, & Cruce ab illo in fronte signatus es.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, cui sacer hic dies apud Græcos vocatur Congregatio Beatissimæ Virginis MARIÆ: *cujus vestis depositio celebratur hodie in Blachernis!*

S. MARIA puerpera, cujus parientis festum hodie Syri, Græci aliique celebrant. Da mihi JESUM in cor, ut ille istinc linguam, oculos, aures, ac totum corpus meum & animam gubernet amabilis Rex!

S. MARIA, quæ heri promissum parvulum tuum JESUM hodie S. Franciscæ Romanæ *reduci à S. Stephani corpore visitato, dedisti; quem illa procul portavit, usque ad tuum templum. Da mihi illum, Domina: ut ille sit amor meus, pondus meum; & illum feram, ac ab illo ferar, quocunque feror, nec agam quicquam, nisi illius instigatione!*

27. *Decembris. 6. Kal. Jan.*

SAncte Joannes Theologe, Evangelista, Propheta, Virgo, Apostole, charitatis discipule, quem per multa, & tenera charitatis argumenta, usque in finem, in sinum, usque ad mortem diligebat, & Matri MARIÆ in filium dedit Magister dilectus JESUS: qui in ferventi oleo coctus, à veneno puto nil læsus,

Jæsus, omnium ante mortem concionum hanc medullam habuisti: *Filioli diligite alterutrum*. Dilecte Jesu discipule, dilecte MARIÆ filiolæ, & impetra, ut *ex hac hora* in æternum illam *recipiam in mea*, in cogitationes meas, in verba mea, in opera mea, in cor meum, in animam meam; & merear, ut verè illi de me moriente dicas: *Ecce filius tuus!* & illa me nunc, & tunc *recipiat in sua*, suique Filii æterna tabernacula ubi non exul, sed in patria fruar visione Dei, apocalypsi æternitatis. S. Joannes, qui cum S. Petro Apostolo, S. Franciscam Romanam ad altare, atque in eo positum, agni candidi specie, JESUM duxisti. Aliàs eam docuisti, ne turbaretur, si quâ in re se defecisse adverteret; cùm *divino amori* esset chara, nam etiam dilectis, pro humilitate, adhærescere nævos quosdam. Aliàs eidem verba illa: *In principio erat Verbum*, ac ingens in illis divini amoris mysterium explicuisti; illam ad amorem, cordis munditiem, humilitatemque hortatus. Aliàs, hoc tuo die festo, illi rubrarum amoris, candidarum puritatis, aliarumque rosarum violis permissum fasciculum donâsti, qui posteà infanti Jesu oblatus, in ejus manibus in monile pretiosissimum est conversus. Aliàs eam monuisti: esto firma, & humilis; Amor venit ad te, ac te totam abstraxit. Effice, ut me quoque abstrahat avulsam ab his, quæ me à vero amore impediunt. Amen.

S. Geralde, qui S. Joannis Evangelistæ amantissimus, ejus die natus, religiosum institutū amplexus sacris initiatus & mortuus es post concionem, quā de sancto tuo Joanne flagranter habuisti, & cū diē tibi supremū fore, sanus tunc adhuc prædixisti: qui

cùm in cinere ac cilicio mortem expectares, eam obiisti, sancti tui Joannis aspectu priùs recreatus. Commenda me Sancto tuo, & una cum illo juva me morientem; ut vivam æternùm.

S. Maxime Ep.

Ss. Theodore, & Theophane, fratres sanctè educati, pro sacrarum imaginum cultu verbera, & exilium perpessi.

Sancta Nicetas Virgo medica, sanctitate veneranda.

OMNES ANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quæ die* S. *Joannis de* S. Dominico, *ad concionem dicturo libellum, è quo concionaretur, porrexisti; doce me sancta sanctè dicere, audire, legere, meditari, tanquam è libro, à te mihi dato, vel misso.*

S. MARIA, *quæ* S. Gertrudi *in horto inter rosas sine spinis, & lilia visa es purissimo sancti tui Joannis corde unicè delectari: dicente ad* Gertrudem *Christo, cor suum erga Joannem eò esse propensius, quò illa majora tibi obsequia nunquam exhibuit. Fac, ut & ego cum Ioanne ita te colam,* ut JESUS meo corde, ac meis erga te obsequiis delectetur.

28. *Decembris. 5. Kal. Jan.*

INnocentissimæ Martyrum primitiæ, lactentes beatissimi parvuli, in quorum singulis quærebatur ad mortem JESUS. O tenella, & sancta pro JESU morientium infantium millia? clamet pro me misericordiam æternam sanguis vester. Adsint mihi morienti custodes vestri Angeli, & vos. Vos me

cum

cum JEsu Rege vestro! & Regina MARIA, & angelis cingite morientem, ô sancta legio! ô innocens victima! vos me Deo meo immaculatum sistite; & ad illam, quam tenero sanguine brevi tempore emistis æternitatem, in vestro comitatu deducite. Amen.

ss. Eutychi & Domitiane. MM.

sancti Castor, Victor, & Rogatiane MM.

s. Domna, è piis colloquiis, & sacra lectione conversa, quæ unà cum Inde cubiculario tuo conversо verberata, post longam famem ab Angelis lautè habita es; ille posteà aqua, tu igne Martyr.

sanctæ Agapes & Theophila, Virgines, & sociæ MM.

s. Troadi M. cui in agone S. Gregorius Thaumaturgus in spiritu adfuit, teque ad subeundum martyrium roboravit.

s. Cæsari M.

s. Domnio Presb.

s. Theodore, s. Pachomii discipule.

s. Antoni, animarum zelo, honorum fuga, revelationibus, solitudine commendatissime, qui sanctum quendam senem morientem, in igneæ columnæ specie cælum ascendentem vidisti.

ss. Eutychi, & Florenti, oratione, ac miraculis inclyti.

S. Francisce de Sales Ep. hoc die extincte. Qui Parisiis orans coram Dei Matris imagine, cor tuum in sinu illius, velut in ara puram victimam deposuisti; ac socios ad pietatem vel ipso tuo aspectu inflammasti, qui dum de tua prædestinatione anxius tentareris, dicebas orans cum lacrymis. *Deus! ah*

Deus! Et sine te sim ego! Fac, obsecro, ut amem te, & moriar potiùs millies quàm te offendam. Et mox, ope Deiparæ implorata, tranquillatus es, omni tempestate abstersa. Qui effrontem fœminæ malè blandientis vultum conspuisti, & victor insidias evasisti. Æger Patavii Medicis corpus tuum post mortem destinâsti, ut egentibus uno corpore anatomicis post mortem prodesses. Qui intra unius ferè anni spatium facilè viginti quinq; millia hæreticorum ad sanam doctrinam reduxisti, auditus aliquando inter labores illos anhelans dicere: *O mi Deus quæso siste gratiarum tuarum torrentem: neque enim potest capere spiritus meus abundantiam deliciarum dulcedinis tuæ tantæ?* Aliàs verò ad Deum vibratis brevibus suspiriis, dicebas: *O mi Deus, ecquando cognoscêris; ecquando amaberis, ô mi Deus?* In cujus pectore cor Seraphini absconditum, pro ingenio, per suspiria, per calamum, per colloquia erumpebat in flammas; amabatque omnes, tanquam in Christi pectore, sub corde absconditos. Qui acerbâ dilecti fratris morte auditâ, sublatis piè in cœlum manibus, ac oculis dixisti: *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te: Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti!* Impetra mihi cor, quod dicat Deo semper, *Ita*; & quærat, quod ei magis placet. Qui quadringentis plures à dæmone liberâsti, libera me quoq; à dæmone acediæ ac teporis; & si quis alius mihi molestus sit. Qui ægræ sanctimoniali tibi addictæ, novitiæ jam depositæ, opem tuam imploranti, in veste ac mitra splendida gloriosus, inter duos Angelos, accensis facibus tibi adstantes, apparuisti; & ut cor tuum sibi afferri juberet, monuisti, ac sanandam
præ-

prædixisti: & illa coram allato tuo corde in preces effusa repente convaluit. Appone etiam erga me cor tuum, thesaurum illum ac igniarium amoris Dei: ac me actuoso, & cordis mei magistro, illius igne accende.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quem hodiernus tuus* S. Franciscus Salesius *Episcopus Sodalis, & tuarum filiarum Fundator per totos quadraginta annos, quotidianâ Coronâ, tibi recitatâ honoravit, à te in singularem protectionem recipi visus; quando de sua prædestinatione anxium, & sub tuum præsidium confugientem, in pulchritudine pacis toto animo tranquillasti. Habe curam prædestinationis meæ; recipe me in album tuorum, ac impetra, ut si quid bene cœpi, perseveranter in illo tui amore persistam!*

29. *Decembris.* 4. *Kal. Jan.*

SAncte Thoma, è Cancellario Archiepiscope, qui exilium. & aliter enormiter crudelia pro Ecclesia perpessus, & à Christo invitatus ad palmam, illam in templo crudelissimè cæsus accepisti, cùm diceres: *Pro nomine JEsu, & defensione Ecclesiæ mori paratus sum*; qui denique tuis etiam è tumulo benedixisti: & Regi impio admirandam pœnitentiæ gratiam impetrasti à Deo, ad exemplum orbis terrarum. Benedic & mihi è tumulo, imò è cœlo, benedic mihi in tumulum abeunti per mortem; ut MARIAM ita colam, & corporis, & animi sanctis obsequiis, ut à MARIÆ Filio JESU, ad palmam merear invitari æternam, Amen.

S. Da

s. David, Rex Propheta, vir secundum cor Dei, qui fecisti omnes voluntates ejus: respectuum humanorum contemptor maxime; mansuetissime, orationi addictissime, pœnitentium exemplar perfectum.

s. Trophime Ep. Galliæ Apostole.

Ss. Calliste, Felix, Bonifaci, Mm.

Ss. Dominice, Victor, Primiane, Lybose, Saturnine, Crescenti, Secunde, & Honorate, Mm.

s. Crescens Episc. s. Pauli discipule.

s. Marcelle Abba, eleemosynarum, & lacrymarum vir, qui inter orandum ab Angelis in altum tolli, & fulgure visus es instar Solis, pro cujus tutela contra hostes corusca è cœlo crux tela misit, & fulmina.

s. Ebrulphe, Angelo Custode duce, è magno Regis aulico Eremita: qui Ansbertum Religiosum tuum peste absque viatico divino extinctum, orans cum lacrymis, à morte excitasti, ac interrogasti: *Vis Eucharistiam accipere?* illumque respondentem, *Volo*, illâ munitum in pace iterum dimisisti: cujus meritis ad vitam se revocatum dixit quidam resurgens à mortuis, qui postea per annos plures in cœnobio tuo vixit: qui æger per dies quadraginta septem, non alio cibo, quam quotidianâ Eucharistiâ vixisti: qui à morte ad vivos redux, octodecim illis, quibus post mortem vixisti diebus, multa pauperibus largitus es; & multis, rursum mortuus, miraculis coruscasti.

OMNES SANCTI, &c. pag. 185.

S. MARIA, quæ Sancto tuo Thomæ *tua, quibus in cœlo frueris, gaudia celebranda commendasti; & eum*

in reficiendo cilicio, quod sabbatinâ, & aliàs gestatione laceraverat, adjuvisti : Fac, ut mortificationi seriò, tibique addictus, tua gaudia nunc celebrem, ac te olim videam beatus apud te!

30. *Decembris. 3. Kal. Ian.*

SAncte Philetære adolescens, Patre Proconsule, omnibus fortunæ, naturæ, gratiæ donis amabilis: qui ex ardenti fornace lætus, venustiorque, tanquam ex horto egressus; uncos postea, & virgas passus, feras ad pedes tuos supplices vidisti; & ruentibus quaque fanis, in exilium ductus; Comitem unà cum sex aliis Christo lucratus, cùm ad S. Eubiotum visendum ires, ille ab Angelo monitus est, ut te, obviam tibi veniens, honoraret. Sancte Juvenis, à forma, à virtute, ab igne, à feris, ab hominibus, ab Angelis, à Deo honorate amate! Impetra cordi meo ab eodem Deo æternùm amabilem pulchritudinem! purissimus illius oculus disponat, & mundet cor meum sibi; ne abjiciar in abominabilem turpitudinis æternæ abyssum; sed in amabilis æternæ pulchritudinis æternitate, ac puritate, illum, pulchritudinis omnis fontem pulcherrimum, æternùm contempler. Amen.

s. Sabine Episc. præcisis manibus, illuminatis cæcis, conversis pluribus, plumbatis tandem ad mortem usque cæse, M.

Ss. Marcelle & Exuperanti, in equuleo fustibus contusis, latera unguibus rasi, & igne cruciati usque ad mortem.

s. Venustiane præses, & uxor, ac filii omnes à S. Sabino conversi, capite pro Christo plexi. Martyres.

San-

Sancti Mansuete, Severe, *Appiane*, Donate, Honori, & socii Martyres.

S. Anysi Episcope.

Sancti Eugeni, Liberi, & Raineri, Episcopi.

s. Anastasi Astrice, olim Romæ *Abba* ad s. Alexii, deinde *Archiepiscope* Coloniensis: qui Româ coronam *Apostolicam* cum Cruce, tibi â Pontifice Angeli monitu datam, s. Stephano primo Regi detulisti, serva Hungaros fideles Deo.

s. Jacobe *Apostole*, Joannis frater, hoc die in Hispaniam translate Jerosolymâ Compostellam; quem Compostellæ conditum latere è cœlo proditum est: qui in difficillimis præliis palam te conspiciendum præbens, Hispanos tuos adversus infideles in prælio mirificè adjuvisti; magne peregrinorũ, & in extremo agone periclitantiũ advocate.

s. *Anysia* V. M. quæ post opes in pauperes distributas, plus flens quam ferè bibens, assiduâ lectione, jejuniis, precibusque pervigil somni vix aliquid admittebas, cùm diceres: *Malum est mihi dormire, dum meus inimicus vigilat.*

s. Eguine Episcope.

s. Laurenti, qui tantùm quinque annos natus, & jam orphanus, te sæpe flagris cædebas usque ad sanguinem, qui tamen è pannis lineis divinitùs evanescebat, ne illum nutrix adverteret. Quia teneris cilicio cinctus ad renes, quid optimum esset in aliis observabas, & imitabaris, qui duos Angelos vidisti Nicephoro Episcopo morienti dicentes: *Veni frater, quia Dominus vocat te.* Qui in longo quadraginta dierum jejunio, enatam cœlitus arborem trium ramorum vidisti, ramo uno floribus,

alio

alio pomis immaturis, alio maturis onuſtam,&eo cibo refectus es; ac illa videri deſiit. Mox aperto cœlo, & voce inde auditâ, ad cœnobium tuum reverſus, non niſi de rebus cœleſtibus loquebaris, nemine te adeunte, qui non magno pietatis intimæ amore accenſus à te redierit. Qui poſtmodum Rhegium à peſtilentia liberaſti. De quo multis Angelorum ſuorum millibus è throno loqui viſus & auditus Chriſtus Rex gloriæ, dixit: *Advocate ad nos Laurentium.* Et illi frequentes ad te advolavêre; tibi, poſt cariſſima oſcula, Chriſti te vocantis nuntium attulêre; teque ad Deum adduxêre, qui te amantiſſimo complexu ſalutans, dixit: *Laurenti mihi cariſſime, tuæ à me orationes exauditæ ſunt*, & promiſit, apud te ægros ac energumenos opem præſentiſſimam reperturos. Qui tuos ad *amorem Dei* enixè hortatus, dixiſti: *Filioli, hortor vos hilares eſſe. Bonos, & rectos corde, perfecto Deus amore proſequitur.* Qui morti vicinus, lacrymabilem Chriſti patientis hiſtoriam tibi legi juſſiſti, ac lacrymans: & ſaxo pectus verberans, ſanguinem è pectore, gemitus è profundo corde fundebas, dicens: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum,* & immortuus es imagini Chriſti cruci affixi, ac ibi ſuum *caput* ſuaviter *inclinantis.* Deinde verò è tumulo tuo erumpens odor ſuaviſſimus, & crebra patrata miracula, pretioſam fuiſſe mortem teſtata ſunt. S. Laurenti, ſim & ego inter accenſos à te, fac, ut mihi amorem Dei, ac odium mei petenti annuat Crucifixus capite inclinato.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, *quæ hodierno* S. Eguino *in Anglia* *Epiſ-*

Episcopo, cincta Virginibus, & crucem ac librum manu gestans conspecta es. Tu sis magistra mortificationis, sapientiæ, orationis meæ. Ne patere, ut me inde amem; ne patere, ut aliquid eorum nesciam, quæ scire vis, vel eorum aliquid sciam, quæ nescire me vis!

31. Decembris Prid. Kal. Ian.

SAncte Sylvester Papa, qui tepescentem in fide Constantinum, ideoque leprosum, sed a Ss. Petro & Paulo Apostolis; ut te advocaret monitum, baptizasti, mundasti; postea exitialem draconem precibus extinxisti, Ecclesiam sanctitate tuâ, diligentiâ, dexteritate roborasti. Extingue omne id, quod exitio esse potest animæ meæ; nam omne illud mihi draco, dæmon infernus est: aufer à me teporis lepram, & quicquid oculis Dei displicere potest in me. Hodie annum hunc finio, dum multi per orbem finiunt vitam. Impetra mihi felicem ultimi vitæ meæ anni diem, & horam ultimam. Doleo de omnibus: quæ hoc anno, & alias commisi malis, & quæ comisit ullus. Gratias ago de omnibus, quæ à Deo hoc anno, & aliàs, accepi bonis, & quæ accepit ullus, gaudeo, & gratulor de omnibus, quæ in æternitate Deus à se, Sancti à Deo habent bonis; gaudeo de omnibus, quibus hoc anno, a cœlo, & terrâ, Deus meus cultus est honoribus. Gratulor omnibus ex hoc exilio ad beatam illam patriam hoc anno translatis. Et per omnium omnino, ac singulorum Sanctorum ac Sanctarum Dei (eorum autem, ac earum præcipuè, quos & quas hoc anno annis cœlestibus beavit Deus) intercessionem supplex

plex & ad universæ triumphantis Ecclesiæ, singulorumque Sanctorum pedes provolutus, peto per omnes illos ab unico Deo vivo felicem exitum ex his annis momentaneis; & felicem ingressum ad immortalem cœlestium sæculorum æternitatem, in qua summum, optimumque ac pulcherrimum bonum nostrum æternum videam, æternum amem, æternum laudem, unà cum sacratissima Humanitate Jesu, Maria, Jesu Matre, Custode meo, & aliis omnibus Angelis, omni denique Electorum omnium universitate. Amen.

Sanctæ Donata, Paulina, Rustica, Nominanda, Serotina, Hilaria, & sociæ Martyres.

Sancti Sabiniane Ep. & Potentiane Martyres.

s. Columba Virgo, cujus miraculo defensa Virginitas, extinctus cœlesti imbre ignis, & amputatum caput martyrio coronatum.

s. Hermes exorcista.

Ss. Stephane, Pontiane, Attale, Fabiane, Corneli Sexte, Flos, Quinctiane, Minervine, & Simpliciane, Martyres Catanenses.

s. Zotice Presbyter alendorum orphanorum susceptâ curâ Deo charissime.

s. Barbatiane Presbyter, ægrorum medice thaumaturge.

s. Melania junior, quæ, unà cum piissimo conjuge opes solis Imperatoris opibus minores, omnes in pauperes erogasti; & pane arido, longis jejuniis, legendis, ac scribendis libris carnem macerans, extra Romam ultrò exul, in arca lignea, velut in tumba, mirabiliter toto septenio vixisti; tandem cum matre & conjuge Piniano, Hierosolymis magna Virgi-

ginum Deo dedicatarum magiſtra vixiſti, multiſque patratis miraculis, diem, quem prævideras vitæ tuæ, & anni ultimum, læta clauſiſti.

S. Frodoberte, circa cujus tumulum Angeli ſæpe conſpecti ſunt cum ſplendoribus atque canticis tui natalis Officium celebrantes; & columba candoris lactei de cœlis viſa eſt deſcendiſſe.

OMNES SANCTI, &c. *pag.* 185.

S. MARIA, cujus nomine S. Sylveſter *hodiernus Romæ templum dedicavit, dictum*, S. *MARIA*, libera nos à pœnis inferni. *Fac ne pericula inferni inveniant me! Hæc ſit ultima, & maximè neceſſaria petitio mea: S. MARIA libera me, potentiſſimis tuis precibus, ab omni eo, quod me à Deo poteſt avellere; adeòq; à pœnis inferni: ut in annos æternos, unà tecum, Deum videam, & amem, illiq; ac tibi, gratulor de gloriâ, receptus & ipſe in numerum Electorum! Amen.*

HOROLOGIUM CÆLESTE,

per ſingulas XXIV. *horas diei, è Sanctis Menſium ſingulorum fideles excitans, ad implorandum pro felici morte obeunda divinum auxilium.*

Ex JANUARIO *pro hora* 1. Circumciſe, & à tribus Magis adorate JEſu miſerere mei nunc, & in hora mortis meæ.

Pro hora 2. S. Arcadi Martyr, S. Paule converſe, S. Joannes Chryſoſtome, impetrate mihi pro morte optimam præparationem.

Ex-

Ex FEBRUARIO, *pro hora* 3. Purificata Virgo Mater, impetra mihi pro felici morte cor mundum.

Pro hora 4. sancti Joannes, Jacobe, & Paule. martyres crucifixi impetrate mihi pro felici morte amorem crucifixi JEsu.

Ex MARTIO, *pro hora* 5. S. MARIA, ab Angelo salutata, impetra mihi pro felici morte id, quod mihi maximè necessarium est.

Pro hora 6. Sancti Joseph & Joachim, impetrate mihi pro felici morte amorem verum ergà Matrem Dei.

Ex APRILI, *pro hora* 7. s. Marce, s. Georgi, S. Francisce de Paula, impetrate mihi pro felici morte charitatem.

Pro hora 8. s. Catharina Senensis, impetra mihi pro felici morte cor, secundùm cor JEsu.

Ex MAJO *pro hora* 9, Sancti Philippe, Jacobe, & Joannes Apostoli, impetrate mihi pro felici morte patientiam invictam.

Pro hora 10. s. Michaël, impetra mihi pro felici morte contra dæmonem victoriam.

Ex JUNIO, *pro hora* 11. s. Joannes Baptista, & Beate Aloysi, impetrate mihi pro felici morte conscientiam; etiam à venialibus peccatis, mundam, & innocentem.

Pro hora 12. sancti Petre, & Paule *Apostoli*, impetrate mihi pro felici morte fidem vivam, & solidam, quâ tenationibus resistam.

Ex JULIO, *pro hora* 13. s. *MARIA*, Elisabetham visitans, & *Magnificat* canens, impetra mihi pro felici morte, ut migrans ex hac vita anima mea, Dominum magnificet; ac post mortem, exultet spiritus meus in Deo salutari meo.

Pro-

Pro hora 2. S. Ignati, & omnes Electi Dei è Societate Jesu, impetrate mihi pro felici morte, ut majorem Dei gloriam verè quæram usq; ad mortem.

Ex AUGUSTO *pro hora* 3. S. *MARIA* Major, & in cœlum assumpta, & Beate Stanislae, impetrate mihi pro felici morte id, quod ad majorem Dei gloriam, & salutem meam, optimum esse nôstis.

Pro hora 4. Joannes Baptista, & s. Bartholomæe Apostole, impetrate mihi pro felici morte veram pœnitentiam, & contritionem.

Ex SEPTEMBRI *pro hora* 5. S. MARIA nascens, impetra mihi pro felici morte bonum Patrem spiritualem, qui mihi adsit, & fac, ut illi bene obediam.

Pro hora 6. s. Michael Archangele, & s. Hieronyme, impetrate mihi pro felici morte verum spiritum orationis.

Ex OCTOBRI *pro hora* 7. S. Angele mi Custos, impetra mihi pro felici morte, ut inspirationibus tuis sanctè obediam.

Pro hora 8. Beate Franrisce Borgia, & s. Ursula, ac Sociæ, impetrate mihi pro felici morte, ut ad illam quotidie sim paratus.

Ex NOVEMBRI *pro hora* 9. Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, vos potissimum, qui in hac vita maximè excelluistis in amore Dei; impetrate cordi meo verum amorem Dei: impetrate mihi, ut vos omnes ita colam in vita, ut in morte habeam protectores.

Pro hora 10. *S. MARIA*, in templo præsentata, impetra mihi talem in divinis diligentiam, ut quacun-

cunque hora moriar, in templo Filii tui merear præsentari.

Ex DECEMBRI, *pro hora* 11. S. MARIA semper immaculata, & S. Francisce Xaveri, impetrate mihi, ut nunc, & in hora mortis, immaculatus inveniar,

Pro hora 12. Jesu, Fili Dei vivi, & MARIÆ Virginis; Maria Jesu Mater, & vos omnes Sancti, & Sanctæ Dei, accendite me vero amore Dei; sitis custodes cordis mei nunc, & in hora mortis meæ. Amen.

DIES VITÆ ULTIMUS B. Virgini oblatus.

Usus erit sabbatho, aut festo aliquo Deiparæ, & quoties lubebit.

OFfero tibi. *MARIA* Dei Mater, hunc, & ultimum diem vitæ meæ, cum suis horis singulis, & momentis; ut me custodias felici æternitati, & sistas Sss. Trinitati felicem æternùm. Et ut hoc impetrem, offero tibi hoc tributum in singulas horas. Et hæc omnia pro iis in purgatorio animabus, quas tu elegeris, ut illæ me morientem juvent.

Pro prima hora.

Ave Maria, gratiâ plena; Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus, S. Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ.

Hora

Hora 2.

Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cœli
Porta manes, & stella maris, succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo: tu quæ genuisti,
Naturâ mirante, tuum sanctum Genitorem.
Virgo prius ac posteriùs, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

Hora 3.

Ave Regina cœlorum,
Ave Domina Angelorum,
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta.
Gaude Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa,
Vale, ô valde decora,
Et pro nobis Christum exora.

Hora 4.

Ave maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,
  Inter omnes mitis,
  Nos culpis solutos,
  Mitis fac & castos.
Vitam præsta puram,
  Iter para tutum,
  Ut videntes JESUM,
  Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
  Summo Christo decus,
  Spiritui sancto
  Tribus honor unus. *Amen.*

Hora 5.

Concede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosâ beatæ MARIÆ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, & æternâ perfrui lætitiâ. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hora 6.

Deus, qui salutis æternæ, beatæ MARIÆ Virginitate fecundâ humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum JESUM Christum filium tuum *Amen.*

Hora 7.

Deus, qui de beatæ MARIÆ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam Genetricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur, Per eundem Christum Dominum nostrum, *Amen.*

Hora 8.

Deus, qui beatam MARIAM semper Virginem, Spiritus sancti habitaculum, vix triennem, in templo præsentari voluisti: præsta quæsumus, ut ejus intercessione, in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur. Per Dominum nostrum JESUM Christum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Hora 9.

Defende, quæsumus Domine, beata MARIA semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam, & toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Dominum.

Hora 10

Famulis tuis, quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Conceptionis, Nativitatis, & Visitationis ejus votiva solennitas, pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

Hora 11.

Famulorum tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce: ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Per eundem Dominum nostrum.

Hora 12.

Interveniat pro nobis, quæsumus Domine JESU Christe, nunc & in hora mortis nostræ apud tuam clementiam beata Virgo MARIA Mater tua: cujus sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris

ris gladius petransivit. Per te Jesu Christe, Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Hora 13.

LITANIÆ LAURETANÆ.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiæ,
Sedes sapientiæ,

(Ora pro nobis.)

Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Janua cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium.

} Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson.

Pater noster. Ave Maria.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa & benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra: tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræsenta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui Angelo nuntiante Christi filii tui Incarnationem cognovimus per Passionem ejus & crucem, ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

℣. Ora pro nobis beatissime Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimæ Genitricis tui Sponsi, quæsumus Domine, meritis adjuvemur; ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas Deus in sæcula sæculorum Amen.

Subnecte, si placet, tres salutationes Angelicas, totidemq; oratiunculas, quas S. Mechtildem docuisse fertur ipsamet B. Virgo promisisseq;, recitanti easdem se in hora mortis adfuturam.

Post primum, Ave Maria: ô Domina mea, s. MARIA, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit; ita mihi, quæso, adsis in hora mortis, expellendo à me omnem contrariam potestatem. Amen.

Post secundum: O Domina mea, s. MARIA, sicut filius Dei tantâ te cognitione, & claritate dignatus est, ut totum cœlum illumines; ita in hora mortis animam meam cognitione fidei sic illustres, & corrobores, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur. Amen.

Post tertium: O Domina mea S. *MARIA*, sicut sanctus Spiritus suum amorem plenè tibi infudit; ita tu in morte dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo reddatur mihi suavissima. Amen.

NOTA. Has Litanias, pia industria R.P. *Stephani Binet* S.J. plurimæ hominum myriades quotidie pro se invicem recitant ad exorandam felicem mortem. Si nondum fecisti, hodie iisdem jungere, pie Lector.

Hora 14.

Magnificat anima mea Dominum.

Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatâ me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

Sicut

Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini ejus in sæcula.
Gloria Patri, &c.

Hora 15.

Memento rerum Conditor,
Nostri quòd olim Corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
MARIA, Mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.
JESU, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula Amen.

Hora 16.

Obsecro te, Domina sancta MARIA, *Mater Dei*, pietate plenissima, summi Regis filia, *Mater* gloriosissima, *Mater* orphanorum, consolatio desolatorum, via errantium, salus omnium in te sperantiũ, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum; fons misericordiæ, fons salutis & gratiæ, fons pietatis & lætitiæ, fons vitæ & veniæ: Per illã sanctam ineffabilẽ lætitiam, quâ exultavit spiritus tuus in illa hora, in qua tibi per Gabriëlem Archangelum annuntiatus, & conceptus filius Dei fuit: Et per illam sanctam & ineffabilem humilitatem, in qua respondisti Archangelo Gabriëli: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum: Et per illud divinũ mysterium, quod tunc operatus est in te Spiritus sanctus: Et per ineffabilem gratiam, pieta-

tatem, misericordiam, amorem, & humilitatem, per quas filius tuus Dominus noster, Jesus Christus descendit accipere humanam carnem in venerabilissimo utero tuo: Et per gloriosissima quindecim gaudia, quæ habuisti de filio tuo Domino nostro Jesu Christo: Et per illam sanctam & maximam compassionem, & acerbissimum cordis dolorem quem habuisti, quando filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum ante Crucem nudatum, & in ipsâ levatum, pendentem, crucifixum, vulneratum, sitientem, amarissimum potum fel & acetum ori ejus apponi vidisti. Eli clamantem audisti, & morientem vidisti; Et per quinque Vulnera ejusdem filii tui, & per contractionem viscerum tuorum, præ nimio dolore vulnerum suorum: & per dolorem, quem habuisti, quando vidisti eum vulnerari: Et per fontem sanguinis sui, & per omnem passionis ejus & dolorem corporis tui, & per fontem lacrymarum tuarum: ut cum omnibus Sanctis & Electis Dei venias & festines in auxilium & consilium meum, in omnibus orationibus & petitionibus meis, in omnibus angustiis & necessitatibus meis, & in omnibus illis rebus, in quibus ego sum aliquid facturus, & locuturus, aut cogitaturus, omnibus diebus ac noctibus, horis atque momentis vitæ meæ. Et mihi famulo tuo N. impetres à dilecto filio tuo Domino nostro Jesu Christo virtutum omnium complementum cum omni misericordiâ & consolatione, omni consilio & adjutorio, omni benedictione & sanctificatione, omni salvatione, pace & prosperitate, omni gaudio & alacritate; etiam abundantiam omnium bonorum spiritualium

&

& corporalium, & gratiam S. Spiritûs, qui me bene per omnia disponat, animam meam custodiat, corpus meum regat & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes sanctas instituat, præterita mala indulgeat, præsentia emendet. & futura moderetur : vitam honestam & castam mihi tribuat: fidem, spem, & charitatem mihi præstet: articulos fidei firmiter credere, & præcepta legis observare me faciat: sensus corporis mei regat & protegat & à peccatis mortalibus me semper liberet & defendat usque in finem meum. Hanc orationem suppliciter exaudiat, & suscipiat, & vitam æternam mihi tribuat. Audi & intercede pro me, dulcissima Virgo MARIA, Mater Dei & misericordiæ. Amen. *Hora* 17.

O intemerata, & in æternum benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo Dei Genetrix *MARIA*, gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, janua regni cœlorum, per quam post Deum totus vivit orbis terrarum. Inclina, Mater misericordiæ, aures tuæ pietatis indignis supplicationibus meis : & esto mihi maximo peccatori pia & propitia in omnibus auxiliatrix. O Joannes beatissime, Christi familiaris & amice, qui ab eodem Domino nostro JESU Christo virgo es electus, & inter ceteros magis dilectus, atque in mysteriis cœlestibus ultra omnes imbutus: Apostolus enim & Evangelista factus es præclarissimus ; Te etiam invoco cum *MARIA* Matre ejusdem Domini nostri JESU Christi Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipsâ conferre digneris, O duæ gemmæ cœlestes, *MARIA* & Joannes! O duo luminaria divinitùs ante Deum lu-

lucentia! vestris radiis scelerum meorum effugate nubila. Vos enim estis illi duo, in quibus unigenitusDei filius,ob sincerissimæ virginitatis meritum, dilectionis suæ confirmavit privilegium, in cruce pendens uni vestrum ita dicens: Mulier, ecce filius tuus! deinde ad alium: Ecce mater tua: In hujus ergo tam sacratissimi amoris dulcedine; quâ tunc ore Dominico velut Mater & filius ad invicem conjuncti estis, vobis duobus ego miserrimus peccator commendo hodie corpus & animam meam: ut in omnibus horis, atque momentis, interiùs & exteriùs, firmi custodes, & pii apud Deum intercessores mihi existere dignemini. Poscite mihi, quæso, corporis & animæ salutem. Agite, quæso, agite vestris gloriosis precibus, ut cor meum invisere, & inhabitare dignetur Spiritus almus, gratiarũ largitor optimus, qui me à cunctis vitiorum sordibus expurget, virtutibus sacris illustret, & exornet: in dilectione Dei & proximi mei perfectè stare, & perseverare me faciat: & post hujus vitæ cursum ad gaudia me ducat electorum suorum benignissimus Paraclitus. Qui cum Patre, & filio vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Hora 18.

O Domina mea sancta MARIA, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo; omnem spem meam & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ comitto tibi: ut per tuam sanctissimam intercessionem, per tua merita, omnia

mea dirigantur & disponantur opera secundùm tuam tuique filii voluntatem. Amen.

Horæ 19.

O Maria, Dei Genitrix, & Virgo gratiosa omnium desolatorum ad te clamantium consolatrix vera: per illud magnum gaudium, quo consolata es, quando cognovisti Dominum Jesum die tertiâ à mortuis impassibilem resurrexisse, sis consolatrix animæ meæ, & apud eundem tuum & Dei Natum unigenitum, in die novissimo, quando cum anima & corpore ero resurrecturus, & de singulis meis factis rationem redditurus, me digneris juvare; ut perpetuæ damnationis sententiam, per te, pia Mater & Virgo, valeam evadere, & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia feliciter pervenire, *Amen.*

Hora 20.

O gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine;
Intreat ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.
Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Hora 21.

Quem terra, pondus, sidera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam,
Claustrum MARIÆ bajulat.
Cui luna; Sol, & omnia
Deserviunt per tempora,
Perfusâ cœli gratiâ,
Gestant puellæ viscera.
Beata Mater munere,
Cujus supernus Artifex
Mundum pugillo contiaens,
Venter sub arca clausus est.
Beata cœli nuntio,
Fecunda sancto Spiritu,
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.

Hora 22.

Regina cœli, lætare, alleluja!
Quia quem meruisti portare, alleluja.
Resurrexit sicut dixit, alleluja,
Ora pro nobis Deum, alleluja.

Hora 23.

Salve Regina Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra, salve. Ad te clamamus exules, filii Hevæ. Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo, advocata nostra, illos tu-

tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et Jeſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende, O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.

Hora 24.

STabat mater doloroſa,
Juxta Crucem lacrymoſa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contriſtantem, & dolentem
Pertranſivit gladius.
O quàm triſtis & afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quæ mœrebat & dolebat,
Et tremebat, cùm videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis eſt homo, qui non fleret,
Chriſti Matrem ſi videret
In tanto ſupplicio?
Quis non poſſet contriſtari,
Piam Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis ſuæ gentis
Vidit JESUM in tormentis,
Et flagellis ſubditum.
Vidit ſuum dulcem Natum,
Morientem deſolatum,
Dum emiſit Spiritum.
Eja Mater, fons amoris,
Me ſentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.
Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo validè.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta Crucem tecum stare,
Te libenter sociare
In planctu desidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem Filii.
Inflammatus & accensus,
Per te, Virgo sim defensus
In die judicii.
Fac me Cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoveri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur,
Paradisi gloria. Amen.

Variæ Orationes piæ ejusdem Authoris pro ægris, & moribundis.

ALPHABETUM
ACTUUM INFIRMORUM.

ADoro, admiror, amo te super omnia; antefero te omnibus: abnego voluntatem meam; acquiesco tuæ; abhorreo ab omnibus quæ tibi displicent. ô Pulchritudo, ô Bonitas infinita, Deus meus, & omnia! Ama me, ut amem te! Amor tuus sit amussis & auctor mearum omnium actionum.

BEnedico te ô bonum optimum, cum omnibus benedictis electis tuis! Benedic mihi ô benignitas, ô beneficientia, ô beatitudo immensa! Quicquid boni de te habent bibliothecæ omnes, id totum tibi offero? & tibi illis, quos illi libri habent, modis omnibus benedico; ac rogo, te ut benedicam in sæcula!

CRedo in te Deus! consecro tibi, Creator mi, corpus meum in templum, cor in aram tui amoris, cupio te amare cordibus omnium Cælitum, omnium creaturarum! Consolationem omnem, quam è creaturis capere possem, tibi offero, ô Deus totius consolationis; custodi me tanquam rem curæ tuæ datam, ut rem tuam!

DEtestor mala omnia; sed de meis potissimùm peccatis doleo super omnia; quia diligo, & desidero plus te diligere super omnia Deus meus, & omnia!

omnia! dimitte mihi debita; sustenta debilem; doce me discipulum tuum; non sciam delectari nisi in te, dulcedo prima, pura, & immortalis.

EXecror omnia mala mea; exulto in bonis tuis! Experge fac cor meum, ad exquirendam te; expugna torporem meum; expurga sordes meas; evacua, exue me ipso! da ut exinaniam me coram te, Creator mi: ut nihil amoris mei erga me maneat in me, sed totum transeat in te; & nihil amem nisi te!

FLecto genua mea coram te, & supplex adoro te, da ut fugiam quicquid me impedit quò minùs ferventissimè amem te! fove me in gremio misericordiæ tuæ!

GAudeo de infinita granditate bonorum tuorum, quæ habes à te: gratias tibi ago pro donis tuis, quæ habeo & quæ habebo à te, gratulor tibi de infinitis thesauris gratiæ, & gloriæ tuæ ad intra, & ad extra!

HOnoro te honore supremo; humilio me sub potenti manu tuâ: habe me totum; habita in me; & doce me habitare in te, horas omnes, & momenta vitæ, ac mortis meæ, æternitatem ipsam, cupio impendere in honorando te!

IMmolo cor meum tibi in holocaustum doloris de omnibus malis meis, in holocaustũ amoris æterni, destrue in illo quicquid tibi non placet; perfice quicquid placet. Indulgentias omnes, quascumque possum hoc, & singulis diebus vitæ meæ volo acquirere; & illis applico ea, quæ iis acquirendis sunt idonea, pro anima illa è purgatorio liberanda, quam liberari à me tibi maxime gratum est?

Kyrie

KYrie eleison, Domine, miserere mei! fac me dignum misericordiâ tuâ ; fac me illa benè uti, & misericordias tuas in æternum cantare!

LAudo te : lætor de te ; fac me sanctum laudatorem tuum ; da mihi, ut vehementissimè desiderem omnibus omnium creaturarum cordibus, linguis, industriis, amare te, laudare te, ô Deus superlaudabilis & supergloriose in sæcula!

MAgnifacio super omnia immensum mysterium divinæ Majestatis tuæ, ac primum illud maximumque mandatum, quo mandas, ut amem te ex toto corde, anima, viribus, mente, fortitudine mea. Miserere, ut obediam, da, ut millies, & millies mergam quotidie cor meum in mari amoris tui!

NOlo, quicquid non vis ; volo quicquid vis, ô Numen æternum! Doleo, quòd fuerit tempus, in quo nolui, quæ volebas ; & volui, quæ nolebas. Da, ut deinceps omnia damna illa compensem!

OFfero tibi, quæ cogito, quæ loquor, quæ ago, quæ omitto ; opto semper obedire tibi, opto habere omnia desideria; quæ tibi nunquam placuerunt; opto id omne, ac id solum optare, quod tu vis ut optem. Obsecro te per JEsu merita, da hoc mihi, Deus.

PAciscor tecum (si ita vis, & cum omni reverentia) supreme Domine; ut quotiescumque de te cogitavero, vel hoc nomen, DEUS, mente, aut ore pronuntiavero, sit idem, atque si tunc uno corde complecterer, quicquid omnes boni libri, omnia bona corda habent, amorem tui summum, & quicquid tibi placet. Peto à te, ut proposita mea sancta sint, & firma : peto veniam, peto gratiam, peto

amorem

amorem illum, quo amari à me, summo quocumque modo potes. Peto, ut placeat mihi quicquid tibi placet, ideò quia tibi placet. Peto, ut imiter te in amando te, & me; idque semper.

QUæram te, quiescam in te, finis meus, da, ut inveniam te ô Pastor mi, qui quæsivisti me ovem perditam, utinam ad dexteram tuam quiescam apud te!

REvertor ad te filius prodigus, revereor te super omnia; renuntio omnibus, quæcumque à corde meo abesse vis, recollige me recurrentem ad te, ut recalescat in sinu tuo cor meum, & jam omnium quæ retro sunt, oblitus, recorder tui, & tantùm tui!

SUspiro ad te, spero, spero, spero in infinita dulcedine multitudinis, & magnitudinis misericordiæ tuæ, quicquid terreat me infernus, Sacrifico tibi cor meum, oculos, aures, linguam, pedes, manus, corpus, & animam, vitam, & mortem meam: opera omnia, unà cum omnibus, quæ facta sunt, vel fient, sacrificiis tibi sacrifico; & agnosco, atque adoro, ac testor supremam excellentiam divinæ Majestatis tuæ. Suscipe, Deus meus, quotidie, imò singulis horis, ac momentis, hoc sacrificium meum; & fac, ne quodam velut sacrilego aliquid mihi, aliive decerpam ex iis, quæ tibi sacrifico, tibi soli.

TRemo sub pondere immensæ justitiæ tuæ, SSS. Trinitas, unus Dominus meus, & Deus meus: timeo te tanquam tumentes super me fluctus. Da, ut ita pendam tributum timoris, & amoris, tibi supremo meo Domino, ut amor tuus timorem perficiat!

Volo

VOlo voluntatem meam tuæ dare in victimam, volo, millies volo, amare te voluntate illa, qua te amant ii qui maximè, quique optimè amant; Volo velle, volo voluntatem hanc, quam validissimè, ac vehementissimè possum, sæpiùs instaurare: volo, volo semper amplius, & amplius te amare!

XCifixe Jesu, hæc omnia, quæ hic cogitavi, & quicquid per omnem vitam cogitabo, dicam, faciam, tibi offero; Cruci tuæ pro trophæo appendo, Sanguine tuo aspergo, & imbuo, gratias agens, dolori, & amori tuo: da ut verè doleam de me, & verè amem te: ut sim triumphus amoris tui, vincentis me.

ZElo tuo accende me, Deus; ut desiderem ita te amari in terra à me, & ab omnibus, sicut amaris in cælo; & doleam, quòd ita non amemus te.

ASPIRATIONES INFIRMORUM.

DEus fortis meus: sperabo in te; scutum meum & cornu salutis meæ: elevator meus, & refugiũ meum, Salvator meus, de iniquitate liberabis me, Domine, sperantem in te, ut misericordia circũdabit. Doce me sperare in te; ut misericordia tua æterna undequaque circumdet me. Qui sperat in te, beatus est: fac me ita sperare in te, ut sim beatus à te; & habebo in novissimis spem; & spes mea non peribit. Speremus misericordiam tuam, Deus meus, da mihi spem, quam habere me vis; ut anima

mea

me vis; ut anima mea in manu tua sit, & spes mea immortalitate plena sit.

Domine, da mihi amorem, ac timorem tuum, *credam* tibi, & non evacuetur merces mea: ut *sperem* in te; & in oblectationem veniat mihi misericordia: ut *diligã* te, & illuminetur cor meum; quia nullus speravit in te, & confusus est. Pius, & misericors es tu Deus, & remittes in die tribulationis peccata.

Domine JEsu, tu esto mihi, & omnibus animam agentibus in hora illa protector potentiæ, firmamentum virtutis, regimen ardoris & umbraculum meridiani, deprecatio offensionis & adjutorium casus, exaltans animam & illuminans oculos, dans sanitatem & vitam, & benedictionem. Hæc recolens in corde meo, ideò sperabo. Fac, Domine, ut *multa* sit *fides* mea. Bonus es tu Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te; fac ut inveniam te. Non sis tu mihi formidini. Spes mea tu in die afflictionis. Vellem: vellẽ omnes mundi thesauros, delicias, pulchritudinẽ, tempora, ingenia, libros omnes, omnia quæ fuerunt, sunt, esse possunt, in tui amorem & honorẽ convertere, ô amabilis super omnia Deus meus! Dic animæ meæ: *Et est spes novissimis tuis*; & caro mea requiescet in spe O Deus spei, reple me omni gaudio & pace in credendo; ut abundem in spe & virtute Spiritus sancti. O Christe, spes gloriæ! ô Mater, vita, dulcedo & spes nostra, doce me credere, sperare, amare; ut vivam & moriar benè expectans beatam spem & adventum gloriæ. Magni Dei. Suppleat quicquid mihi deest in vero de peccatis dolore, in vero tui amore ac desiderio videndi te, & præparet me morte felici ac vitæ æter-

næ fides ſperandarum ſubſtantia rerum, firmet ſpes non confundens; accendat charitas illa, quæ tu es, Deus meus; ut manens in charitate, in te maneam, & tu, Deus meus, in me in æternum. Atque hæc omnia ut impetrem, vos, felices in purgatorio animæ, Dei filiæ, vos omnes electi Dei, qui ante me felici morte abiiſtis ad vitam æternam, ut JEsu & MARIÆ animam meam commendetis, rogo. Te autem horæ meæ ſupremæ gubernatricem, & plenam procuratricem apud JEsum, conſtituo ô MARIA.

Miſerere mei, & exaudi orationem meam. In pace in idipſum dormiam, & requieſcam; quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. *Pſal.* 4.

Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronâſti nos. *Pſ.* 5.

Domine Deus meus, in te ſperavi; ſalvum me fac, ex omnibus perſequentibus me, & libera me: ne quando rapiat, ut leo animam meam. *Pſ.* 7.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo!

Lætabor, & exultabo in te, pſallam nomini tuo, Altiſſime. *Pſ.* 9.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi; & pſallam nomini Domini altiſſimi. *Pſ.* 12.

Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. *Pſ.* 16.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſervo tuo.

Domine adjutor meus, & redemptor meus. *Pſ.* 18

Ego autem in te ſperavi, Domine: dixit, Deus meus es tu: in manibus tuis ſortes meæ *Pſ.* 30.

Miſerere

Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi. *Ps.* 56.

Veruntamen Deo subjecta esto, anima mea: quoniam ab ipso patientia mea. *Ps.* 61.

Exaudi orationem meã: ad te omnis caro veniet.

Replebimur in bonis domûs tuæ. *Ps.* 64.

Qui posuit animam meam ad vitam; & non dedit in commotionem pedes meos. *Ps.* 65.

Adjutor, & liberator meus es tu: Domine ne moreris. *Ps.* 69.

Misericordias Domini in æternum cantabo. *Ps.* 88.

Benedic, anima mea Domino; & noli oblivisci retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui sanat omnes infirmitates tuas *Ps.* 102.

Vide Psalmum 90. *&* 106.

O Domine, salvum me fac! O Domine, benè prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini. Amen. *Ps.* 117.

Addi possunt omnes Psalmi ad Laudes, ad Horas ad Completorium, & Pœnitentiales.

Sedenti in throno, & agno, benedictio & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Amen *Apoc.* 5.

Amen, Benedictio, & claritas, & sapientia, & gra-

tiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum, Amen. *Apoc.* 7.

Veni, Domine Jesu, *Apoc.* 22.

Cum S. Petro: Domine, salvum me fac. *Matth.* 14.

Cum Christo: Pater, salvifica me ex hac hora, *Ioan.* 12.

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. *Luca* 13.

Cum sancto Stephano moriente. Domine Jesu, suscipe spiritum meum. *Actor.* 7.

Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum; & laudabile, & superexaltatum in omnibus sæculis.

Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ: & superlaudabilis; & supergloriosus in sæcula.

Benedictus es in throno regni tui: & superlaudabilis, & superexaltatus in sæcula.

Benedicite omnes religiosi Domino Deo. *Dan.* 3.

Cum S. P. Ignatio: Suscipe, Domine, universam meam libertatem: accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem: *etiam vitam & animam meam.* Quicquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum; *etiam mortem meam.* Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis: nec aliud quidquam ultrà posco.

Ad S. P. Ignatium. Sancte Pater Ignati, audi me quoque minimum filium tuum longissimè exulantem, teque orantem verbis tui Francisci Xaverii tibi in hæc verba scribẽtis: Te rogo, Pater animæ meæ, summeq; mihi venerande, positis humi genibus, tanquam si præsentem intuerer, suppliciter oro, ne Deum pro me obsecrare desistas: ut dum vita suppeditat,

peditat, sanctissimæ voluntatis tuæ mihi det & planè agnoscendæ, & omninò exequendæ facultatem, *lib. 2. ep. 8. in fin.*

Cum S. Xaverio : O JEsu Christe, Deus cordis mei! obsecro te per quinque illa Vulnera, quæ tibi in Cruce nostri amor inflixit, famulis tuis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Te ego JEsu Christe, Deus cordis mei, per acerbissimos tuæ necis cruciatus obsecro, obtestorque, ut intuearis ipse tuas cicatrices, quas æterno Patri assiduè pro nobis ostentas; easque salubres etiam misero mihi esse velis! *Idem.*

Utinam è singulis momentis totius vitæ meæ, usq; ad momentum extremum, possem facere totidem sæcula amoris tui! Da hic cælestis vitæ ac divinæ tirocinium ponam in amando te; nec unquam desinam te amare ampliùs in æternum! Quare ne sinas me abire ex hac vita in aliam, nisi benedixeris mihi; ut moriar ad majorem tuam gloriam, & vivam in æternum, Deus! Sit omnis respiratio mea, & potissimum ultima exhalatio ac expiratio sit vivũ holocaustum, amori & honori tuo, profundissimâ humilitate, altissimâ charitate oblatum tibi, per amorem cordis JEsu, MARIÆ, ac omnium electorum. Gratias tibi pro omnibus, quibus benè moriendi gratiam concessisti, & concedes! Per omnes illos te rogo, da mihi illas pro morte felicissimè obeundâ præparationes, quæ in illis tibi maximè placuerunt. Idem peto pro illis, qui mecum eodem tẽpore erunt in agone per totum orbem terrarum, & pro illis, qui mihi aderunt morienti. Accipe tunc animam meam, cum illam videris ad migrandum

optimè paratam, ad majorem gloriam tuam.

Ex S. Bonaventuræ Psalterio
MARIANO ad B. V.

Domina, benedicta sit dulcedo misericordiæ cordis tui, *Ps.* 8.

Ne projicias nos in tempore mortis nostræ; sed succurre animæ, cùm deseruerit corpus suum. *Ps.* 19.

Mitte Angelum in occursum ejus, per quem ab hostibus defendatur. Ostende ei serenissimum Judicem sæculorum, qui ob tui gratiam veniam ei largiatur. Sentiat in pœnis refrigerium tuum; & concede ei locum inter electos Dei. *Ibid.*

In manus tuas, Domina, commendo spiritum meum, totam vitam meam, & diem ultimum meum. *Ps.* 30.

Vide, Domina, quoniam tribulor: expande manus tuas: succurre pereunti. Ne moreris propter gratiam Nominis tui, ut efficiaris mihi in gaudium & salutem. *Ps.* 70.

In manu tua salus & vita consistunt, lætitia perpetua, & æternitas gloriosa. Resperge cor meum dulcedine tua. *Ps.* 71.

Fac, Domina, ut vivamus in gratia Spiritûs sancti, & perduc animas nostras ad sanctum finem. *Ps.* 86.

Excita spiritum meum ad amandum bonitatem tuam, excita mentem, ad extollendam nobilitatem tuam. *Ibid.*

Suscipe in fine animas nostras, & introduc nos in requiem æternam. *Ps.* 94.

Gloriosum & admirabile est Nomen tuum

qui illud retinent, non expavescent in puncto mortis. *Ps.* 116.

Esto animæ meæ scala ad regnum cælorum, & iter rectum ad Paradisum Dei. *Ps.* 113.

ASPIRATIONES JACULATORIÆ,

Pro ægris & moribundis.

ADjutor meus, & protector meus es tu: Deus meus, ne tardaveris. *Ps.* 39.

Amplius lava me ab impietate mea, & à peccato meo munda me. *Ps.* 50.

Adjuva me, & salvus ero. *Ps.* 118.

Aspice in me, & miserere mei. *Ibid.*

BEatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis. *Ps.* 64.

Beati qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. *Ps.* 83.

Benedic, anima mea, Domino: & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus. *Ps.* 102.

COnserva me, Domine, quoniam speravi in te, *Ps.* 15.

Custodi animam meam, & erue me, non erubescam, quoniam speravi in te. *Ps.* 24.

Complaceat tibi, Domine, ut eruas me! Domine, ad adjuvandum me respice. *Ps.* 39.

Cor mundum crea in me Deus. *Ps.* 50.

Confige timore tuo (*& amore tuo*) carnes meas; à judiciis enim tuis timui. *Ps.* 118.

DEUS, propitius esto mihi peccatori!
Dominus meus & Deus meus!

Deus meus & omnia!

Amo te super omnia, & ideò doleo super omnia; quòd unquam te offenderim, Deus meus, & omnia.

Diligam te, Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. *Ps.* 17.

Deus, in nomine tuo salvum me fac. *Ps.* 35.

Deus, in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me festina.

Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. *Ps.* 72.

EXsurge, Domine: salvum me fac, Deus meus. *Ps.* 3.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvum me facias. *Ps.* 30.

Eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: ut placeam coram Deo, in lumine viventium. *Ps.* 55.

Ego autem semper sperabo: & adjiciam super omnem laudem tuam. *Ps.* 70.

Exultabo te, Deus meus Rex; & benedicam nomini tuo in sæculum sæculi. *Ps.* 144.

Credo, spero, amo te super omnia: & ideo doleo super omnia; quod unquam te offenderim, Deus meus, & omnia.

FOrtitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me. *Ps.* 30.

Fiat misericordia tua, ut consoletur me. *Ps.* 118.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar? *Ibidem.*

Faciem tuam illumina super servum tuum: & doce me justificationes tuas. *Ibid.*

Fiat manus tua, ut salvet me. *Ibid.*

Credo, spero, amo, &c. ut suprà.

GLoriosa dicta sunt de te, Civitas Dei! *Ps.*86.

Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, & non dominetur mei omnis injustitia. *Ps.*118.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto! Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

HÆc recordatus sum; & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. *Ps.* 41.

Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. *Ps.* 117.

Humiliatus sum usquequaque, Domine: mirifica me secundùm verbum tuum. *Ps.* 118.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. *Ps.* 29.

Desidero, Domine, videre te, ut amem te. & ampliùs peccare non possim!

Credo, spero, amo, &c. ut suprà.

INtende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus! *Ps.* 5.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte! *Ps.* 12.

In manus tuas commendo spiritum meum. *Ps.* 30

Illustra faciem tuam super servum tuum! salvum me fac in misericordia tua! Domine, non confundar; quoniam invocavi te! *Ibid.*

In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. *Ps.* 56.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſæcula : protegar in velamento alarum tuarum. *Pſ.* 60.

Deſidero Domine, videre te, &c,

Credo, ſpero, amo, &c. ut ſuprà.

LÆtentur omnes qui ſperant in te : in æternum exultabunt : & habitabis in eis. *Pſ.* 5.

Lauda, anima mea, Dominum : laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo, quàmdiù fuero. *Pſ.* 145.

MIſerere mei, Domine: quoniam infirmus ſum. *Pſ.* 6.

Mirifica miſericordias tuas, qui ſalvos facis ſperantes in te. *Pſ.* 16.

Deſidero, &c. Credo, ſpero, ut ſuprà.

NOtas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo : delectationes in dextera tua uſque in finem. *Pſ.* 15.

Ne perdas cum impiis, Deus animam meam, *Pſ.* 15.

Credo, ſpero, amo te, &c. ut ſuprà.

Ave MARIA.

OMnia oſſa mea dicent : Domine, quis ſimilis tibi. *Pſ.* 34.

Oſtende nobis Domine, miſericordiam tuam! *Pſ.* 84.

O Domine, libera animam meam. *Pſ.* 114.

PErfice greſſus meos in ſemitis tuis : ut non moveantur veſtigia mea. *Pſ.* 16.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. *Pſ.* 107.

QUoniam tu Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. *Pſ.* 4.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te, Deus, *Ps.* 41.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas. *Ps.* 17.

Quoniam in te eripiar à tentatione; & in Deo meo transgrediar murum. *Ibid.*

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti eis, qui sperant in te. *Ps.* 30.

Credo, spero, amo, &c. MARIA, *Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe.*

REmitte mihi, ut refrigerer, priùs quàm abeam. *Ps.* 48.

Repleatur os meum laude; ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam? *Ps.* 70.

Respice in servos tuos, & in opera tua. *Ps.* 89.

Pater noster. Ave MARIA. *Credo. Salve Regina.*

Sperent in te, qui noverunt Nomen tuum; quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. *Ps.* 9.

Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum. *Ps.* 16.

Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam & non confundas me ab expectatione mea. *Ps.* 118.

Servus tuus sum ego: da mihi intellectum; ut sciam testimonia tua. *Ibid.*

TUus sum ego, salvum me fac. *Ibid.*

Tu autem, Domine, susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum. *Ps.* 3.

Tu, Domine, servabis nos, & custodies nos. *Ps.* 11.

Tibi dixit cor meum; exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram. *Ps.* 26.

Tu

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus; qui mandas salutes Jacob. *Ps.* 43.

VErba mea auribus percipe, Domine; intellige clamorem meum. *Ps.* 5.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte universa delicta mea. *Ps.* 24.

Da mihi, Deus meus, te: redde mihi te. En amo te; & si parùm est, amem validiùs. *S. Aug. Med. c.* 18.

Non possum metiri, ut sciam, quantum desit mihi amoris tui, ad id, quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abscondatur in abscondito vultus tui. *Ibid.*

Te Deum laudamus, *pro beneficiis omnibus.*

Intentio recta. Amo Te, Deus meus, & ideò accepto de manu Tua, dolores meos, & statutum, quo statutum est à Te omnibus hominibus semel mori. Vitam, dolores, agonem, & mortem meam Tuo amori offero, in holocaustum Tibi: in unione vitæ, agonis, ac mortis Crucifixi Jesu, Mariæ, ac omnium pretiosâ morte defunctorum; eorum potissimum, qui maximè excelluerunt in amore Tui.

Anima Christi sanctifica me! Corpus Christi salva me! Sanguis Christi inebria me! Aqua lateris Christi lava me! Passio Christi conforta me! O bone Jesu, exaudi me! In hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

Porrò quia fidei potissimùm, spei, charitatis dolorisque actus sanis ægrisque frequentandi sunt, visum est, ejus generis plures adjungere, insertis non raro divinæ Scripturæ verbis: & hæc erunt velut SOLILOQUIA INFIRMORUM, *sensim illis cum interspiratione legenda.*

Credo, quæ revelâsti, SSS. Trinitas, unus Deus *Spero*, quæ promisisti. *Amo* te, quia dignus es, quia Deus es. *Odi* peccata mea omnia, quia tu odisti: & *detestor* illa; ideò quia tu illa detestaris. *Gratulor* tibi de divinitatis tuæ thesauris infinitis. Utinam Cherubinorum, Seraphinorum, Angelorum omnium, Sanctorum omnium. Beatissimæ Virg. Matris, ac denique ipsius Jesu corde & ore possem amare ac laudare te, gaudere de te, & gratulari tibi; offerre me, vitam, mortem, æternitatem meam gloriæ tuæ, amori tuo, Deus, & facere illa omnia, quæ in vita, & morte Sanctorum tuorum tibi maximè placuerunt. *Gaudeo*. quòd tu te ipsum dignè ames, quantum mereris! *Doleo*, quòd ullum temporis momentum perdiderim, quo te non amavi; imò quo in te, Deus optime, pulcherrime, amari dignissime, peccavi. Utinam possem redimere, & excellentissimis excelsissimæ charitatis actibus implere omnes horas illas, ô Deus, qui charitas, qui ignis consumens es. Consume præterita mala mea, & da, ut plus amem te, plus quàm unquam sis offensus à me, vel ab ulla creatura? Laudet te vita mea, laudet te mors mea; amet te migrans hinc ad te anima mea, ô Vita mea, Dominus meus, & Deus meus! Deus, propitius esto mihi peccatori!

Credo, & *spero* videre bona Domini in terra viventium, videntium, amantium te?

Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam. Adauge mihi fidem, quâ ita credam in te, ne peream, sed habeam vitam æternam; qui, quia credit in te, non morietur in æternum; quâ qui credunt in nomine tuo, dedisti eis potestatem filios Dei fieri.

Domine,

Domine, cui sine fide impossibile est placere, da ut ita credam in te, sperem in te, amem te; ut placeam tibi in lumine viventium. Domine JESU, da mihi *fidem Dei*, de qua dixisti: *Habete fidem* DEI: fidem Dei amore plenam; ut dicas mihi: Fides tua te salvum fecit. Si credam, sperem, amem!

Ora pro me, sanctissima JESU anima, ut non deficiat fides mea, spes mea, charitas mea. Sim plenus fide, & Spiritu sancto. Veni, fide purificans cor meum, spe exhilarans, charitate inflammans; ut sim justus ex fide vivens; secterque benè vestigia fidei, spei, charitatis; in omnibus sumens *scutum fidei*, in quo possim omnia tela nequissimi ignea extinguere. Indutus *loricam fidei*, vivam, & moriar in conscientia bona, & *fide non ficta*, cursum consummem, *fidem servem*, & accipiam repositam mihi coronam quam fidelibus tuis reposuisti, *auctor fidei*, & consummator, JESU; ut reportem *finem fidei* meæ, qui tu es, ô Via mea, Veritas mea, Vita mea æterna! Benedic mihi morienti!

Credo, mi Deus, quicquid vis me credere: *spero*, quicquid vis me sperare: *amo*, quicquid vis me amare: *odi*, quicquid vis me odisse.

Doleo, doleo, doleo! quòd unquam ullo modo Te maximum, dulcissimum, optimum DEUM meum offenderim; & vellem dolere ex motivo summi amoris, qui unquam ullius Petri, Augustini, Magdalenæ, aut cujuscumque verè pœnitentis, vel amantis Te cor penetravit, ô bone, ô altissime, ô pulcherrime Deus meus!

Doleo! non propter infernum, vel purgatorium;

quæ tamen credo, & timeo! *Doleo*! non propter cælestem gloriam, quam tamen credo, & spero, sed *doleo* propter Te, optime super omnia, pulcherrimè super pulchra omnia, dignissimè super omnia DEUS; quem amo, & amare cupio in æternum. Gratias tibi, DEUS, gratias tibi, vera & una Trinitas, una summa Deitas, sancta & una Unitas. *Approbo* quicquid boni factum, vel futurum est: & utinam augere bona illa possem in infinitum! *Detestor* quicquid mali factum, vel futurum est: & utinam potuissem, ac possem omnia impedire, ac in totidem bona convertere! Fides me doceat meliorem te esse omnibus iis, quæ mihi dare potes; Spes, absque præsumptione te præ illis omnibus expectet; Charitas te amet super illa omnia, etiam super cæli gaudia & felicitatem. Omnes sancti Martyres, impetrate mihi *fidem* vivam, pro qua mortui estis; & pro qua utinam possem & ego mori amore Domini Dei mei! Omnes sancti Confessores, impetrate mihi *spem* solidam, in qua mortui estis; & in qua spero me moriturum! Omnes Sancti & Sanctæ Dei impetrate mihi *charitatem* perfectam, in qua vixistis, mortui estis, & vivetis immortaliter in æternũ; ut vivã & ego vobiscum.

Credo, quæ revelâsti, *spero*, quæ promisisti, sed plus illis *amo* Te; Te, qui promisisti, Deus fidei, Deus spei, Deus charitatis meæ. Captiva, Domine, intellectum meum in obsequium fidei vivæ: exhilara cor meum lætitiâ spei veræ: accende voluntatem meam illâ, quæ tibi maximè placet, erga te charitate. Deus intellectus, Deus cordis, Deus voluntatis meæ! Domine Jesu, tu es Christus, Filius

Dei

Dei vivi, Filius MARIÆ Virginis; tu ſis mihi reſurrectio, & vita: da ut optimo quovis modo vivam, & credam in te: quia omnis qui vivit, & credit in te, non morietur in æternum: Da ut moriar, & videam te, da ut ita credam, atque ſi vidiſſem omnia miracula, quæ feciſti, da ut ita ſperem, atque ſi vidiſſem illa omnia, quæ promiſiſti. Da ut ita te amem, ſicut te amavit S. Joannes, S. Paulus, S. Auguſtinus, S. Franciſcus, S. Ignatius, S. Catharina Senenſis, S. Thereſia, & omnes ii, quos tui amore maximo, tenerrimo, dulciſſimo, ſolidiſſimo, per omnem vitam, & maximè in mortis articulo, accendiſti. Munda, & deſponſa tibi animam meam in fide: dota illam ſpe: due illam in domum tuam; & in charitate perpetua dilige illam, & attrahe illam miſerans, per dulciſſimam Virginem Matrem tuam, & omnes electos tuos. Gratulor tibi de te! gaudeo de infinita gloria tua! Volo pati, quæ me vis pati: & gaudeo, quòd in te nullus dolor poſſit cadere; quòd tibi ita benè ſit ſemper, ut malè eſſe nunquam poſſit. Utinam operibus, lumini fidei veræ ſemper conſentaneis, fuiſſem teſtatus fidem meam vivens; & utinam poſſem illam moriens cruentâ morte teſtari, per te factus dives in fide, dives in ſpe, dives in charitate, ô dives in omnes. Deus! Da mihi, ut aſſequar beatum illum præcepti finem, qui eſt charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, da, ut ſim juſtus tuus, quia juſtus tuus ex fide vivit, in ſpe vivit, in charitate vivit. *Sperat juſtus in morte ſua*; ſed per mortem tuam Crucifixe JESU.

O Mater Dei, per pretiosissimam mortem tuam, & illos actus amoris Dei, quos tunc elicuisti, per omnem misericordiam, quâ ulli succurristi; memento mei nunc, & tunc. Gere curam mei finis; ut tua defensione munitus ingrediar beatam æternitatem. Experiar te Matrem pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In te, post Jesum, est gratia omnis viæ & veritatis: in te omnis spes vitæ & virtutis, Spiritus Filii tui, & tuus, super mel dulcis; & hæreditas illius super mel & favum. Per te accepi gratias; per te reddo gratias; in manus & per manus tuas commendo & offero spiritum meum Deo meo; ut illum videam, videam, videam; amem, amem, amem, æternùm!

Sit spes mea in Jesum Filium tuum, salvantem me. Qui timet illum, nihil trepidabit & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus. Timentis illum beata est anima ejus. O Jesu, rogo te per Jesum: ô Jesu, & Maria, rogo vos per SSS. Trinitatem: ô SSS. TRINITAS, rogo Te per amorem, quo Jesum, quo Mariam, quo te amas; miserere mei, ut felix moriar, ad majorem tuam gloriam, & amorem; ut vos amem æternùm!

Pro Indulgentiis identidem repetendum. Amo Te, & ideò doleo, quòd Te offenderim. Deus meus; Bonitas infinita! Jesus, Maria. Jesus, Maria.

COM-

COMPENDIUM THEOLOGIÆ CÆLESTIS.

Sive

Aspirationes ad impetrandam à Deo gratiam de spiritualibus rebus per sanctè colloquendi, cùm Deo id apprime sit gratum.

FInis Auctoris hujus Anni Cœlestis fuit, ut materiam præberet Lectori pro oratione mentali, & pro spiritualibus colloquiis, quæ duo sunt præstantissima præsidia ad optimam præparationem pro morte felicissimè obeundà. Hæc Theologia, sive de Deo locutio aut sermo discenda est in Academia cælesti, docetque nos amare Deum. Nam & sæpè, & libenter loquimur de eo, quem amamus & inflammamur sæpè loquendo. Optimos Theologos nos faciet Magister Jesus, Dei Mater, ac omnes Theologi Sancti & Sanctæ Dei; quorum exemplo ac ope, discamus esse Theophili atque Theologi, sic ergo licebit adspirare ad illos pro illa gratia obtinenda, In singulos mensis v. gr. unius dies poterit esse usui una ex his Aspirationibus, quæ sequuntur:

I. CHriste mi Jesu, cujus tota post resurrectionem tuam vita erat, ut cœlestem de divinis rebus loquendi Theologiam doceres Apostolos, *apparens eis, & loquens de regno Dei*, qui S. Gertrudis labiis nomen Jesu *justi*, aureis & vivis literis impressisti, primo anni die: ac dixisti; gratissimum tibi munus fore pro novo anno, cogitationibus: reple os meum laude tua, verbis illis, quæ maximè tibi placent: doce me loqui de te!

II.

II. S.Coleta V. circa quam de divinis rebus colloquentem conspecti sunt considentes duodecim Apostoli: quibus postea in cœlum euntibus, tu quoque visa es in cœlum attolli. O sancti Apostoli, quandoquidem ita placent Deo, ac Cœlitibus pia colloquia, erudite linguam meam. S. Coleta, impetra mihi cor & linguam plenam Deo: linguam, quæ me, ac eos quibuscum loquor, in cœlum vehat, non præcipitet in infernum.

III. S. Aldedrudis V. super cujus *labia* lucidi, è cœlo mellis favus est visus. Impetra mihi è cœlo rorem lucidi mellis; ut diffusâ in labiis meis gratiâ multos alliciam ad dulcissimum Deum meum.

IV. S. Bonaventura, qui conspectâ post triginta duos annos adhuc integrâ S. Antonii de Padua linguâ, dulcissimo suspirio exclamasti: *O beata lingua, quæ non nisi de divinis novit texere sermonem!* Impetra mihi tale cor, talem linguam.

V. S. Euthymi Abba, qui ubi S. Cyrilli os divino quodam succo ter unxisti, eum facundum ad cœlestia reddidisti. O sancte Euthymi, ô S. Cyrille, facite, ut lingua mea, sit *lingua cutharis*, venusta, facunda in Theologia cœlesti, ut eructet cor meum verbum bonum, plenum succo cœlesti.

VI. S. Joannes Abba Reoamensis, qui postquam ad sepulchrum tuum, muto linguæ usum restituisti, dixit ille postea, *igniculum quendam instar stellæ ardentis è sepulchro tuo prodeuntem, claustrum sui oris, ictu validissimo perculisse.* Impetra cordi, & linguæ meæ illum *igniculum instar stellæ ardentis*, qui os meum *validissimo ictu* percellat, & inde facessere jubeat verba illa, quæ Deo displicent, inserat

illa

quæ placent: ut cum Augustino omne meum cum Deo, ac de Deo colloquium sit *sacrificium de manu linguæ*; dicatque Deo: *Te laudet anima mea, ut amet te.*

VII. S. MARIA, magistra & cum Deo, & de Deo quàm optimè colloquendi, quæ tuo Sacerdoti, linguæ ab hæreticis ademptæ loco, novam linguam dedisti. Insere in cor, & os meum linguam novam, sanctam, cujus *igneum* sit de Deo, de te, de Sanctis, *eloquium vehementer*; sicut S. Bernardino tuo teste, *tanta tibi erat dulcedo charitatis, & amoris Dei, ut nil potueris loqui, nisi de amore Dei*, sic lingua mea, cordis, oris, linguæ tuæ discipula, filia, & ancilla.

VIII. S. Sebastiane M. qui cùm de divinis rebus colloquereris, visus est *ex aperto Angeli coram te libro* dicere omnia, quæ dicebas. Et libro dæmonis depromunt fœda illa verba, quæ loquuntur linguæ immundæ. Tu pro me ora, ut mea colloquia talia sint, tanquam ea ex aperto Angeli mei custodis libro pronuntiem.

IX. S. Charalampi M. cui dixit vox è cœlo audita: Terræ lampas es, meoque alloquio digno; *Sit sermo tuus medicina ægrotantibus. Misit* olim Deus *verbum* suum, *& sanavit eos*, qui ab ignitis serpentibus erant læsi, *& eripuit eos de interitionibus eorum*. Ora pro me, ut mittat per os & linguam meam verbum suum Deus, & sanet ab interitionibus suis eos, quos inferni serpentes ignei momorderunt.

X. S. Agnes V. M. cujus de divinis rebus loquentis verba omnia Christus charactere aureo & longè latè

latèque ſplendente ſcripta oſtendit, viſumque eſt, in manu tua thuribulum aureum gemmis diſtinctum, ſymbolum pretioſi cordis tui, & verborum, Dei amore ardentium. Doce me ſic loqui de divinis, ut cor meum, ac lingua mea plena ſint Deo; & verba mea digna ſint ſcribi auro primo in libro amoris Dei!

XI. Magiſter Jesu, qui ſanctæ tuæ Gertrudi petenti, quomodo *ſummam dilectionem in opere* demonſtrare deberet; reſpondiſti; Paſce cor tuum divinis meditationibus, *os tuum ſalutaribus locutionibus*; oculos tuos ſacris lectionibus, aures tuas utilibus admonitionibus; manus tuas continuis exercitationibus. Nam quoties horum unicuique ſtudueris, hoc ſemper ſuſcipiam *pro ſumma exhibitione dilectionis*. Scio, Domine, quod non omnis qui dicit tibi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, neq; qui loquitur tantùm, ſed qui & facit, ille, tibi acceptus eſt; tamen tuum eſt facere, ut faciam id quod placet: tuum, ut dicam id, quod tibi placet, ita ut quicquid ago, & quicquid loquor, ſit ad te, & de te, amore tui *pro ſumma exhibitione dilectionis*. Fac, ut toto corde imbibam, & exequar id, quod nos aureo Auguſtini tui calamo docuiſti: Audite auribus, accipite mentibus, ait ille: *Ergo & verba opera ſunt? planè ita eſt: Nam profectò qui proximum loquendo ædificat, bonum opus operatur.* Tuum eſt illud; *ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*. Fac, ut deinceps nunquam te offendat, & pluſquam unquam te offenderit, ſerviat tibi os meum, ſitq; ancilla tuæ gloriæ lingua mea! nam ſicut ſermo vanus citò polluit, ſic divinus mundat men-

rem; & facilè agitur, quod libenter dicitur, ac auditur.

XII. S. Catharina Senensis, quæ Confessario tuo, secum de divinis rebus colloquenti, impetrasti, ut illo colloquio inflammatus, in affluentissimas puræ contritionis lachrymas effunderetur, quam tu *Bullam indulgentiæ plenariæ*, à Deo illi concessæ, vocabas. Doce me ita loqui, & audire cœlestia, ut inflammer; & colliquescam doloris victima, & amoris.

S. Catharina Senensis, quæ inter pia cum eodem colloquia ab eodem visa es Christo, prout pingitur, toto vultu esse simillima; eique attonito dixisti: *Ille te aspicit, qui est.* Loquere cordi meo: doce linguam meam sic de Deo loqui, ut Christus illuminet vultum suum super me, fiamque illi sanctâ imitatione simillimus.

S. Catharina Senensis, quæ divino amore absorpta; corde disrupto atque aperto expirasti, & post quatuor horas resurgens, dixisti te vidisse Deum, gloriam Beatorum, ac damnatorum purgatoriiq; torment, & Christum tibi colloquiorum materiam suggerentem audisse. Expende nunc, & vide, quantâ gloriâ se privent ii, qui meis præceptis non obtemperant, & quomodo plectantur. Vade, ad illos revertere, ut *illos hæc doceas. Ego ero semper tecum*, ita de novissimis locuta; plures inflammasti sanctis colloquiis, suggere cordi, & linguæ meæ viva illa verba æternitatis.

XIII. S. Francisce, à Seraphino crucifixo vulnerate; qui latentem in corde amoris ignem linguâ prodebas, à Deo, vel de Deo semper loquens, & ut cœle-

le-

leste hoc idioma tuos filios doceres, cum illis persæpe de rebus cœlestibus dissèrebas: quo in colloquio apparuit in medio cœtûs illius tecum de Deo colloquentis venusto aspectu amabilis adolescens Jesus; & omnibus bene precatus, datâ benedictione ostendit quantopere illâ tuâ tuorumque de piis rebus collocutione delectaretur. Qui etiam aliàs de aliis quibusdam servis suis acerbè queri auditus est, quòd cùm essent facundi ad alia & valde effusi, ad loquendum de pietate vix os aperirent. O Sancte mi Seraphici cordis & linguæ vir, impetra mihi linguam eruditam ad sermones Dei, ut cogitationum, & colloquiorum meorum amabile thema sit super omnia Deus meus & omnia, quandoquidem ille quæritur de iis, qui de illo tacent; iis delectatur, ac benedicat, qui piis serendis colloquiis sunt addicti.

XIV. S. Maria Magdalena, quæ dilexisti multùm, ideo didicisti de amore Dei multùm & cogitare, & loqui, & audire sedens ad pedes loquentis Jesu, cujus *cor igneum* ostensum est S. Mechtildi: & illa divinitus est edocta in eo, qui ardet divino amore succensus, omnia quæ cogitat, agit, & *loquitur*, (velut ligna flammæ injecta) in amoris ignem commutari, & sic divini amoris ignem augeri, fierique *igneam animam* illam totam. Impetra ignem illum animæ meæ, ut è corde igneo, lingua ignea, ignea verba depromat.

XV. O vivum æterni Patris Verbum in carne, Deus Jesu! qui dulcissimi infantis specie conspectus es à *B.* Dorothea Ferrariensi, benedicens illis, ac blandiens animabus illis, quæ de rebus spiritualibus lo-

loquebantur,& visus es non sine iræ significatione averti,atque abire,cùm à spiritualibus ad vana colloquia diverterent. Fac, ut ea loquar quæ tibi summè placent ; ut te delectem iis quæ cogito,quæ loquor & quæ ago.

XVI.Ss. Joannes, & Paule, MM. fratres germani, disertissimi ad sermones deDeo serendos, unde canit de vobis Ecclesia : *Lingua eorum claves cœli factæ sunt.*Facite, ut exemplo & verbo sic loquar, ut per sancta exempla,& pia colloquia, lingua mea fiat *clavis cœli:*sicut multæ pessima loquentium linguæ multis fiunt claves inferni.

XVII. S. Genesi M. qui inter tormenta de Deo loquens, ajebas:*Christum mihi de ore, Christum mihi de corde auferre non poteritis.* Fac, ut audeam pia colloquia serere : neque sinam mihi *Christum de ore*, Christum de corde auferri ullis humanis respectibus.

XVIII. S.Scholastica V. quæ cum S. Benedicto fratre tuo totum diem duxisti *in Dei laudibus, sacrisq; colloquiis*, usque dum tenebræ incumberent *inter sacra colloquia*: quorum tu adhuc avida,ideo sum imbrem à Deo impetrasti,ne ille à te posset discedere : sicque factum est, *ut totam noctem pervigilem duceretis, atq; per sacra spiritualis vitæ colloquia vos satiaretis.*Impetrate mihi illam divinorum colloquiorum famem ac sitim: Impetrate tales socios, qui me accendant, & à quibus accendar, tollite omnia, quæ me impedire possunt, ut id faciam, quod in vobis adeò placuit Deo,ut id miraculo fuerit contestatus.

S.Scholastica Virgo, cujus *animam post triduum*

à sancto illo colloquio, vidit S. Benedictus *egressam de corpore tuo, in columbæ specie, cœli secreta penetrare.* Impetra mihi à Deo cor tuum, linguam tuam, pro felici præparatione ad mortem : ut ea cogitem, loquar, faciam, quæ cogitarem, loquerer, facerem, si scirem mihi post triduum esse moriendum.

XIX. Ss. Crispine, & Crispiniane, Romani nobiles, qui sedentariam sutorum artem idcirco didicistis, ut sacris de Christo colloquiis plures ad Christum converteretis; postea Martyres gloriosi. Facite, ut & cor meum, & lingua mea serviat Christo meo : ut multos ad illum ad gaudia æterna perducam. Impetrate mihi à Deo id, quod olim æternum cœli gaudium meditans S. Anselmus petebat sibi concedi; nempe artem de illo sanctè sciteque loquendi. *Meditetur mens mea, loquatur inde lingua mea. Amet illud cor meum, sermocinetur os meum?* & B. Laurentius Justinianus experiebatur, ita Deo loquens mens mea tuo saluberrimo amore succensa, tibi suspirans: *nihil habet dulce, nisi de te loqui,* de tua charitate audire. Nam tuus amor cordis palato sapit; ideò *jucundè eum pronuntio dilectoribus tuis. Si linguis hominum loquar & Angelorum, parum loquar.* O Ss. Martyres, ô S. Anselme, ô B. Laurenti, facite, ut amem, ut amem Deum, amem ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente mea, ex omnibus viribus meis, ex tota fortitudine mea, ita facietis, ut de Deo, ac de amore Dei exemplo vestro, loquar ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente mea, ex omnibus viribus meis, & ex tota fortitudine mea. *Nam,* ut ajebat S. Joannes Chrysostomus, *hoc veri amoris natura facit, ut*

ii, qui nobis chari sunt, semper in ore nostro, ac linguâ versantur. Amem ergo Deum, & loquar ex amore Dei,

XX. S. Joannes de Matha, qui moriens illam seram, quâ labia tua claudere solebas, discipulis tuis legasti, tanquam hæreditatem sanctam. Impetra ostio oris mei auream divini amoris seram: ut claudatur ad vana & inepta, aperiatur ad ea, quæ alendo divini amoris igni sunt opportuna.

XXI. S. Frodoberte Abba, qui dum Spiritu S. plenus, cum hospite quopiam *fructuosum, ac spirituale colloquium sereres, audivisti Angelorum choros harmonicâ suavitate, ineffabilique concentu, cœlestes hymnos, ad Ss. Trinitatis gloriam, concinnentes.* Effice efficacissimis tuis precibus, ut benè sciam & exerceam hanc artem delectandi Deum & Angelos, ad fructuosa & spiritualia colloquia serenda, exemplo ac ope tuâ incitatus.

XXII. S. Nile Abba, qui venientibus ad te Cæsareæ aulæ optimatibus, pia cum illis de paucitate salvandorum colloquia miscuisti, & id Christi, ac Sanctorum idem dicentium, auctoritate confirmans, illos Deî timore concussos, monuisti tandem pro compendio pii colloquii: *Nisi virtute præditi fueritis, & magnâ virtute præditi, nullus vos liberabit à pœnis inferni.* Suggere cordi, & linguæ meæ cogitationes, ac verba ignea, ut his caleant mea colloquia, quæ ad æternitatem paucorum seriò quærendam inflamment me, ac eos, qui audiunt me.

XXIII. S. Joannes Calybeta, nobilissime adolescens, qui uno hospitis ascetæ pio *colloquio* ad æterna incensus, postea à Jesu visitatus, admirabile heroica-

roicarum virtutum exemplum, in domo paterna ignotus & contemptus, præbuisti; neque nisi extremo vitæ die aperuisti Patri ac matri quis esses: post mortem quoque à Deo miraculis honoratus. O felix illa scintilla primi spiritualis colloquii, quæ deinde in tantum divini amoris incendium exarsit! Erudi tuis ignibus linguam meam!

XXIV. S. Augustine, qui à sancta lectione ad sancta cum Alipio miscenda colloquia incalescens, cumque accendens, atque ab eo vicissim accensus, narratis & auditis Cœlitũ exemplis adeò exarsisti, ut clamares ad Deum: *Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus, & exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos & de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ, urebant & consumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus; & accendebant nos validè.* Postea & cum S. Monica matre tua *colloquebaris valde dulciter, qualis futura esset vita æterna Sanctorum, & ascendebatis*, cogitando. *& loquendo Deum:* & dum *loqueremini*, attigistis vitam, illam *modicè toto ictu cordis.* unde dicebas Deo: Domine, tu scis, quòd illo die *cùm talia loqueremur, mundus iste nobis inter verba vilesceret, cum omnibus delectationibus suis.* O sancte fili, ô sancta mater, obtinete mihi à Deo tales ictus cordis, tales calores, talia colloquia, inter quæ mihi, & iis quibuscum loquor dulcescat pretiosus Deus, & vilescat mundus cum omnibus delectationibus suis. Tu de amore Dei loquendum esse suggerens, ajebas lectori tuo: *Rape ad Deum tecum quos potes: & dic eis: Hunc amemus, hunc amemus. Dic eis ista: & sic eos rape tecum ad Deum.*

qui..

quia de spiritu ejus hæc dicis eu, si dicis ardens igne charitatis,

S. Augustine impetra mihi quod olim pro te petiisti; Præsentissime, & pulcherrime Deus quid dicit aliquis *cum de te dicit? & væ tacentibus de te! Quid mihi es: Miserere ut loquar.* O quàm libenter me tuis *laudibus totus effunderem, suppliciter rogo, ut non respicias tantùm ad id quod modò dico, sed ad id quod dicere opto. Cupio enim desiderio magno de te eloqui quod oportet, & decet. Amo te Deus meus; amore magno, magisque te amare cupio: ut totus dulcedine tui amoris plenus, flamma charitatis tuæ succensus, diligam te Deum ex toto corde meo, totisque medullis præcordiorum meorum, habens te in corde in ore, & præ oculis semper & ubique.*

S. Augustine, qui ad cœlestia de divino amore colloquia omnes accendens, dicebas, & scribebas: *Quod agis tecum, id agendum cum proximo est; hoc est ut etiam ipse perfecto amore diligat Deum.* Age, Sancte mi, ut hoc agam, ita fiet, ut etiam dum loquor, agam aliquid quod placeat Deo, & quod prosit proximo, dilecto propter Deum.

XXV. S. Joannes Chrysostome, à cujus colloquiis uberrimæ profluebant lacrymæ ex oculis audientium, qui semper in tuo conclavi habebas pictam inferni imaginem, sæpe de inferno, ac de rebus Dei loquebaris, idemque aliis persuadebas, dum ita diceres, & scriberes: *Nihil est æque utile ac de gehenna disserere, nullus ex iis qui gehennam habet ante oculos, incidet in gehennam. Nihil ita gratum est Deo, & ita curæ ut animarum salus. Præ omnibus aliis vitæ hujus curis, de salute animarum loquamur proximis,*

sua-

ſuadebas item ad menſam ſpiritualia colloquia; *Rogamus charitatem veſtram, ut dictorum ſitis memores, & una cum ſenſibili menſâ cùm hinc abieritis, apponite & ſpiritualem menſam, & dicat vir aliqua eorum, quæ nunc hic ſunt dicta: audiat autem mulier, diſcant pueri, diſcant & familiares; fiatque domus Eccleſia, ut effugetur diabolus,* & alibi: *Semper lingua tua de judicio loquatur: de illis ſuppliciis loquatur; ut tremenda timens judicia ſeipsâ melior fiat.* Doce me ſic ſentire, ac loqui.

XXVI. B. Nile Ep. M. pro Chriſto igne conſumpte, cujus apophthegma erat illud: *Sanctorum gaude colloquio. Beatus à cujus lingua lex non recedit! ab hujus enim tabernaculo Deus non ſeparabitur.* Inſcribe cordi, ac linguæ meæ igneam Dei legem; ut de illa cogitet, ac loquatur.

XXVII. B. Ignatii Conf. qui de Deo etiam rudibus libenter loquebaris, & colloquio hanc coronidem imponebas; *Amate Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota voluntate*, cujus nomen qui ignorabant, nominis tui loco dicebant; *Ille Pater, qui cœlum tam ſæpe aſpicit; & de Deo loquitur tam libenter.* Qui inter prima regularum rudimenta tuis filiis legem hanc præſcripſiſti, ut purum, *& amore Dei flagrans pectus* perpetuò cuſtodirent; & cum Deo, ac de Deo ſermocinarentur, *evitatis ſemper iis, quæ ad animarum progreſſum bonumque non facerent.* Qui ajebas, te cum nullo mortalium, ſeu bonus ille ſit ſeu peſſimus, nunquam ſermonem de Deo contuliſſe, quin inde plurimum emolumenti acceperis, cujus cœleſtibus colloquiis accenſus Xaverius; altum illud æternæ vitæ axioma; *Quid prodeſt homini*

si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? & ut se amore Dei ubique pervincere assuesceret; menti impressit, aliosque idem in familiari collocutione docens, id se à te didicisse ajebat. Incende cor meum tuis flamis, & impetra cordi ac linguæ meæ illũ spiritualium colloquiorũ magistrũ, qui tibi in tuo cubiculo Romæ in igneis linguis apparuit, cujus instinctu scripsisti filiis tuis, ut curent, *etiam privatim proximum piis colloquiis spiritualibus, ad majorem utilitatem proximorum*, ac exemplo tuo Xaverius, Faber deinde B. Borgia, B. Aloysius, B. Stanislaus, & alii, admirabiles fuêre ad loquendum de Deo, & accendenda corda ignito eloquio vehementer. Fac me ita sentire de Deo, uti tu & illi; ita loqui, uti tu & illi!

XXVIII. S. Cæcilia, cordis & oris Angelici Virgo Martyr, cujus *cor igne cœlesti ardebat*; ideoque *neq; diebus neq; noctibus* cessabas *à colloquiis divinis & oratione*, Evangelium Christi semper gerens in pectore, unde eructabat cor tuum verbum bonum. Imple cor meum igne illo, linguam prunis illis ardentibus; ut flagrantissimo studio loquar cum Deo & de Deo, in *oratione, atq; colloquiis divinis*, ut amem Deum cogitatione, *verbo* & opere!

XXIX S. Ambrosi, in cujus infantis ore *examen apum* consedisse dicitur, unde melleo illo tuo rore plenus, Augustinum non tantùm concionibus, verum & *privatis tuis colloquiis* convertisti. Da cordi & linguæ meæ melleam, & cælestem illam vim & efficacitatem in congressu familiarique colloquio,

impetra mihi *spiritum labiorum* à Dei amore profectum; ut sermones mei sint quasi sermones Dei per me loquentes: ut auditorem flectam, *ad quod efficiendum Spiritus sanctus utitur lingua hominis quasi quodam instrumento; ipse autem est qui perficit operationem interiùs.* Impetra cordi & linguæ meæ, ut sint instrumenta Spiritus sancti; ut fuit tua lingua!

XXX. S. Birgitta, quæ virum tuum ad virtutem piis colloquiis *efficacibus verbis* adhortata, postea iisdem Romæ *plurimos ad amorem divinum vehemementer accendisti*, cui beatissima Virgo dixit: Humilitas veræ contritionis inducit hominem *in cor Dei, & in colloquium spirituale.* Impetra cordi & ori meo cogitationes igneas, & verba efficacia, quibus *plurimos ad amorem Dei vehementer accendam.* Impetra mihi à Jesu Rege, & à Maria, Matre humilium, humilitatem illam, quæ me inducat in cor Dei, & in *colloquium spirituale*, cum spiritus ille, qui nos de Deo linguis igneis loqui docet, non requiescat nisi super humiles corde. Venit ille in linguis igneis, ut ait Bernardus, ut Apostoli *Verba ignea loquerentur, & legem igneam lingua ignea prædicarent.* Impetra mihi cinerem vitæ humilitatis, sub quo ignis iste lateat & servetur: ut in me ardens alios accendat!

XXXI. S. Benedicte, qui Placidum tuum spiritualibus colloquiis eruditum, vocabas *fructum labiorum tuorum*: & audito ejus martyrio, gratias Deo agens, dicebas: Gratias tibi, nunc promo, cunctorũ vita salusque, qui *fructum labiorum meorum dilectissimum Placidum*, singularem & unicum mei pectoris filium, ad tuum fecisti conscendere solium. Impetra mihi à Deo, ut diffusa in labiis meis ejus gra-

tiâ, ea loquar, quæ non ſunt ſterilia, ſed in iis quibuſcum colloquor, pretioſum labiorum meorum fructum ferant; & fructus ille maneat, ſitque Deo meo gratiſſimus!

XXXII. S. Pancrati Ep. M. qui cum loquereris *cœleſtia ſuaviſſimis, mellitiſſima lingua verbis*, dicebaris *ignes ore jaculare*. Jaculare in cor meum ignes illos: & imple cor ac os meum *ſuaviſſimis mellitiſſima lingua verbis*, ut omnes ad Deum traham!

XXXIII. S. Niceta, qui non niſi de divinis volebas texi ſermonem, facetiis, à religioſo tuorum contubernio planè proſcriptis; cum diceres: *Hæc enim odit Spiritus ſanctus*. Impetra mihi, ut ea & agam, & loquar, quæ Spiritus ſanctus amat; oderim, quæ ille odit!

XXXIV. S. Urſula V. M. quæ cum datas tibi comites, *in divini amoris obſervantiâ piis exhortationibus erudires*, illæ *corda cum manibus in cœlum levantes*, te audiebant. Incende me quoque, ut ſic loquar, & ſic audiar; & ſic audiam alios de divino amore loquentes, ut alii ab aliis ardeamus; & ea quæ loquimur, opere expleamus, atque ita *corda cum manibus in cœlum levemus*!

Plura de his ſuppeditat Annus Cœleſtis, Annus meditationum cordis; Diurnum divini authoris, & menſes amoris Dei.

Quia spes est libellos hos in plurium felicem mortem serio exoptantium manus venturos, adjicere placuit geminum huc faciens præsidium; alterum commune Chistianis omnibus, alterum ad solos spectans Sacerdotes, utrumq; auctoritate publica, & multorum usu comprobatum.

FOEDUS ANGELICUM.

Coaluit non ita pridem piorum hominum societas, ope operaq; Angelorum tutelarium, beatam sibi invicem mortem expetentium, his adjungi volenti, hæc tria præstanda sunt, sine tamen obligatione vel minimi peccati.

Primo *decernes: quot annis semel, in eorundem honorem, ad sacram synaxin accedere; ut tibi & fœderatis omnibus ipsos concilies in horam mortis id, tacitè fieri potest, post acceptum panem cœlestem hac utendo*

FORMULA.

Mi amantissime & humanissime Angele, custos corporis & animæ meæ, cujus me tutelæ commisit bonus Deus omni tempore; sed potissimum in vitæ meæ termino. Doleo ex animo quod tibi usque eò ingratus hactenus vixerim; ideoque, in conspectu divinæ majestatis, sanctè nunc statuo ac decerno te, cujus præsidio, secundum JESUM & MARIAM, felicem ex hac vita discessum præcipuè spero, religiosius deinceps colere, impensiusque revereri & amare. Unicè deinde id à te peto, quod tu unicè mihi præstare desideras: adsis mihi in hora mortis meæ, omnibusque eum in finem mihi fœderatis. Ad hoc obtinendum, propono firmiter, (1) semel minimum per annum, honori tuo, sacrosancto Christi pasci corpore: (2) sacellum quoque aut

ima-

imaginem tuam piè visere: & (3) quotidie piarum tibi precum certum pensum persolvere. Exaudi me, quem tantopere diligis: confirma me in prælio isto supremo, unde salus mea æterna dependet; deduc me ad cælum; quia ad hoc ductor mihi datus es. Amen.

Secundò *statue semel saltem quotannis visere locum, in quo erit imago Angeli Custodis: aut si nullus ibi talis ubi moraris, adire sacellum aut imaginem B. Virginis, quam honorabis uti Reginam Angelorum.*

Tertiò *propones, ad impetrandam gratiam bene moriendi, quotidie semel recitare* Officium parvum, *vel* Litanias de Ss. Angelis, *aut* Protestationes S. Caroli, *aut* (*subjuncta* oratione Dominica, *ac* salutatione Angelica) *preculam sequentem.*

Angele Dei; quem singularis Dei providentia meum custodem esse voluit, illumina me, protege me, deduc me & omnes mihi fœdere conjunctos, in via æternitatis felicis, & in hunc finem subveni nobis in hora mortis nostræ. Amen.

Qui nescit legere, dicit quotidie ter Pater *&* Ave *in honorem Ss. Angelorum, ad exorandum fœderatis toto orbe omnibus eorum in momentum ultimum præsens & singulare subsidium.*

Si cui hæc minus probentur, iis minimum in sacrificio Missæ dum sacra hostia attollitur, dicit: Mi Deus, in manus tuas commendo animam meam, & animas omnium fœderatorum meorum suscipe illas in hora mortis nostræ.

De hoc argumento (Deo bene propitio) vulgabuntur propediem libelli uberiores. habe nunc tibi hoc quoque luci, directus ad s. Angelum Custodem pro præparatione ad felicem & sanctam mortem obeundam, ab innumeris quotidie recitari solitas pulcherrimas

PROTESTATIONES S. CAROLI

Cardinalis Borromæi.

I. *In* nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus sancti, ego infelix & miser peccator, protestor in præsentia tua, ô Angele Dei, assignate mihi à divina sua majestate pro ductore, cùm primùm natus sum, velle & desiderare me mori in ea sola, vera, & Catholica fide, quam sancta Romana & Apostolica tenet & profitetur Ecclesia, & in qua omnes Sancti quotquot fuerunt unquam uspiam, mortui sunt; nec desidero diutiùs vivere, quàm placeat Deo meo, cui omnem meam voluntatem integrè & ex toto subjicio.

II. Protestor etiam, ô Angele Dei, desiderare & velle me sub tua sancta custodia ac protectione, discedere ex hac vita, cum spe divinæ misericordiæ sine ulla titubatione in fide; non obstante quacunque multitudine & gravitate peccatorum meorum, certò sciens firmissimè credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi sanguinis D. N. Jesu Christi sufficientem futuram fuisse, non solum me salvandi, sed universum etiam genus humanum, quin & mille mundos, si ita placitum fuisset divinæ suæ majestati.

III, Si-

III. Similiter protestor, ô Angele sancte, petere me ex intimo corde, participem fieri misericordiæ Redemptoris & Domini nostri Jesu, remissionemque omnium peccatorum meorum consequi, scientem, quòd ipse eam nulli peccatori, quantumvis gravi & abominabili, neget ritè contrito & confesso: idque per & propter merita amarissimæ suæ passionis & mortis, & virtutem pretiosissimi sanguinis sui, pro me indignissimo in ligno crucis copiosè effusi; per merita demum sanctissimæ Matris suæ, Virginisque MARIÆ, & omnium Sanctorum & Angelorum.

IV. Iterum protestor, sanctissime mi Custos, supplicare me divinæ pietati, ut dignetur me recipere in numerũ eorum, quos ab æterno prædestinavit in suam gloriam; etiamsi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio ad novissimum usque judicii diem, dummodo tandem, per ipsius infinitam misericordiam, consequar vitam æternã.

V. Sanctissime & vigilantissime Custos, protestor demum, constituere me te Procuratorem Testamenti ultimæq; voluntatis animæ meæ, ad impetrandum mihi, à Domino meo Jesu, tres gratias. Prima est, ut mihi donet unum solùm lacrymosum suspirium, ex infinitis illis, quæ habuit ipse, dum per tres horas vivus fuit in Cruce, quorum efficacia & virtute, mitigentur lachrymabiles illi singultus cordisque pressuræ & angustiæ, quibus in hora mortis affligar. Et ut gloriosissima Mater Dei MARIA dignetur me vel unico etiam aspectu, ex iis, quos ipsa sub Cruce stans habuit, defigendo in unicum Filium suum virgineos oculos, suscipien-

piendo me in eorum numerum, qui ejus precibus & meritis, in die judicii, obtinebunt salutem & vitam sempiternã. Altera gratia est, ut tu, fidelissime Custos meus, in illa potissimùm hora mihi succurras, quando anima mea separabitur à corpore meo; ut inveniam benignum Judicem, merito flagrantissimæ illius charitatis, quâ paternum ipsius pectus in Cruce fuit inflammatum pro salute peccatorum. Ultima demum gratia est, ut tu idem piissime Custos meus, animam meam tibi habeas commendatam, eamque de ergastulo corporis egressam, dexteræ tuæ potentiâ, Redemptori meo offeras; ut eum unà tecum, & cum Sanctis omnibus, in cœli gaudiis videam, perfectè amem, eoque æternaliter fruar, cui sit laus, honor & gloria in omnem æternitatem. Amen.

Oratio ad S. Angelum custodem.

Obsecro te, Angelice spiritus, Custos ac Tutor meus fidelis, ut me custodiæ ac protectioni tuæ ex divina bonitate commissum, in via pacis, prosperitatis & salutis hodie semperque dirigas; atque ab omni spiritu malo, gravique tentatione defendas.

Nôsti, mi dulcissime Custos, qui conditus sum ad Dei ipsius nostri Creatoris imaginẽ; redemptus quoque pretio tam magno, id est, Christi sanguine; de potestate sathanæ: Tibi verò Dei providentia in curam & tutelam traditus, & quorsum hæc omnia? nisi, ut non perderet hostis invidia, quem tanta circumdat Dei bonitas & clementia.

Ad-

Adsiste tu ergo mihi fideli custodia, ne frustrentur in me tanta divinæ bonitatis insignia. Rogo te, charissime Angele, per amorem clementissimi Dei, quo, ceteris Angelis reprobis de fastigio felicitatis suæ per superbiam corruentibus, tu una cum bonis in gratia & gloria servatus es; precor, inquam, ut & ego te favente & curante sentiam efficax Dei auxilium, quo server à lapsu & periculis, in gratia verò, bonisque operibus, & Dei Creatoris mei cultu & amore constans permaneam; donec ad visionem ejus in cœlesti patria perveniam, eumque unà tecum, & cum Sanctis omnibus, laudem per omnia sæcula. Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna hodie illumina, custodi, rege, guberna. Amen.

Exsolvo promissum, & subnecto alterum Sacerdotum aliquot *ad impetrandum* sibi mutuis conatibus, Jesu *morientis amorem & felicem obitum*,

PIUM FOEDUS.

Cùm duæ sint principes Sacerdotii functiones, altera officiendi ex conceptis verbis. ac sumendi Corporis & sanguinis Jesu *Christi, altera pœnitentis ritè absolvendi, videntur inde Sacerdotes ad duo præsertim urgeri.*

Primum est, ut præcipuo quodam præ cæteris amore ferantur erga Jesum*, eumque in oculis gerant, quem stupente ad beneficii magnitudinem cœlo, toties excipiunt manibus; sanctèq; depereant, atq; intimo sinu foveant suavissimum illum non tantum sui pectoris hospitem, sed velut fructum labiorum*

suorum, & partum oris sui, Deum verbo enitentis, ad æmulationem propè Patris æterni, & Immaculatæ B. MARIÆ Virginis, quæ & ipsa verbo verbum Dei concepit. Neq; id tantùm ex primo Sacerdotii munere sequitur; sed quod proximum & affine est, nec ab amore Christi discretum, ut nimirum tenerrimo pietatis sensu duci studeant erga sanctissimam ejus Passionem ac mortem, quam & divinæ charitatis apicem nôrunt, & ipsi toties, ex officio velut in scenam dant exhibitione viva, absit ut emortua fide, vel stupida ad tantæ dilectionis memoriam voluntate.

Obvium verò satis est alterum illud, ad quod Sacerdotes ipso sui muneris exercitio admoniti perurgentur; videlicet, ut sibi à sordibus caveant, qui mundandis aliis sunt præfecti; atq; ut juvandis ad piè obeundam mortem hominibus destinati, potiorem in hac re sibi curam impendant, sanctumq; obitum omni sibi ratione procurent.

Id scilicet, fuit causa, cur Sacerdotes aliquot in sanctam societatem convenerint, ut mutuas sibi præstarent operas, ad obtinendum geminæ hujus gratiæ beneficium: quam in rem pacti sunt, ut singuli singulis mensibus semel votivum de Passione Sacrum die Veneris offerant Deo pro se, iisq; omnibus, qui in consocietatem adoptati idem Sacrum fecerint, vel facturi sint eo mense, aut etiam fieri ab alio curarint, vel curaturi sint impediente morbo, quominùs id ipsi facere valeant. Quod si votivum ejusmodi Sacrum non liceat eo mense, ex Rubricarum directione facere; (ut non licet, quando Officium non est de feria, nec quando resumenda est Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita, nec in fereis Adventûs, Quadragesimæ,

Qua-

Quatuor Temporum, Rogationum, Vigiliarum) poterit aliud Sacrum substitui.

Porrò Sacerdotibus omnibus orthodoxis sit potestas in hoc sacrum consortium concedendi: neq; ad id alio ritu opus est, quam ut fœderatis etiam absentibus velint jungi, idemq; Sacrum iisdem conditionibus facere, neq; sint majoris (ut vocant) Excommunicationis censura percussi; cum pro ejusmodi Ecclesiæ Extorribus Sacrum offerre sit nefas. Omnes autem monitos esse oportet, nullam in hac societate obligationem imponi; sed tantum eos, qui constitutum Sacrum non fecerint aliquo mense, non fore participes Sacrorum ab aliis eodem mense factorum, instar eorum, qui pacto steterint.

Quia verò tum JESU *Christo gloriosius, tum singulis fœderatis compendiosius futurum est fœdus, quò sociorũ magis excreverit numerus; invitantur socii omnes, ut quam poterunt plurimos ad ineundam hanc societatem hortentur; ac præterea, ut ipsi non tantùm in Sacro ex pactione statuto, sed & in omnibus aliis sacrificiis, Deo studiosè commendent eos omnes, qui in societatem istam, convenerint, eoq; mense prædictum Sacrum obtulerint, aut sint oblaturi, modo superiùs declarato. In hac verba si lubeat, concipi potest Sacri oblatio.*

Domine Jesu Fili Dei, ac Deus verè, qui te Deo Patri in pretiosam charitatis victimam, & in amoris hostiâ nimis amabilem obtulisti, suscipe, quæso, vicissim, quod suavissimæ dilectioni tuæ rependo, non tantùm impar cordis mei tibi devotissimi holocaustum; sed & par oblationi tuæ sacrificium Corporis & sanguinis tui sacrosancti, quod apparo

tibique tota memoris animi devotione offero: tum in actionem gratiarum, pro summo illo amore, quo accerbissimam mortem nostra causa subiisti; tum pro me, iisque omnibus, qui mecum fœdere sociati, Sacrum ex pactione constitutum fecerunt, vel facturi sunt hoc mense; aut etiam morbo impediti, fieri per alium curarunt, vel curabunt: ut qui mortem ex amore nostri amantissimus obiisti, sanctum nobis omnibus tui morientis amorem, & felicem in tuæ charitatis amplexibus obitum concedas.

Amen.

Ad majorem Dei, Deiparæ, ac Sanctorum omnium gloriam, & ultimi agonis nostri solatium sanctum!

ANNI CÆLESTIS

Indiculus in Patrem Tertiam.

A.

Actiones. ligna amoris. 42.
Agricola, Episcopus. 51
Aleæ lusus. 135.
Amor Dei. 14. 28. 37. 53. 38. 40. 41. 42. *ibid.* & 43.
 45. 49. 52. 53. 59. 63. 86. 88. 91. 93. 102. 103.
105. *ib.* 118. 129. 131. 139. 150. 159. 168. 178. 181.
Amor erga *B.* Virg. 44.
 amore Dei. 55.
Angelus. 32. 156. 179.
 aquila 126.
 catechista. 48. 55.
 dux 9.
 magister. 24.
 minister Sacri. 74.
 ornatus 18.
 testis. 44.
 vestis. 67.
Angelicus cibus. 102
S. Anna. 34. 49. 50. 51. 52. 53. 134. 139. 143
 in auro. 54
Annulus, 41. 76.
Aqua è petra, 6
 vinum. 8. & 9. 12. 121
Aquila. 126. 142.
Arbor. 54. 139

Arbor

Arbor pœnitentiæ. 42.
Archiep. Religiosus. 21
Assumptio B. Virg. 88. 90. 91
Ave Maria. 12. 77. 129. 139.
Aves. 58. 129. 135
Aulicus. 106. 156. 172. 174. 182
Aurea aquila. 67
calcaria. 22.
crux, 112
flores. 37
folia, 139
idola. 48
oratio. 104
Aureum vas. 53
Auri massa. 179
Auro scriptus. 33
Aurum Angelicum. 101
à Deo, 156.

B.

S. Barbara. 86
Basiliscus. 109
Beatiss. Virgo. 16. 28
aliæ. 74
amor. 159.
annulus. 70
ara perpetua. 169
arbor. 139.
benedictio. 69. 91. 116
bilanx. 180
à calumnia liberans. 37

catena. 100.
cibus. 170
B. V. consiliũ 55. 68. 70. 86. 93. 103. 117. 129. 140. 141
pro confessione. 180
consolatrix. 115
cor. 92
currus. 109. 111
defendit civitatem. 132, 172.
B. V. hortus. 162
humilitas. 65
cum Jesu. 163
imago. 93. 100. 106. 139. *bis.*
lac. 106
lætitiæ. 139
laudes. 86.
lilium. 91
mensa. 93
in morte. 84. 90. 91. 98. 101. 103
in judicio. 45.
osculum. 27
patrocinium 158
pro pœnitente, 135
pallium. 91. 40
sanat. 14
scintilla. 92
cum Seraphinis. 180
sertum, 100
servi. 110
templum 81. 82. 148. 149. 152
vestes dat. 138
victoria. 18. 20 22. 48, 57, 61.
Benignitas, 23

S. Bernar-

S. Bernardus. 102. 118.
Bibliotheca. 25

C.

Cæcitas. 12. 13. 76
Cælum. 16. 47. 59
Cælum aspice. 62. 108
Calculi dolor. 46
Calumnia. 12. 102
Campana miraculorum. 157
Canæ puellæ. 27
Canonicus M. 157
Cantus B. Virginis. 91. 93
cœli. 58.
dæmonum. 39
JEsu. 91. 93
morientis. 47
Sanctorum. 91
Caput in manu. 9. 22. 29. 69. 73. 125. 365. 122.
Carbones. 10 99.
Carnis afflictio. 84. 90
Caseus. 171
Castitas. 32. 33. 36. 41. 58. 69. 73. 104.. 120. 125. 156. 162
Catena, 66 84.
Cereus B. V. 125.
Cervus, cerva. 12. 107. 124
Charitas. 9. 22.
Christianus. 154.
Christi sanguis. 41
Cibus. 73. 148

Cilicium. 14. 84.87. 108. 113. 129. 148. 153. 164.
Cingulum B. V. 44.
Colaphus 69.
Colloquia spiritualia. 46 54.62
Colloquia spiritualia. 46.79.86.118. 129.130. 168. 172. 179.
Columba 35.58. 137. *ibid.* 172. 154
Columna. 73. 103.
Columna B. V. 49
Comes sanctus. 44. *ibid.* 127. 174.
Concio. 24.
Confessio. 54. 157, 180
Conjuges sancti 10. 116
virgines, 26. 44.
Conscientia terrens. 15
Consilium è cœlo. 16
Constantia. 33.
in cultu B. V 52.
Conversio. 73. 117. 128. 152.
Convivium. 25
Cor. 26. 60.
S, *Augustini.* 118. *ibid.*
S. Francisci. 68.
s. *Magdalenæ.* 42. *ib.*
in manibus. 118
Sss. Trinitati devotum. 97
Cordis paradisus, 71
Corona 35. 130. 151
spinea. 154. 180
Crucifixus. 21. 26. 81. 84
amplectitur. 104

lacrymans. 87
libet. 110,
Crux,14.16.,25.29.35.39.63.137.144
Cubiculum. 121.129.143
Culices. 27.

D.

Dæmon.62.
fugit. 73
magister.136
uritur.18.20
Deliciæ cæli. 35
Dentes 121
Desideria pia.93.105.118
DEus. 63
aurum.168
Dei delectatio.45.92.102
dilectio,21
Dies Dominica. 40
Digitus 41
Discendum est. 105
Disciplina.71
Discipuli carnifices. 85
dæmonis. 136
Domus in cœlo. 6
Draco.20.31.33.35 39.95.

E.

Eleemosyna.6. 7.8. 10.11.16.18.26.78.81.84.98.
101.113.117.122.124.128.129.131.158.171.
Episto-

Epistola è cœlo.63.112.
Eucharistia. 3.12.17.25. 40. 43. 63.68.82.86.90. 91. 93.
Examen particulare. 62. 65.
Exemplum. 73. 79. 105. 107. 154. 165. 173 176.
Exequiæ. 21. 58
Exhortatio. 105

F.

Familia sancta. 13. 28. 32.34 *ibid* 39.66. 73. 76. 83 85.106. 107. 111.116.122. 123. 124.147.151.161. 162.167.171.179.
Feræ mansuetæ. 75. 119.175
Feria sexta. 113
Festum. 43.118.135
Festum B. Virg. 91.16
Flagra. 159.
Flores. 40. 41. 69. 90. 140.
Fratres. 21.48. 49. 57.63. 125. 127.142.157. 175 177.
Frigus. 40 64.
Furtum. 97

G.

S. Gabriel. 25.
Gemmæ. 11
Glacies ignem alens. 102
Gratias Deo. 76
Gratissima Deo. 17. 150

Gratiss. Deo oratio. 16
Gula. 96

H.

Heroicus actus. 30
Hibernorum vesperæ 88.
Hora orationis. 182
Hortus. 24.
Hostes. 26. 148
Humanitas. 80
Humilitas. 30. 44. 109. 113. 139. 140. 144. 149. 177.
Humilitas B. Virg. 65

I.

Jaculatoriæ orationes, 16. 63. 170
Idola. 153
Jejunium. 113. 134. 143. 147
JEsus puer 25. 86.
  in pectore 85
  osculum. 96.
  crux. 96
Igneum flagrum. 62.
Ignis B. Virginis 71. 137. 138.
Ignis cordis. 42
  orationis. 18
  oris. 46. 58
Igne vicit. 20
Ignes. 159. 160
Ignea columna. 103

Igno-

Ignosce. 14. 22. 136. 150. *ibid.* 169
Imago S. Annæ. 50.
Imago B Virginis. 11.
læsa. 33.
loquens. 30.
in peste. 31
Incendium 4.
Infernus. 29. 116.
Inspirationes 117. 143. 173.
Intentio. 88
S. Joannes. 91. 132
S. Joseph. 70. 102
Juventus nova. 119
Iter. 171.

K.

Kyrie eleison. 170

L.

Labores. 47. 53. 58. 87. 128
Lac sanguis. 28. 56. 168. 171
Lampas. 11.
Lampas. B. Virg. 70
Lapilli è pane. 84
S. Laurentius. 26. 70. 80. 87
Lauretana B. V. 137
Lectio. 64. 83. 95. 118. 150 167. *ib.* 171
Lectulus. 86. 121. 163
Leprosus. 64
Liber. 152
Liber ad collum. 83

Liber crucis. 110
vitæ. 168. *bis.*
Lilium 61. 167
Lingua 58. 81. 127
Loqui sine lingua. *ibid.*
Lux. 165. 181
Luxuria. 15

M.

Magister sanctus. 29. 57.
Manus, pedes. 14. 20
Manus S. Jo. Bapt. 150
MARIÆ nomen. 3
S. Maria Ægypt. 64.
S. Mar. Magdalena 37. 38. 53
Mater. 16
Mathematicus. 10
Medicus. 27. 56. 154.
S. *Michael*. 24. 39. 40. 81. 90. 127. 175
Misericordia. 36.
Modestia. 17
Mola. 37
Molossus. 86.
Monita. 32. 156
Moribundus. 23. 49. 52
Mors 121
Mors læta. 75. 77. 117. 143. 146. *ibid.* 151
Mortis præparatio. 21. 152. 163. 166.
Mortui canunt vesperas B. V. 88
gratulantur vivis. 16
Mortuus loquens. 73.

Mortui magistri charitatis, 22
Mortificatio.121.127
Mondi mappa.135
rota.60
Mundus. 152
Mutus 54

N.

Navis. 39.165
Angelorum. 126
Nectar. 3
Nives.176
Nomen aureum. 46
Novitius. 4
Nugæ.114.153

O.

Obedientia. 21.95.135.152.281
Octo dies.163
Oculi. 109. 162.263
Oculi leves.154
Oculorum lumen à Floribus. 69
Odores 19.64
Oratio. 4.18.27.29.31. 35.39.48.53.60.95.96.104
112.129.137. 13.158.165. 178
attenta 72.81.90
ante cibum. 72
frequens. 112
Ornatus. 19
Os. 41
Osculum.8.16

P. Pal-

P

Pallium. 44. 128. 135
B. Virginis. 62
Palma. 55. 88. 169
Panis. 14. 94. 109. ibi. 113. 117. 123
Paralysis. 75
Passio Christi. 41. 42
Pati. 19. 22. 35. 65. 67. 71. 77. 78. 79. 82. 97. 101. 112. 114. 127. *ibid.* 128. 133. 136. 155. 157. 160 162. 168. 175.
Patris mali bona proles. 162. 163. 168.
S. Paulus. 166
Peccata. 37. 38. 96. 113. 124
minima 79.
Pectus illustre. 64
Pedes. 154.
floridi. 41
Pestis. 21. 113. 121
S. Petrus. 18.
Piscari. 10
Pisces s. Annæ. 53
Placere Deo. 86
Pœnitentia 16. 39. 118. *ibid.* 121. 133 145
Pomum. 148.
Pomum s. Joannis. 51
Prædestinatio. 172
Præparatio ad mortem. 143
Procatia. 27
Prunæ flores. 81
Pulchritudo Angeli. 79

Purga-

Purgatorium, 9. 29. 47. 71. 143. 170. 17.

Q.

Quartana, 75
Quies. 35
Quotidie in cœlum. 49

R.

Religio. 51
Reliquiæ. 4. 11. 17. 22. 30. 31. 70. 76. 85. 96. 99. 112. 115. 119. 142. 144. *ibid.* 148. 156. 158
Reliquiæ Crucis. 150
Renovatio. 119
Respectus humanus. 121
Resurgens à morte. 26. 27. 79. 142. 144. 147. 151. 155.
Rex supplex. 125.
Ritus. 12
Rosarium. 147
Rosæ. 8. 118. 119. 150. 170

S.

Sabbatum. 81. 113. 144. 174
Sacrum. 10. 58. 60. 103. 125. 132. 176
Sagitta 29. 50. 94
Salve Regina. 92. 104
Sancti. 46. 47
Sanguis. 79. 104. 156. 157. 160

Sanguis medicus. 20. & 21
Sapientia vana. 99
Saxum. 27
Scala. 59
cæli. 116
Senex ſanctus. 72. 156. 165
senſuum cuſtodia. 177.
septies rapta in cælum. 40
sepulchrum. 9. 130. 131. 142
seraphini. 31, 88. 92. 140. 155. 178. 180
serpens. 17. 166
obediens. 18
Sertum. 142
sex menſes ultimi. 158. & 159
silentium. 14. 33
somnus. 14. 57
sorores. 144
ſanctæ. 31. 37. 61
Spes. 110
Spinæ. 31
Stellæ. 84. 87. 173
B. Virginis. 36
Studia. 24
sudariolum. 24
sudor. 54. 131
Superbiæ odor. 47

T.

Templum.28. 119
Tentatio,18. 20.. *bis*. 34. 39. *bis*. 50. 53. *bis* 86.179
181.
Tepidus. 41. 52. 75. *bis*. 87. 104
Thesauri paradisi. 52
Tres dies ultimi. 146.
Triduum. 29.
SS. Trinitas, 16. 118

V.

Vana gloria. 134
Velum. 15
Venatio. 161
Veniale peccatum. 12. 42
Veritas in ore mortui, 61
Vestis. 21. 43. *bis*. 50. 65. 67. 96
Vestis amoris. 43
aurea. 31
S. Petri. 73
Vexillum. 67
Vincula soluta. 82
Vinea, 31
Virginitas. 18
Virgo sponsus. 102
Virgo sub veste viri, 132
Vitis. 41.
Vitrum. 84
Vocatio, 98.. 104. 109. 143

Voluntas bona. 33.
Urbis tutela, 67
Ursus. 135.

Z.

Zelus animarum. 16. 49.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis, nunc, & in hora mortis nostræ!
Amen.

CLAUSULA QUOTIDIANA.

OMNES SANCTI, quos felici morte defunctos hodie felici æternitate donavit Deus.

Omnes Sancti mei nominis, & meæ Patriæ, ac Patroni mei menstrui omnes.

Omnes Sancti nationis, & conditionis meæ.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi nascenti prima fuit dies.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi morienti ultima erit dies.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, vos potissimum, qui in hac vita maximè excelluistis in amore Dei: tuque, ô MARIA, Mater agonizantium, orate pro omnibus hodie nascentibus, & hodie in agone supremo periclitantibus: impetrate mihi à Crucifixo Jesu felicem mortem, beatam æternitatem. *Amen.*

Credo,

Credo, spero, amo, adoro te, pulcherrime, ac optime, super omnia, Deus meus! & ideò de peccatis meis doleo, ac desidero plus dolere, & confiteri. Doleo super omnia, quòd te jam ingratus offenderim, Deus meus, & omnia! In gratiarum actionem, & satisfactionem, offero tibi hujus diei, & vitæ meæ totius actiones atque momenta singula, conjuncta omnibus lacrymis pœnitentium Sanctorum, omnibus guttis lacrymarum, & Sanguinis Jesu, omnibus meritis Jesu, Mariæ, & omnium Electorum tuorum: ut te videre, ac amare, unà cum illis, & unà tecum, merear in æternum, Amen.

ORATIO
AD
ANGELUM CUSTODEM.

Amantissime, dulcissime, solertissime mi Angele Custos, dux, protector, magister, amice verè fidelis, verè thesaurus immortalitatis meæ! Gratias ago Deo meo, pro te mihi dato, & pro donis omnibus, quibus ornavit te. Gratias ago tibi, quòd me sanctè, à prima nativitatis meæ hora, protexeris. Perge, usque dum me sistas Deo ibi, unde ad me custodiendum es missus. Doleo, quòd non semper fuerim ad omnem tuum nutum, quòd te contristaverim, quando feci aliquid, quod placebat angelo tenebrarum! Suggere cordi meo, quæ Deus vult; & tardi cordis mei duritiem, ac surditatem vince: Sensus meos omnes, & cor meum guberna, Mariam Reginam nostram & Sanctos omnes, ac Sanctas Dei, præcipuè Patronos, & Patronas meas, tibi

pro auxillio adjunge; totum me saeratissimæ Trinitati, per JEsu sanguinem, & MARIÆ manus, ex toto dedica, in holocaustum æternum: omnes omninò (etiam quas indifferentes dicimus) actiones meas, ad majorem Dei gloriam, offer ad thronum gratiæ ejus, & gloriæ, Nunc, & in hora mortis, ita mihi, cum sociis tuis Angelis, & sanctis, ope totâ assiste, ut omnia, & singula momenta vitæ, ac mortis meæ, sint mihi, ubique æterno solatio; JESU, & MARIÆ, æterno honori, & amori, in felici beatorum Angelorum æternitate, in qua, gratulor, quod manseris fidelis, cum fidelibus Seraphinis, ac altis; non verò consenseris rebellibus, neque cum illis præceps rueris in ignem æternum. Conserva me quoque, ut sim fidelis usque ad mortem, ac immortaliter amem Deum, unà cum Seraphinis, tecum, & cum aliis: & sim socius fidelium, non rebellium Angelorum.

Amen.

F I N I S.

ANNI CÆLESTIS
Indiculus in Partem Quartam.

A.

ACetum vinum. 308
Adamantinus murus. 326
Æternitas. 210. 308
Agnus. 284
Agon extremus. 212. 233. 264. 273. 307. 308. 312. 317. 330
Alæ. 306
B. Aloysius. 188. 357
Amor erga Deum, 190, 200. 202. 209, 220, 243. 244. 255. 268. 272. 275. 282. 283. 287. 341. 344. 347. 350
Amoris Dei civitas, 239
vexillum. 240. 243
Amor erga Deiparam, 282
Amplexus, *bis* 285
Angeli, 228. 235. 267, 276. 281. 282, 285. 352. *ibidem.*
Angeli in concione. 301
irati. 239
Animarum zelus, 276. 282. 287. 301
Annulus. 268
Annus ultimus. 247
Apes. 309. 311. 339
Aqua ballsamum. 242
benedicta. 207. 278
vinum. 295
Aquila. 201. 298
Arbor. 203

Arbor cæli, 314
Jesu, 341
Ardentes ægri, 290
Ave Maria, 268. 278. 307. 331. 335
Aulicus, 188
sanctus, 235. 305. 315
Aurum, 321. 330
Aurea camera, 222
litera, 278
manus, 287
mysteria. 341

B.

Balsamum ex aqua, 242
Baptismus, 324
B. V. amor gratus Christo, 339
B. V. apparitio, &c. 339
concio. 228. 348
consilium dat. 285. 321. 331. 333. 352
corona, 302. 351
defensa libri, 316
faces. 224
B. V. imago. 191. 221. 226. 246. 251. 265. 278. 325
laudanda, 272
B. V. laborantem juvat. 226
B. V. liber. 186. 305. 356
pro liberandis captivis. 339
in morte, &c. 198
Officium, 193
protectio. 186. *bis* 204
vita. *ibid.*
cum s. Ursula. 224
Benedictio è mortuo. 351

C.

Cadaver. 290
Cæcitas, 296. 324.
Cælum. 191. 202. 203. 218. 237. 291, 292, 302. 306. 307. 312. 322. 323. 333. 336. 341.
Cælum aspice. 291
Calamus sanctus. 273
Calumnia. 270. 285. 293. 325
Cancer. 302
Canis rabidus, 291.
Canonicus. 375
Cantus. 334, 339. 342
Caput in manu. 195. 198. 199, 212. 214. 230. 274.
Caput inter Angelos. 247
Castitas. 207. 215. 246. 248. 251. 254. 269. 271. 284. 286. 288. 336.
S. Catharina. 221. 287. 289.
Cervus. 247
Charitatis Sodales, 298
Chrisma è cœlo. 181
Christus minister. 216
Christianus sum 323, 335
Cibus. 284. 287. 305
Cogitationes de amore Dei. 347
Colloquia pia. 190. 192. 197. 230. 283. 289. 311, 347. 353.
Columba. 184. 192. 197. 209. 239. 242. 287. 296. 317
Comes sanctus. 207. 238. 289. 313. 330.
Compendium Theologiæ. 397.

Concio. 294
Confessio quotidiana. 250 392.
Congregatio B. V. 344
Conjuges. 230. 281. 298
Consilia. 282
Consil. B. V. 241. 263. 291
Constantia. 285. 287
Cor. 198. 272. 273. 313. 348
Cor B. V. 241. 272
Jesu. 243. 272. 277
Cor corrosum a serpente. 242.
Corona. 185. 191. 243. 252. 256. 266. 255. 282. 295 307. 351
Corona colenti B. Virginem. 332
Corona spinea. 269
Crucifixus. 184. 189. 196. 209, 210. 225. 268. 272. *bis* 275. 302. 332. 339. 344. 353
Vulnera. 242. 243. 282
Crucis signum. 248. 274. 305. 307. 324
Crux. 297
Curiosi oculi. 253

D.

Dæmon. 229. *bis* 270
Dei deliciæ. 348
Deo gratias. 189. 233. 335
Dei nomen. 197
præsentia. 275
Deliciæ mortuales. 278
Differre nocet. 201
Draco. 248. 284

E.

Eleemosyna, 217. 227. 232. 236. 249. 260. 261. 266. 275. 297. 298. 302. 304. 305. 308. 325. 327. 350. 355
Episcopus. 306. 309
Epistola. 270
Eucharistia 198. 287. 290. 291. 305
Examen consc. 241
Exemplum. 193. 194. 201. 205. 219. 224. 302. 304. 317
Exempla colloquentium de rebus spiritualibus, 248
Exercitia s. Ignatii. 249

F.

Familia sancta, 185. 233. 234. 237. 242. 249. 251. 293. 299. 303. 315. 333. 340. 370
Febris. 192. 210
Feria sexta. 302
Festum, 228. 314. 315. 345. *ibid.* 356
Flores, 261. 262. 266. 312. 315. 342. 345
Fons vitæ, 246. 284
castus. 247
Fratres sancti, 190. 192. 212

G.

s. Gabriel. 273
Gladius cælestis, 288
Gratiss. Deo puritas. 251
& colloquia sancta. 348
s. Gregorius, 273

H.

s. Hieronymus. 301
Hortus. 215.
Humilitas. 183. 244. 273

I,

s. Jacobus. 352
Jaculatoriæ. 207
Jesus puer. 268. 271. 337. 358. *bis* 339. 342. 343. 344. 345
s. Ignatius Loyola. 221. 278
Ignem bibens. 315
Ignis coronæ ſpin. 206
Imago Chriſti. 234. 258
Imitatio, 352
Infernus. 199. 276
Inſpirationes, 353
s. Joannes. 220. 240. 270. 272. *bis* 393. 395. *ibid.*
s. Joſeph. 211.
Ira. 203. 248. *& ſeq.*
Judicium. 193.

L.

Labores. 198. 256. 273. 307.
Lætitia ſancta. 355. 356
s. Lambertus. 294.
Lectio liber. 230. 240. 268. 273. 282. 283. 341. 347. 352
Lectus. 198. 289. 324. 328
Leo gratus. 307
Lilia. 318. 333
Lingua. 235. 248. 274. 286. *bis* 302
Litaniæ. 244. 363
Lupus. 290

M.

Magnificat, 218.
Manus. 276. 331. 337. 341.
s. Marcus, 240. 300.
Mare, 304.
s. Maria Magd. 240. 244. 287.
s. Martinus, 211, 273. 296.
s. Mater, 3[illegible]0. 341.
Mensa, 199.
s. Michael, 204. 212. 303. 333.
Miles, 202. 216.
Misericordia, 235. 252. 294.
Mola spontanea, 253.
Monile charissimum, 283.
Monita, 207. 311.
Mons motus, 270. 300.
Morbus, 210.
Mors, 183. 192. *bis* 223. 227. 264. 269. 330. 355.
Mors læta, 233. 247. 272. 275. 277. 294. 300. 323.
Mors res optima, 216.
Mortificatio, 208. 211. 215. 233. 249. 268. 269. 285 290. *bis* 301. 308. 310. 318. 328.
Mundus, 199.

N.

Navis Angelica, 316.
Navis Sanctorum, 333.
Nives, 315.
Nocturna oratio, 301.
Novitia, 187. 348.

Obe-

O.

Obedientia. 210
Oculi. 186. 215. 223. 282. 300. 318. 352.
Opera loquuntur. 183
Oratio. 184. 192. 198. 202. 203. 205. 208. 235. 247. 253. 270. 271. 275. 283. 305. 350. 353. 355. 362.
Osculum Angelicum. 353.
Osc. misericordiæ. 257.
Otium. 221.

P.

Panis. 210. 218. 223. 261. 276. 316.
Paradisus. 312.
Parvuli. 229. 271.
Patientia, 189. 192. 195. 201. 219. 234. 237. *bis* 239. 242. 243. 246. 285. 302. 304. 315. 316. 321. 334. 341. 343. 350.
s. Paulus. 268.
Pax, 197.
Peccatum, 184. 196.
Pennæ igneæ. 252. 282.
Pestis, 194. 211. 255. 298.
s. Petrus. 191.
Pœnitentia, 197. 227. 239. 243. 251. 292. 293. 304.
Prædestinatio, 183. 184. 189. 217. 229. 231. 277. 285. 347. 351.

Pru-

Prunæ in capite. 192
Pulchritudo. 224. 278. 288. 289. 351
Purgatorium, 186. 206. 210. 221. *bis*. 237. 272. 275. 289.

R.

S. Raphaël, 208. 227.
Reliquiæ Sanctorum, 184. 200. 202. 217. 224. 227. 244. 270. 273, 275. 277. 278. 282. 284. 287. 295. 312. 318. 330
Renovatio. 268 287. 337.
Respectus humanus, 305, 306. 307. 310.
Resuscitatus, 193. 247. 269. 277. 350.
Rete 269.
Rex sanctus, 193. 239.
Rosæ. 222.
Rosæ B. V. 295.

S.

Sabbatum, 319. 351.
Sacerdos, 255. 378.
Sacrificante, 35.
Sacrum, 206. 215. 234. 237. 247. 255. *bis*. 260. 275. 279. 283. 284. 306.

Sa-

Sagittæ, 324.271.
Sagitta amoris Dei, 244.
Sagitta cordis. 220.
Sancti. 193.208.
Sanguis. 191.210.
Scala cœli. 333.
Semen cœli, 282.303.
Senex sanctus. 198. 236
Sepulchrum, 212.324.349.
Sepulchrum Angelorum. 219
Seraphini. 209. 220. 277.339.342.
Seraphinorum cantus, 339. 342.
Serpens. 319.
Sitis. 235. 274. 284.
Socii mali, 322.
Solis radius. 254.
Sol nascens. 281
Somnus, 251. 289. 310.
Sorores sanctæ, 225. 229
Spes, 211. 228.
Stella, 238. 344.
Stola, 247.
Sudor Crucifixi, 302.
Sursum, 203.228.
Susanna vir. 325.
Sutor, 223. 230. 300.

T.

Tactus, 272.
Templum, 236.267. 270. 273.284.288.324. 344.
Templi silentium, 203.

Tentatio, 202. 203. 225. 227. 229. 271. *bis*. 275. 277. 292. 307. 320. 329. 336.
Tepor, 221. 268. 271. 276. 288. 300. 354
Thesaurus Dei, 199.
Timor Dei, 348.
Tintinnabulum mortis, 192.
Triduum, 191, 201. 225. 283. 341.
Sss. Trinitas, 304. 306. 309.
Tyro miles, 257.

V.

Væ mundo, 306.
Vena, 228.
Venatio, 247.
Verecundia, 207.
Vesperi, 249.
Vestigium, 233.
Vestis, 254. 275. 287. 306.
Viaticum, 266.
Victima, 219. 341. 347.
Victoria, 307. 336.
Vincula, 251. 252. 259. 284. 309. 315. 336.
Visiones flammeæ, 212.
Viri vestis in fœmina, 325.
Vitæ Ss. 285. 294.
Vocatio, 222.
Urbs adjuta, 220. 224. 256.
s. Ursula, 220.
Uxor. 203.

X.

s. Xaverius, 231. 299.

Z.

Zelus animarum, 200. 205.

Hæc fusiùs legi poterunt in ipso fonte, seu Vitis Sanctorum, quæ in Anno Cœlesti nonnisi breviter sunt indicata.

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis, nunc, & in hora mortis nostræ! Amen.

CLAUSULA QUOTIDIANA

Ad omnes Sanctos.

OMNES SANCTI, quos felici morte defunctos, hodie felici æternitate donavit Deus.

Omnes Sancti mei nominis, & meæ patriæ, ac Patroni mei menstrui omnes,

Omnes Sancti nationis, & conditionis meæ.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi nascenti prima fuit dies.

Omnes Sancti, quibus sacra illa, quæ mihi morienti ultima erit dies.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei; vos potissimùm, qui in hac vita maximè excelluistis in amore Dei: tuque ô MARIA, Mater agonizantium, orate pro omnibus hodie nascentibus, & hodie in agone supremo periclitantibus: impetrate mihi à Crucifixo Jesu felicem mortem, beatam æternitatem. Amen.

Cre-

Credo, ſpéro, amo, adoro te, pulcherrime, ac optime, ſuper omnia, Deus meus! & ideò de peccatis meis doleo, ac deſidero plus dolere, & confiteri. Doleo ſuper omnia, quòd te tam ingratus offenderim, Deus meus, & omnia! In gratiarum actionem, & ſatisfactionem, offero tibi hujus diei, & vitæ meæ totius actiones, atque momenta ſingula, conjuncta omnibus lacrymis pœnitentium *Sanctorum*, omnibus guttis lacrymarum, & Sanguinis Jesu, omnibus meritis Jesu, Mariæ, & omnium Electorum tuorum: ut te videre, ac amare, unà cum illis, & unà tecum, merear in æternum, Amen.

ORATIO
AD
ANGELUM CUSTODEM.

Amantiſſime, dulciſſime, ſolertiſſime mi Angele Cuſtos, dux, protector, magiſter, amice verè fidelis, verè theſaurus immortalitatis meæ! Gratias ago Deo meo, pro te mihi dato, & pro donis omnibus, quibus ornavit te. Gratias ago tibi, quòd me ſanctè, à prima nativitatis meæ hora, protexeris. *Perge*, uſque dum me ſiſtas Deo ibi, unde ad me cuſtodiendum es miſſus. Doleo, quòd non ſemper fuerim ad omnem tuum nutum, quòd te contriſtaverim, quando feci aliquid, quod placebat angelo tenebrarum! *Suggere* cordi meo, quæ Deus vult; & tardi cordis mei duritiem, ac ſurditatem vince! Senſus meos omnes, & cor meum guberna, Mariam Reginam noſtram, & Sanctos omnes, ac *Sanctas* Dei, præcipuè Patronos,

&

& Patronas meas, tibi pro auxilio adjunge: totum me sacratissimæ Trinitati, per Jesu sanguinem, & Mariæ manus, ex toto dedica, in holocaustum æternum; omnes omnino (etiam quas indifferens dicimus) actiones meas, ad majorem Dei gloriam offer ad thronum gratiæ ejus, & gloriæ. Nunc, & in hora mortis, ita mihi, cum sociis tuis Angelis, & Sanctis, ope tua assiste, ut omnia, & singula momenta, vitæ ac mortis meæ, sint mihi, tibique, æterno solatio; Jesu, & MARIÆ, æterno honori, & amori, in felici beatorum Angelorum æternitate, in qua gratulor, quòd manseris fidelis, cum fidelibus Seraphinis, ac aliis, non verò consenseris rebellibus neque cum illis præceps rueris in ignem æternum. Conserva me quoque, ut sim fidelis usque ad mortem, ac immortaliter amem Deum, unà cum aliis; & sim socius fidelium, non rebellium, Angelorum. Amen.

AD SANCTUM, ET SANTOS *tui Nominis*

Sancte N. cujus nomine, ac patrocinio me, jam inde ab ipsa baptismi mei horâ, munivit optimus Deus meus; commenda me Deo, divinæ Matri, ac Sanctis omnibus; illis potissimum omnibus Electis Dei, quicunque hoc tuum, ac meum nomen in terris olim magna virtute ornârunt; respicite, ô Sancti mei, ex illa æternæ securitatis, ac lætitiæ Urbe, me vobis cognominem, hic, adhuc, inter quotidiana æternum pereundi pericula, exulem, ac timentem, Efficite, ut sicut idem vobiscum nomen gero; ita vestro & nomini, & exemplo, sanctâ heroicorum

ve-

veſtrorum factorum imitatione, reſpondeam. Gratulor Deo, & vobis. Gratias ago Deo, quòd vos prædeſtinaverit ad gloriam, & dotibus ad illam neceſſariis decoraverit. Gratulor, & gratias ago Angelis veſtris cuſtodibus, à quibus adjuti eſtis. Juvate & vos me; ut felicem hujus nominis catalogum nomine meo augeam, in libro vitæ. Placebit hoc Deo, qui me vobis, hoc nominis velut peculiari vinculo, clientem obſtrinxit, & nunc me ſupplicem ad vos mittit. Juvaretis me petentem, ſi hic eſſetis, ubi tamen ſi adhuc eſſetis, minus poſſetis; juvate nunc ſupplicem, cùm ibi eſtis, ubi plus poteſtis, & ubi charitas longè magis perfecta eſt. Juvate me, ut me vincam: facite me, me ipſo quotidie meliorem. Tollite à me id, quod me impedit: impetrate id, quod mihi magis expedit ad ſalutem; nec me deſerite, uſque dum, una vobiſcum, coram Deum videam, & amem, atque illi, & vobis, agam gratias in æternum. Amen.

Qui plura habet nomina plurali numero uti poterit: SAncti NN. qūorum, &c. *vel ſingulos ſeorſum invocare.*

FINIS.

Pre-

PROTESTATIO AUCTORIS.

Protestor, me haud alio sensu, quicquid in hoc Anno refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ duntaxat auctoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ, nituntur; iis tantummodo exceptis, quos eâdem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit; juxta Decretum Vrbani VIII, v. Julii, anni M. DC. XXXI.

JOANNES NADASI,
è Societate JESU.